





OLDOINI
ATHENAEUM
AUGUSTUM
PERUSIAE
1678
DI FIRENZE
1
6
249
Biblioteca Nazionale
Centrale - Firenze









ATHENAEVM AVGVSTVM

IN QVO

PERVSINORVM SCRIPTA PVBLICE EXPONVNTVR

STVDIO

AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV ERECTVM.

RAIMVNDO CAPISVCCO

PALATII APOSTOLICI MAGISTRO CONSECRATVM.





PERVSIAE, Typis, & exſpenſis Laurentij Ciani, & Franciſci Deſideri. Anno MDCLXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVEREND.^MO PATRI

RAIMVNDO CAPISVCCO

ORDINIS PRAEDICATORVM.

Laurentius Cianus, & Franciscus Desiderius Sal.

E nostris Typis in lucẽ prodit Athenæũ Augustum, Auctore Augustino Oldoino Societatis Iesu, tibi addictissimo, illudq; tuo

inclyto nomine munire, & ornare ſtatuimus, Reuerẽdiſsime Pater, qui titulis multis, dotibuſq; quamplurimis, quibus fulges, vtrumq; illi abundè præſtare vales. Quotquot enim in lucem prodeunt volumina literarum, eorum pręcipuè ſibi no-

men

men adſcribunt, & patrocinium vindicant, quos aut familię ſplendor, aut conſpicuus honoris gradus, aut ſapientiæ fama cõmendat. Tres huiuſmodi prærogatiuas, quas parſimonia naturæ, vel ſortis plerumquè diuidit, & partitur in plures, in

te pul-

Te pulcro inuicē nexu coniūctas, & conſpirantes, quotquot noſtra ætate viuunt, non ſinè admiratione conſpiciunt. Vetuſtiſsimam Capiſucchiæ ſtirpis claritatē, ſplēdidis etiam cum Romana, atq; Italica nobilitate affinitatibus iunctam com-

memorare

memorare ſuperua-
caneum arbitramur
cum ſatis fulgeat in
Scriptorum illuſtriũ
paginis, quæ per Vr-
bes, & Populos cir-
cũferũtur; ſitq; proin-
dè omnibus perſpe-
cta. Ex ea duo in hoc
Opere in ſortem Au-
thori contigit cõme-
morare tuæ familiæ

lumina;

lumina; quorum primum, & antiquius eſt Petrus Capiſuccus, Sanctę Romanę Eccleſiæ Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis in Vmbria legatus ãno MCXXII. Aliud, Paulus Capiſuccus, Epiſcop. Neocaſtrẽſis, Summorumque Pontificum Clemen-

tis VII. & Pauli III.
Vicarius; eorumdem cum honore meminit idẽ Author in historia Ciacconiana Põtificũ, & Cardinalium, in Vita Ioannis Antonij Capiſucchi Cardinalis; vbi, & alios plurimos numerat è Tua familia inſignes Viros, qua toga,

qua ſago præclaros. Poſſemus, & nos ea illuſtria nomina huc transferre, reſq; à Maioribus tuis pro Chriſtiana Republica ſtrenuè geſtas celebrare, niſi Epiſtolę huiuſce anguſtia prohiberet, & actum iam à Summis hiſtoricis ageremus. Sed, & ſingula-

ris virtus, id prohibet, quæ tanta eſt, vt Maiorum luce non indigeat. Dignus enim tu es Maioribus tuis, vt illi te digni fuerunt; nam & Tuorum decorum laudes, eorũ famæ, & celebritati mirificè reſpondent, & ipſi meruerunt talem ſuarum virtutũ

hæredẽ; etenim domesticam gloriam, non cõseruas solum, sed tuis mirificis actionibus auges, atq; non vulgaribus virtutum vestigijs expressis, vt vbiquè honorificam tui memoriam semper relinquas, ac tuis præclarè gestis, Roma honoris, & glorię

cumulatiſsimum in-
crementum in dies
ſuſcipiat; Non enim
minus tu calamo Re-
ligionem propugnas
catolicam, quam gẽ-
tilitij tui Bellatores il-
luſtres propugnaue-
rint gladio; & quam
ipſi nominis immor-
talitatem conſecuti
ſunt ſanguine, tu atra-

mento

mento conſequeris. luculentum tuæ ſapientiæ, ac probitatis teſtimonium edidit Summus Põtifex Innocentius huius nominis X. cum te vix iuuenilẽ ætatẽ egreſſum, Sacri Palatij Magiſtrum, hoc eſt præcipuũ arcis Apoſtolicę defenſorem, Re-

ligio-

ligionis orthodoxæ cuſtodem, rei literariæ moderatorem, & arbitrum, librorum cenſorem, ac Iudicē renūtiauit; Argumētum hoc eſt certiſsimum doctrinæ multiplicis, virtutiſq; ſingularis ſignū euidentiſsimum; nam cœtera honorum faſtigia

sæpè fortunæ ſunt munera, & aliquãdo non tam meritis, quã gratię tribuuntur. Sacri Palatij Magiſteriũ à quo magna ex parte rei chriſtianæ incolumitas pendet, attribui minimè poteſt niſi magnæ virtuti, & virũ exigit probatiſſimę integritatis, atq;

conditionis amplissi-
simæ. Quã verò lau-
dabiliter munus hoc
arduum, & maximè
operosũ exerceas, te-
stis est mera seduli-
tas, & diligẽtia singu-
laris, qua libros exa-
minas, & omnes eo-
rum apices perscru-
taris; labor assiduus,
quã nulla priuati otij

habita ratione diù, noctùq; vrges, & protrahis ne permissam quidem animo relaxationem indulgens, indefessi pectoris vigor, & nullis fracta laboribus mẽtis alacritas, qua nouas ad cõmentationes, & curas viuidior semper exurgis. Testatur id

etiam

etiam librorũ innu-
merabilium, qui tuũ
iudicium ſubierunt;
ſanitas incorrupta, &
deriuata ex tuæ cen-
ſuræ æquitate in po-
pulos, & nationes vti-
litas. In hoc porrò la-
borioſiſsimo mune-
re, cui pares nõ vidẽ-
tur vnius hominis vi-
res, curarum ingen-

tium molẽ adeò tuæ capacitas mentis, vt non ſolum ad aliorũ volumina recogno-ſcenda, ſed ad propijs etiã lucubrationibus æraria ſapientiæ lo-cupletãda ſuffecerit. Nam vt alia omitta-mus, quæ ex tuo ca-lamo prodierunt, li-terarum illuſtria mo-

numenta,

numenta, ſuperioribus annis Controuerſiarum Theologicarum volumen egregium, multis flagitãtibus, edidiſti; quod mox iterata cura, & induſtria à Te exornatũ, & auctũ vberius accepit, ex ingenij tui feracitate diuitias. Quę verò in hoc ope-

re continea tur erudi-
tionis vbertas, quam
grauis, & efficax, &
quanta cum ſubtilita-
te coniũcta doctrinæ
ſoliditas, quam inelu-
ctabile fortium argu-
mentorũ robur, quot
morum præcepta ſa-
lubria, quantę ſuccus
pietatis, non eſt no-
ſtræ tenuitatis oſten-

dere

dere.ſatis hoc indicāt honorifica Theolo-- gorum inſignium teſtimonia, literatorum omnium plauſus, approbatio famę communis. Nec ſolũ calamo, & ſcriptis, ſed voce quoque diſerta vtilitati publicę conſuluiſti. Agnouerunt omnes tuæ facundię

felici-

felicitatem, cum in
Pōtificiæ domus au-
la patenti ad honora-
riam Aulicorum, Ci-
uiumq; frequentiam
pro tui muneirs insti-
tuta è suggestu disse-
reres. Nemo tuis in-
terfuit concionibus,
quin in se ipso salu-
berrimã experiretur
affectuũ mutationẽ,

& in dicente verborum candorem, ſententiarum pondus, grauitatem actionis, accommodatam ad popularem captum doctrinæ præſtantiã laudibus proſequeretur. latius adhuc excurrens tuę ſapientię vis, & facultas ad grauiores Purpuratorũ,

& Prȩsulũ cœtus ac-
cedit, ijsque oppor-
tunum salubriũ con-
siliorum lumen im-
pertitur, & porrigit.
Te Indulgentiarum,
Sanctæ Inquisitionis,
& sacrorum Rituum
veneranda consilia
pronis auribus audi-
unt, & approbatione
commẽdant: Te cõ-

uentus

uentus virorum insi-
gnum, quem Indicis
vulgò appellamus,
velut primariũ asses-
sorem, & consiliari-
um auctoritate preci-
puum obseruat, & se-
quitur. Tui iudicij
trutinam subeunt sa-
cre infulæ candidati,
quorũ idoneã ad Epi-
scopale fastigiũ do-

ctrinæ facultatem in ſacrorum Procerum frequenti Senatu coram Summo Pontifice inueſtigas, & diſcutis. Mittimus alios, ad quos extra ordinẽ aduocaris Romanos conuentus, idque aſſeuerare non dubitamus admirabile prorſus eſſe, ac vix credi-

bile

bile memoratu eam ab vno viro tractari facilè, atq; expediri feliciter rerum diuerſarum, ac difficilium multitudinem, quam collecta multorũ induſtria vix explicaret, & vnius humeros ijs oneribus non grauari, quibus multiplex hominum vis, &

formido

formido ſuccumbere-
ret. Hæc eò libẽtius
retulimus quod tu de
te ipſo moderatiſsi-
mè ſentiens , nulla
verborum iactatione
tuas laudes oſtentas;
naturam fluuiorum
ingentium imitans ,
quæ quo altiora ſunt,
eò minori ſono labũ-
tur. Tua in Chriſtia-
nam

nam Rẽpublicã me-
rita, & quæ poſsides
ornamẽta virtutum,
quamuis ea modeſ-
tiæ velo coneris ob-
ducere, cum ſatis ſua
luce ſe prodant, latè-
re minimè poſſunt, &
vt lateant homines,
Deum profectò ha-
bent ſpectatorem, ac
teſtem, à quo merces

illis opulẽta ſeruatur in cœleſtium theſaurorum ærario. Habẽt quoque ſuffragatorẽ, laudatoremq; Dominicum, qui religioſæ cuius es pars magna militiæ, legislator, & parens, Apoſtolicũ, quò diù fungeris miniſterio primus exercuit. Gaudet vir ille

Sanctiſsimus ſuæ in-
duſtriȩ curas in egre-
gio ſucceſſore quo-
dammodo reuixiſſe;
& felicem tuis labori-
bus progreſſum , &
exitũ ab eo precatur
aſsiduè, qui præſtan-
tium operũ pulchri-
tudinem probè per-
noſcit, & amplæ vir-
tuti prȩmia rependet

amplissma. & quoniã à multis annis interpolatis numquam laboribus Apostolicæ Sedi per tot clara officia virtutem tuã probasti, perge publicæ vtilitati prospicere, Dei, atq; eius Ecclesiæ cultum, & gloriã promouere, ac sacro Dominici Ordinis de-

cus

cus adiũgere; dumq; opulentam diuinitùs mercedem expectas fruere magnitudine animi tui, & consciẽtia meritorum. Nos verò tuis nutibus addictissimos benigno, vt soles, patrocinio protege, & hoc qualecumq; donum, vt syncerissimum exci-

pe, noſtrum erga Te obſequij teſtimoniũ; & quos ſingulari tua humanitate, & benignitate deuinxiſti, præſidio quoque ac patrocinio ſubleuare perge.



Augustinus Oldoinus è Societate Iesu

CANDIDO LECTORI

GAVDIVM, ET FELICITATEM.



Mnibus hominibus summa ope enitendum est, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ natura ventri solum prona, & obedientia panxit: nati enim sumus, non vt otio Epimenidis somnum indormiamus, & vt Proci Penelopes, alijs certantibus, soli nihil faciamus, nisi numerum; sed vt Deo, Reipublicæ, & nobis ipsi viuamus, illi debitam seruitutem, & obsequium, alteri honorem, nobis vero, vtilitatem aliquam præstantes. Reddenda est præsentis vitæ ratio, Deus, ex Menandri sententia, otiosis non adest; & Lucianus, ne ad aures quidem scalpendas, otium esse dicebat: Cum autem diù viuere naturæ humanæ imbecillitate, non possimus, saltem, Plinio iuniore suadente, aliquid relinquamus, per quod nos vixisse dicatur; quam animi inanitatem facilè quisque in solidam commutabit virtutem, si publicæ vtilitatis rationem habuerit, eamdemque suis studijs prospexerit. Dum viros doctrina præstantes laudamus, scientias ipsas commendamus; Scientias verò commendando, Deum ipsum laudamus; à

quo

quo hominibus illæ proueniunt. Scio hominis christiani, nec non religiosi officium esse, innocentem potius vitam, quam perennem memoriam quærere, non scribendo, aut philosophando, sed piè, sanctèque viuendo; atamen non prætermittenda, quæ ad veram sapientiam, diuinamque cognitionem legentes incitare maximè valent. Officium igitur non reputabitur ambitio, neque gloriæ humanæ appetitione hæc scribere dicemus, dum publicam procuramus vtilitatem, studemusq; non nobis tantum, sed Reipublicæ adiumento esse. His ergò calcaribus agitatus, hisq; persuasus argumentis, opus hoc aggressus sum ad Dei honorem, in nobilissimæ, & antiquissimæ Perusiæ Augustæ obsequium, meiq; animi voluptatem, & exercitium; non quidem pensum magni momenti, grandes materias ingenia parua non sustinent, & in ipso conatu vltra vires ausa succumbunt, ex Hieronymo Sanctissimo: minorem tamen culpam incurram, hæc scribendo, quam qui nihil omninò parturient. In Historijs igitur percurrendis, & in euoluendis libris, Scriptores Perusinos, hinc, indè dispersos in vnum collegi, vt posteris ad imitandum proponerem, Orbiq; vniuerso darem in admirationem.

Quod si quis, qui libros solum percurrit vt Momum agat, opus hoc irriserit, quia in illo descriptos inuenerit aliquos vnica tantum oratione, vel Poematio claros; quasi Adamas vnius auricularis digiti ornamentum, pretiosior non esset aliquando magno marmore Carrariensi, quod plura iuga bouum è loco remouere non valent.

Percur-

Percurrat hic talis ſcriptores antiquos , & recentes , & maiorem, leget teſtimonio Martialis promeruiſſe laudē Aulum Perſeum Flaccum, ſex ſolis ſatyris, quam Marſum in tota ſua Amazonide. Non erit igitur hic obiurgationis locus, neque vlla culpandi ratio, dum plurimorum veſtigia calcanti, æmulari placuit antiquos, ac recentiores ſimilium Bibliothecarum Auctores. Imitatus ſum autem Sanctos Hieronymum, & Idelphonſum, Genebrardum, Bellarminum, Xyſtum Senenſem, Ioannem Trithemium, Angelum Roccam, Cornelium Scultingium, & Aubertum Miræum in Eccleſiaſtica, Scripturali, & Theologica. Eyſengrenium in Orthodoxa, Ludouicum Iacobum à Sancto Carolo in Pontificia, Ludouicum Rupipozæum, & Franciſcum Mariam Torrigium in Cardinalitia, Hippolytum Marraccium in Mariana, Iacobum Gaddium in non Eccleſiaſtica, & Ioannem Antonidas Vuandelinder in Medica; Inſuper ad hoc opus perficiendum iui per veſtigia Simonis Storouolſci in Polonica; Ioannis Pitſæi, & Ioannis Balęi in Anglica, Antonij Verderij, & Philippi Labbè in Gallica, Andreæ Peregrini, & Nicolai Antonij in Hiſpanica; Franciſci Suuertij, Auberti Miræi, & Valerij Andreæ in Belgica, Thomæ Dempſteri in Scotica; Ioannis Trithemij in Germanica, Geſneri in Tugurina, Photij in Conſtantinopolitana. Aemulatus ſum in fabrica huius operis Donatum Caluum in Bergomenſi, Paſchalem Alidoſium, & Ioannem Bumaldum in Bononienſi, Iacobum Philippum Thomaſinum, & Iacobum Alberici in

Veneta, Bernardinum Scardeonium, & laudatum Thomasinum in Patauina, Michaelem Pocciantium in Florentina, Ludouicum Iacobillum in Vmbrica, Franciſcum Auguſtinum ab Eccleſia, & Andream Roſſottum in Pedemontana, Abbatem Michaelem Iuſtinianum, & Raphaelem Sopranum in Liguſtica: Mihi deniquè in exemplar propoſui in conſtructione huius Athenæi Ioãnem Lepaigè in Præmonſtratenſi, Henricum Villot, & Lucam Vuadingum in Minoritica, Ioſephum Pamphilum, Thomam Herreram, & Thomam Gratianum in Eremitica S. Auguſtini, Ioannem Trithemiùm in Benedictina, Theodorum Petreium in Carthuſiana, Franciſcum Boluitum, & Ioſephum Silos in illa Clericorum, Regularium, Celſum Roſinum in ſua Canonicorum Regularium Lateranenſium, Ioannem Baptiſtam Lancium, & Antonium Senenſem, nec non Alponſum Fernandez in Prædicatoria, Marcum Antonium Allegre, & Auguſtinum Biſcarettum, atq; Petrucium Belgam, in Carmelitica, Carolum de Viſch in Ciſtercienſi, Petrum Ribadineiram, Philippum Allegambe, & Natanaelem Sotuellum in illa noſtræ Societatis Ieſu. Hi omnes ſimilem torſerunt funem, & incudem omnes eandem tutuderunt. Cum his igitur multis errare magis placuit, quam ſapere cum paucis. Eſt huiuſce operis Auctor ex eorum grege, qui vt ſibi præcaueant, numquam primi tentant vadum; placuit ſemper à tergo ſequi, & ſic declinare pericula. Tu porrò humaniſſimè lector qui Momum non geris, nec inuidos imitaris qui in alijs oderunt,

quod

quod in ſe non vident virtutis, Viros hoſce doctrina præſtantes, quos per Auctorem, licet exterum, Perugia Auguſta Orbi vniuerſo proponit, excipe læto vultu; Sapientia enim inuiſa, & Theſaurus abſconditus nulli ſunt adiumento. Nunc Deum Optimum Maximum humillimè, & rogat idem Auctor, Studium hoc ſuum qualecumque, in Ciuium Peruſinorum vtilitatem, commodumque cedere, vt Maiorum virtutes contrhaant, & filij parentibus omninò ſimiles eſſe diſcant, ſi eorum immortalitatem aſſequi volunt. Vale mi Lector, & me tibi optimè fauentem, commendatum, habe.



PERVSIAE BREVIS NOTITIA.



ERVSIAM à primis incunabulis Augustam, ab Eutropio Perusium, à Stephano Perasium, vulgò Perugia, dictam, pleriq; Scriptorum in Vmbriam, alij in Etruriam reiciunt, vnamq; ex duodecim ipsius Etruriæ Ciuitatibus, eiusdemq; Prouinciæ, in qua sita est, primariam prædicant, præcipuamq; numerant, & antiquissimæ originis esse volunt; etenim eumdem agnoscit in parentem Noemum, quem Genus humanum, vt instauratorem suum veneratur. Trogus in Achæos eiusdem reijcit fundationem; Appianus Tyrrenos augustæ huiusce Ciuitatis auctores facit; quam Osirius è Lybia primò, mox Saganus Taracontes, Dux Griphoniorum, deindè Caius Vibius; Achæorum Dux è Peleponesso; Pelasgi deinceps, atq; Etrusci postremò adauxere, atq; illustrarunt quam maximè. Patriæ Vrbis forma sic stabilita, Perusini religionem ab Aegyptijs, Templa ab Tyrrhenis; nomen, & insignia à Scythis; leges ab Achæis acceperunt. Romanis postmodum victoribus in bellicam prædam Augusta Ciuitas cessit, inq; illorum fide, ac potestate tamdiù mansit, quamdiù Rem publicam ciuiles discordiæ distraxerunt, diuiseruntq; in partes. etenim cum Triumuiratus potentia in vnum Cæsarem recidisset, eiusdemq; arridenti fortunæ inuidiorum, aduersarumq; partium rebellas-

rebellassent plerique, L. Antonius Consul, M. Antonij Triumuiri frater, Perusiam, in arcem delegit; vndè feliciter progredienti, Cæsari incommodaret. Cæterum victor, cum diuturna obsidione, fameq; perdomitum Lucium Antonium Consulem coegisset ad deditionem, Ciuitati clementer pepercerat, cum quidem Perusinus, Cestius dictus, proprijs laribus suppositis facibus, per ventum, qui tunc maximè inualuerat, dilatato incendio, totam Ciuitatem in ludibrium vecordis idolatriæ, Vulcani Templo seruato, miserabiliter exussit; atq; illa Ciuitas, quæ superborum victorum expertura erat clementiam, sui Ciuis non valuit efugere sæuitiam. post excidium tamen cum geminata clementiæ laude, à victore Augusto, iterum muris circumdata, cœpit habitatoribus frequentari eò ambitiosius, quòd noua propemodum Ciuitas de nomine Instauratoris, AVGVSTA PERVSIA appellata est. Fortunam deindè, siue prosperam, siue aduersam Populi Romani fidelissimè secuta est, donec à Totila, Gothorum Rege per septennem obsidionem capta, atq; deleta, longissimam, ac dirissimam sustinuit seruitutem. Narsetes post hæc Iustiniani Imperatoris strenuissimus Dux, Perusiam armis recuperatam, superatoq; Totila, propè Callium Vrbem, non longè distantem, Romani iterum imperij iurisdictionis effecit. Cum autem Longobardi Italiam inuasissent, Perusiam quoq; occuparunt, suoq; non sine sanguine tamen, subiugarunt imperio; sub quibus stetit donec Carolus Magnus, Desiderio, postremo illorum Rege, in seruitutem abducto, Italiæ plerasq; Ciuitates in libertatem asseruit. Tunc Perusia, cum alijs pluribus Etruscorum Ciuitatibus,

tibus, Oppidisq; largitate Ludouici Pij, Caroli Magni filij in ditionem Romanorum Pontificum cessit; hactenusq; eorumdem imperium libentissimè sustinet; cuius Ciues aliquandò ab exteris, plerumq; à proprijs Incolis ad arma prouocati sæpe sæpius excidium perpessi sunt.

Augusta hæc Vrbs supra montem erecta, in Vmbriæ confinio, apud Tiberim fluuium, & Vmbriam, ad ortum, & Glanim paludem, atq; agrum Florentinum ad occasum, duodecim milliaribus distat ab Assisio in occasum, octo supra viginti ab Oropito, seu Vrbeueteri in boream, Vrbinum versus quadraginta; duodecim à Lacu Trasimeno, alijs Trasumeno, ad quem Romani, cum Flaminio ab Hannibale ingenti strage cæsi; media ferè est inter Vrbem Romam, & Florentiam, ad octoginta mille passus vtrinquè distans. Abrhamus Ortelius Perusiam cum Pertia, oppido antiquo, non sine errore, confundit.

Euangelij lumen Augusta hæc Vrbs à Sancto Britio, hausit; quem Petrus Apostolorum Princeps, vt christianæ fidei fines extenderet, legauit ad Vmbros. Hic ergo, cum, quos in prædicatione habuerat Collegas, diuersis eiusdem Prouinciæ Ciuitatibus attribuisset Pastores, Herculanum seniorem, natione Syrum, patria Antiochenum, ipsius Apostoli Petri Discipulum, Perusinis præesse decreuit. Hic ille Herculanus est, qui sub Domitiani imperio in dirissima persecutione, circa annum Domini nonagesimum, Perusinam illustrauit Ecclesiam, proprioq; sanguine consecrauit. Fundatam ab Herculano christianam fidem, Constantius deindè, Florentius, Felicissimus, Herculanus alter, Episcopi, qui

eidem successerant, profuso sanguine consolidarunt, illustraruntq; Prima Cathedralis Ecclesia in ea erecta, ipsi D. Petro, Apostolorum Principi consecrata fuit. Hanc deindè Honestus Episcopus, circa annum salutis CMLXV. cum in Abbatiam vertisset, Benedictinis Monachis attribuit, substructa à fundamentis alia in honorem, Sancti Laurentij Martyris inuictissimi; cuius Canonici ab antiqua Cathedrali translati, regulares fuerunt ad annum vsq; MCCCCCXII. quo à Iulio II. Pontifice Maximo, eiectis regularibus, eiusdem Ecclesiæ cura commissa est Canonicis secularibus, qui ad nostram ætatem summo studio, diligentiaq; singulari eam gerunt.

In hac Vrbe inter Episcopales Pontifici Romano immediatè subiectas connumerata, Legatus Apostolicus Vmbris omnibus olim ius dicebat. in ea nobilis Academia floret, in qua ad bonas artes omnes, maximèque ad iuris prudeniam, excoluntur ingenia.

Meminère Perusiæ Ptolomæus, Plinius, Florus, Seruius, Velleius Paterculus, Eutropius, Paulus Diaconus, Liuius, Strabo ex antiquis; ex nouis vero, Blondus, Leander Albertus in descriptione Italiæ, Pompeius Pellinius in Annalibus Perusinis, Felix Ciattus, & Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta, Ferdinandus Vghellius Tomo I. Italiæ sacræ, alijq; complures qui de Orbis vniuersi, seu de Italiæ Vrbibus scripserunt.

IOAN-

IOANNES ANTONIVS CAPRINVS

Prouinciæ Romanæ Societatis Iesu

PRAEPOSITVS PROVINCIALIS.

CVm Opus, quod inſcribitur ATHENAEVM AVGVSTVM à P. Auguſtino Oldoino noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint. Poteſtate nobis facta à P. Noſtro Ioanne Paulo Oliua præfatæ Societatis Præpoſito Generali, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Cuius rei gratia has litteras manu noſtra firmatas, noſtriq; Officij ſigillo munitas dedimus Romę 4. Septembris 1677.

Ioannes Antonius Caprinus.



Temporis

TEmporis dente corroſa pœnè, & antiquitatis caligine conſepulta Scriptorum Peruſinorum in lucem educens Nomina, commiſſione Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domini D. Lucæ Alberti Patritij, Peruſiæ Epiſcopi, vidi Opus inſcriptum ATHENAEVM AVGVSTVM à P. Auguſtino Oldoino Societatis Ieſu, viro deRepub. Litteraria benemerito conſcriptum, in quo miro ordine, ſumma eruditione, & perſpicaci ingenio vincta diſponuntur, cumque nihil habeat contra Fidem, & bonos mores prælo digniſſimum iudicaui ad Gloriam denatorum, Incitamentum viuentium, & poſterorum Emulationem. In quorum fidem &c.

Io: Bernardinus Morandus Librorum Cenſor Synodalis.



Opus

OPus, quod inſcribitur, ATHENAEVM AVGVSTVM iuſſu Reuerendiſs. Patris Raymundi Groſſij, Peruſiæ, Vmbriæ, & annexarum Ciuitatum Inquiſitoris Generalis ego ſubſcriptus vidi, & nihil in eo contra Fidem, & bonos mores inueni, quare typis mandari poſſe exiſtimo.

Franciſcus Maria Calidonius pro eodem Reuerendiſs. Patre Raymundo librorum Reuiſor



Imprimatur

Fr. Paulus Octauianus Sac. Theol. Mag. & Vicarius Generalis S. Off. Peruſiæ &c.



ATHENAEVM

ATHENAEVM AVGVSTVM
IN QVO
PERVSINORVM SCRIPTA PVBLICE EXPONVNTVR.





CADEMIA Insensatorum, doctis cuiuscumque generis, ac scientijs omnibus Perusiæ erecta, anno salutis humanæ 1561. mense Nouembri à quatuor Perusinis Iuuenibus, literarum studio intentis; à Ioanne, videlicet Tinnolo, à Rubino Saluuccio, Octauiano Platone, atque à Thoma Perillo; habet pro Insigne Gruum aciem volantem, saxum pede vno gestantem cum Epigraphe, vel cum pondere. Hæc vt patronum in Cælis veneratur Matthiam Apostolum, in terris verò veretur S. R. E. Cardinalem vnum.

Huiuscæ nobilis Academiæ literas, Academicorum suorum nomine, latino idiomate Lelio Vbaldino missas, quando ipsis Academicis aggregatus est, euulgatas inuenies typis Perusinis, anno voluentis seculi decimi septimi à partu Virginis, tertio supra decimum cum illis Marci Antonij Bonciarij. Aliæ ad diuersos tum latina, cum

etrusca lingua exaratæ, inueniuntur M. SS. apud Patres Societatis Iesu in Collegio Perusino, ex legato Dionysij Crispolti.

ACVRSIVS ALPHANVS Perusinus, primi Alphani filius, Tyndari frater, Bartoli pronepos, Butrigarij discipulus, doctrina, scientijsque plurimis ornatus pro posteris reliquit volumen Consiliorum.

De hoc testantur Vuolfangus de Claris Iuris Consultis, Crispoltus in sua Perusia Augusta libro 3.

ÆGIDIVS BOCCOLI Perusinus, Medicinæ Doctor scripsit librum de medicamentis pro canibus leporarijs.

Meminit huius Pompeus Pellini in historia Perusina.

ÆGIDIVS PVCCIARINVS, patria Perusinus, professione Minorita de obseruantia, annis nostri seculi septimo supra trigesimum, nec non tertio supra quadragesimum carmine etrusco laudauit Statuam marmoream S. Pauli Apostoli, ab Alexandro Algardo, artifice illustri, miro artificio elaboratam, deluxitque obitum Georgij Boreæ, nobilis Lugensis, ac Ludouici Alberti.

ÆNEAS BANVS, seu Bannus, Clericus Perusinus, & Academicus Parthenius, Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ Laureatus, eruditione, eloquentiaque clarus, edidit Romæ anno reparati orbis 1584. in 4. Orationem in laudem Sixti V. Pontificis Maximi, & Perusiæ anno 1587. Poemata diuersa, lingua latina, & etrusca, scripta in creatione eiusdem Sixti.

Cecinit quoque versu etrusco tribus cantibus originem Templi Romani, & miracula S. Mariæ in Montibus dictæ.

Scripsit etiam soluta Oratione Opusculum spirituale Italica lingua, sub titulo Christiana riprensione.

Aliud prænotatum Philosophia Moralis.

Tertium, inscriptum Via ad Patriam.

Quartum, dictum Statuarium.

Vnum Carminum rithmicorum, cum titulo *Dolcezza amarissima*.

Syluam

Syluam quoque variarum lectionũ scholijs illustrauit.

Composuit insuper Italicè Actionem S. Rosannæ, & Alimenta Musicæ, nec non Opusculum cum titulo Balletti amorosi.

Celebrant Æneam hunc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, & Cæsar Ciercida suis literis.

ÆNEAS de VBALDIS Perusinus, Iurisconsultus magni nominis Lector primarius in Patria Academia, Florentinæ Rotæ Iudex, omnium voce dictus, Legum Imago, Poeta primi nominis, membris omnibus, iam senex, captus, ad signum publici æris campani in priuata domo per annos multos frequentes auditores docuit. E viuis abijt anno seculi decimi sexti quinto supra quadragesimum, cum edidisset Consiliorum volumen, & Responsionum librum, ac reliquisset M.SS. Lecturas eruditas in ff.

Magistratus patrij decreto Statuta, cum alijs consumatissimis Doctoribus ordinauit.

Huius carmen etruscum in lucem editum inuenies Romæ cum illis Philippi Alberti anno 1602.

De hoc tractant Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum, Pompeus Pellini in sua historia.

AGABITVS NERVCCIVS, seu Nerutius, Perusinus, iussu Caroli de Comitibus, Perusiæ, Vmbriæque Gubernatoris collegit cum alijs, Comitinas Constitutiones, continentes varia Decreta, ac Reformationes diuersorum, qui Augustæ Perusiæ gubernio præfuerunt.

ALBERTVS BELLI Perusinus Laureatus, & professor Iurisprudentiæ in Patria Academia, plura scripsit de fideicommissis; illum profert Peregrinus in tractatu de eadem re edito.

De hoc agit Alexander Balestrinus in Opusculo de Academijs Perusinis.

ALEXANDER ALFANVS Perusinus, Bernardini iunioris filius Odoardo Farnesio Principi, ac S. R. E. Cardinali suis literis latina lingua nuncupauit. Bernardini parentis, Collectanea, seu Reportata Iuris, euulgata cum ijsdem literis anno reparati Orbis 1605. Venetijs, Typis Iacobi Antonij Somaschi.

ALEXANDER BALESTRINVS Perusinus, Io: Baptistæ Lauri frater consobrinus, eques aurei calcaris, in vtroque Iure Laurea Doctoris donatus, die 25. Iunij anno post Christum natum 1619. absolutis humanarum literarum studijs in Seminario Episcopali Patrio, in Doctorum Collegium die 30. Iunij 1622. coptatus, in Tribunali Fidei Consultor, Collegiorum summus Rector, scientijs pluribus ornatus, maximisque in rebus probatus, Epistolam latina lingua ad Io: Baptistam Laurum de obitu fratris scripsit, quæ publici Iuris facta est, ab ipso Lauro in centuria secunda suarum epistolarum. Anno verò 1635. suis scriptis publiæ luci commissis confirmauit responsum quintum Timothei de Timotheis in Perusina Census; Et anno eiusdem seculi duodequadragesimo cum esset Laudati Collegij Doctorum Augustæ Perusiæ Prior, edidit Syllabum Doctorum eiusdem Collegij tunc temporis viuentium. Scripsit etiam vernacula lingua Italica Historiam Patriam, quæ M. S. apud filios adseruatur. Insuper in vulgi sermonem conuertit Marij Podiani orationem ad Paulum III. Pontificem Maximum de origine, & laudibus Perusiæ. Panxit etiam carmen heroicum latinum de Virginis Lauretanæ translatione, vidi illud M. S. Io: Pauli Lauri Balestrini filij beneficio.

Habui quoque præ manibus eiudem historiam Gymnasij, nec nõ Academiarum, & Collegiorum in Vrbe Perusiæ existentium; Vitasque in arctum collectas Benedicti Guidalotti, & Francisci Cantuccij Episcoporum, & memorias Ecclesiarum in Patria erectarum. Tantus hic vir Perusiæ è vita migrauit die 13. Decembris anno 1660.

Iacet

Iacet in Sepulchro Maiorum ad D. Dominici Ædem.

ALEXANDER BALIONVS Perusinus, Petri, & Almenæ Bigazzinæ filius, dum se humanitatis literis apud Patres Societatis Iesu in Patria expoliret, anno nostri seculi quinto supra septuagesimum, Typis patrijs apud hæredes Zecchini edidit, Italica lingua discursum in laudem Æmulationis, à se dictum in Patria Academia coram Federico Columna S. R. E. Cardinali, & à Petro Parente Ægidio Columnæ, Anticoli Duci, Clementis X. Pontificis Maximi Nepoti, nuncupatum: anno verò 1677. versibus latinis gratulatus est Vrbi Perusinæ de gestis à P. Federico Trenta in cursu quadragesimali eiusdem anni. Vitam agit dum hæc de illo scribimus, Philosophię studijs intentus.

ALEXANDER de BAPTISTIS Perusinus, adhuc inter viuos hoc præsenti anno 1677. carmine latino publici iuris facto, anno eiusdem seculi tertio supra quinquagesimum, laudauit pulchritudinem Deiparæ, recenter natæ.

ALEXANDER BENINCASA Perusinus, Cathedralis Canonicus, nostra ætate in literis versatus, carmine etrusco euulgato Perusiæ anno 1669. Cornelij Oddi Equitis Calatrauæ obitum defleuit. Anno vero 1672. Ode eiusdem idiomatis laudes Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, & sacri Oratoris cecinit, & anno sequenti 1673. simili, mortem sequutam in Insula Crætæ, dum Turcas impugnaret, Antonij Baptistæ, Ducis inuictissimi collachrymauit. Vitam hoc anno 1677. Romæ agit.

ALEXANDER BONTEMPI Perusinus, cum scholas Seminarij Episcopalis in patria frequentaret, laudes D. Basilij Magni, Episcopi Cesareæ in Cappadòcia, soluta oratione dixit, eulgauitque typis patrijs anno post Christum natum 1645. Quo metricè etiam descripsit Horatij Monaldi Episcopi, & Iosephi de Almerigis Archipresbyteri Cathedralis Perusiæ, & Proepiscopi Stemmata. Anno vero 1647. carmine etrusco Natiuitatem Deiparæ Virginis Mariæ celebrauit; Diem denique suum obijt in

Patria,

Patria, dum florentem adhuc ætatem duceret.

ALEXANDER CORREGIVS, Collegij Perusini sub patrocinio S. Bernardi erecti, alumnus, & Marci Antonij Bonciarij discipulus, literas latina lingua Io: Antonio Guarnerio Canonico Bergomensi, Auctori libri de bello Cyprio inscripti, dedit, euulgatas typis Patrijs, cum illis Bonciarij præceptoris, anno 1604.

ALEXANDER IOVIVS Perusinus, Philosophiæ, sacræque Theologiæ professor in patria Academia, in Collegio S. Bernardi, & in Cœnobio S. Petri, Monachis Cassinensibus; Cathedralis Canonicus, sedit inter Doctores Collegiatos, præfuitquę per annos quadraginta Seminario in Patria ab Oradinis erecto, atque ab ijsdem cognominato. Tantus hic vir eximiè doctus, initio voluentis seculi decimi septimi à Partu Virginis edidit Italica lingua descriptionem translationis corporum BB. Erculani Episcopi, Petri Abbatis, & Beuinatis Monachi, factæ die 19. Maij anno eiusdem seculi nono à Neapolione Comitolo Episcopo. Quam descriptionem euulgauit Perusię in Typographia Augusta anno sequenti 1610. Senecta diem supremum obijt Calendis Februarij anno post Christum natum 1653. dum secundum supra octogesimum suæ ætatis ageret. Iacet in Cathedrali.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Marcus Antonius Bonciarius lib. 12. epist. 32.

ALEXANDER MICHELOTTVS Perusinus inter Episcopos Assisienses à nonnullis connumeratus, doctrina clarus, Constitutiones edidit plures pro Clericis suæ Diœcesis. Hunc inter Episcopos Assisij numerat Ferdinandus Vghellius sub nomine Aldouandi, & ordinatum scribit Antistitem Assisiensem ab Vrbano VI. anno 1381. & ab eodem Pontifice, non multo post eadem spoliatum dignitate, quòd septimi Clementis Pseudo Pontificis partes consectatus fuisset; deindè cum obsequio Bonifacium nonum sibi deuinxisset, ab eo Clusinum Episco-

pum

pum renuntiatum, anno 1404. ad Ecclesiam Perusinam translatum fuisse.

ALEXANDER de ODDIS Perusinus, vir omnium virtutum genere refertus, carmine etrusco in lucem edito, anno voluentis seculi decimi septimi, quadragesimo, parentauit Ludouico Alberto, Poetæ Perusino.

ALEXANDER OLIVA, siue de Oliua, Sentini in Vmbria natus, vulgó Saxoferratensis nuncupatus, puer Perusiam ad perdiscendas bonas artes properauit, cumque inter Eremitanos S. Augustini scientias mirificè didicisset, Perusinus potius, quam Sentinus dici maluit; Sapientiæ igitur fama conspicuus à Perusinis inter Ciues adscitus, paulò post virtutum, & pietatis meritis, veluti gradibus, ad summas sui ordinis dignitates euectus, Procurator primò, tum Prior Generalis renuntiatur. At cum Theologica doctrina, & vitæ sanctimonia clareret, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Susannæ ad duas domos à Pio II. Pontifice Maximo cooptatus, & Episcopus Camerinensis ordinatus. Perusiam transmissus, vt ciuiles discordias componeret, & intestina odia extingueret. Pacem igitur per annos viginti inter ciues firmauit, & tanto omnium plausu, vt Patriç seruator omnium voce acclamatus sit. Legatione insuper functus est sub eodem Pontifice ad recipiendum caput S. Andreç Apostoli. Viros doctrina præstantes, & probos magni semper fecit; illorum verò genus perniciosum, noxiumque Reipublicæ iudicabat, qui mendaces sunt, quique credita secreta aliis aperiunt; nam primi, suam; alij alienam produnt fidem. Supremus huic fuit dies 21. Augusti anni 1463. ætatis quintus, aut sextus supra quinquagesimum, dum valetudinis causa Tibure esset. Ossa translata indè Romam, iacent ad S. Augustinum cum sequenti Elogio.

Vt tibi sola dedit probitas, non gratia soli
Digno Cardineum nomine, reque decus.
Sic eadem indignis raptum dum tollit ad astra
Felix, hoc, inquit, Principe Roma foret.

ALEXANDRO OLIVA SAXOFERRATEN.
THEOLOGO CLARISSIMO
EREMITARVM B. AVGVSTINI
AB INFANTIA SPEI MAXIMAE ALVMNO;
QVI CVM ESSET SVIS ORDINIS GENERALIS,
OB SINGVLAREM DOCTRINAM,
ET VITAE SANCTIMONIAM,
CARDINALIS A PIO II. IGNORANS,
CREATVS EST.
VIX. ANN. LV. OBIIT ANN. SAL. MCCCCLXIII
XII. CAL. SEPTEMBRIS.

Tantus hic vir pro posteris suæ Doctrinæ monumenta reliquit.

De ortu Christi, seu de partu Virginis Mariæ Sermones centum.

De Cæna cum Apostolis facta Tractatum.

De peccato in Spiritum Sanctum opus.

Orationes plures elegantes.

Aliaque multa, quæ morte præuentus emendare, ac perficere non valuit, ideò euulgata non sunt.

Celebrant Alexandrum Auctarij Ciaconij: Thomas Gratianus in Anastasi; Herrera in Alfabeto Augustiniano: Hippolytus Marraccius in Purpura,& in Bibliotheca Mariana. Ioseph Pamphilus in Chronico Augustiniano. Auberyus in Vita Gallicè descripta. Ioannes Campanus Episcopus Intermanensis in Oratione funebri. Panuinius, Henricus Spondanus in Annal. Ecclesiasticis. Cardinalis Papiensis,& Franciscus Philelphus in epist. Hieronymus

Garim-

Garimbertus. Antonius Sanderus in Elogijs. Antonius Posseuinus in Bibliotheca. Ferdinandus Vghellius in Italia sacra. Nicolaus Cruson in Chronico Ordinis. Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum: & nos in Athenæo Romano. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Alexandro Oliua, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ: & alij quamplures.

ALEXANDER PENTINVS patria Perusinus, olim Seminarij Episcopalis, hoc anno 1677. Collegij Oradini alumnus, scripsit Carmen Latinum euulgatum Typis patrijs anno 1671. in commendationem D. Basilij Magni Episcopi Cesareæ; annis verò sequentibus, carmine latino laudes cecinit, D. Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, & Elogijs item latinis laudauit Ioannem Baptistam Bertum, Monachum Siluestrinum, & Federicum Trenta è Societate Iesu, sacri Oratoris in Perusina Basilica in Aduentu Domini, & in ieiunio quadragesimali.

ALEXANDER de PINNA Perusinus dum se humanitatis literis expediret anno salutis humanę 1671. Carmen heroicum, & aliud Elogiacum in laudem S. Basilij Magni panxit, euulgauitque typis patrijs ex Typographia Episcopali. Hoc præsenti anno 1677. Philosophiæ studio absoluto, scientiarium aliarum studijs operam nauat.

ALEXANDER patria Perusinus, BARTOLO antiquior, illum enim profert in C. doctrina illustris, scripsit in §. initium legis si quis ex argentarijs ff. de edend.

De hoc Alexandro tractat Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Gymnasijs eiusdem Vrbis.

ALEXANDER alius Perusinus literas suas latina lingua præfixit Rutilio, & Aquilæ Romano, antiquissimis Auctoribus, euulgatis primò 1519. per Nicolaum Zoppinum Ferrariensem.

ALEXANDER THIANVS Vmber patria Potolanus, Potiolus, alijs Puteoli, vulgò Puzzuolo, est Oppidum

Vmbriæ, ex Stephano Etruriæ, in Territorio Perusino, Medicinæ Doctor, anno nostri seculi septuagesimo in Patria viuebat, humanis malis medicinam adhibens. Hic anno salutis nostræ 1634. Carmen scripsit Etruscum in nuptijs Tiberij de Vbaldis, & Todeschæ Montisperelię, editum Perusiæ eodem anno.

ALEXANDER de VBALDIS Perusinus, Angeli senioris filius, & Baldi ex fratre nepos, Iurisprudentia clarus, florebat anno á partu Virginis 1490. quo Biordus Michelottus, dum Perusiæ principatum obtineret, sororem illi suam germanam, fœminam lectissimam in matrimonium collocauit. Scripsit volumen Responsorum, & Volumina decem Consiliorum.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de studio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum.

ALEXANDER de VBALDIS, alius à superiore, patria, & ipse Perusinus, Aurelij frater, dignitate Abbas, iam denatus, dum hæc de illo narramus, Elogium scripsit latinum Natæ Deiparæ, publici iuris factum anno nostri seculi tertio supra quinquagesimum.

ALEXANDER VINCIOLVS Perusinus, Ordinis Minorum, ac Pœnitentiarius Ioannis Romani Pontificis, huius nominis xxii., à quo ordinatus Episcopus Nuceriæ in Vmbria, Ecclesiam illam singulari sanctitatis exemplo, pluribus coruscans miraculis, administrauit, sanctisque legibus muniuit. E viuis exemptus est die 3. alijs 22. Maij anno 1363., sepultusque in Saxo ferrato, in Choro Fratrum Minorum, vbi pia credulitas fidelium, illum veneratur, vt Sanctum.

Huius honorificè meminerunt Lucas Vadingus tertio Tomo Annalium Minorum, Cæsar Alexius Centuria 1. Elogiorum, Ludouicus Iacobillus de Sãctis, & Beatis Vmbriæ, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra Tomo 1. in serie Episcoporum Nucerinorum.

ALOY-

ALOYSVS ALPHANVS Perusinus, Francisco patre natus, Bartoli nepos, cum Iurisciuilis studio operam dedidisset, á Martino III. dicto V. Pontifice Maximo Romam euocatus, Æsinus in Piceno agro Antistes renuntiatus, pię Sapientiæ, Sapientisque Pietatis monumenta plura edidit, non contemnenda, Extant adhuc eiusdem leges pro Clericis sibi commissis, conscriptæ. E viuis, magno publicæ dignitatis detrimento, incremento tamen famæ suæ abijt anno Salutis 1405. alijs 1435. Hunc Vghellius in suo Catalogo Æsinorum Antistitum Aloysium Francisci nominat, & Monachum Vallis Vmbrosæ facit.

De hoc tractant cum laude Cęsar Alexius in Elogijs Clarorum Ciuium Perusinorum Cent. 2. Marcus Antonius Bonciarius in oratione funebri Bernardini Alphani, Pellinus, Ciattus, Crispoltus in suis historijs.

ALOYSIVS SAXVS Sacerdos Perusinus, qui hoc anno 1677. vitam ducit honestam, Paræciæ Xenodochij patrij, de Misericordia dicti, Prępositus, scripsit latina lingua plura, nempe anno 1666. Carmen de Natiuitate Deiparæ. anno verò 1670. Elogium in Laurea Dominici Orsuccij Lucensis, & annis 1665. & 1671. ac 1662. Carmina in laudem D. Basilij Magni; Elogium in commendationem Maurij Baronij, Abbatis Oliuetani, & Carmen pro Ioanne Baptista Berto Romano, Monacho Siluestrino, ambo Euangelij Præcones in Cathedrali Perusina, tempore aduentus Domini, & quadragesimalium ieiuniorum, fuère.

ALOYSIVS SCARAMVCCIA Pictor Perusinus, floruit nostro seculo pennicillo, non minus, quam calamo. scripsit enim vernacula lingua Italica Opus, sub titulo *le finezze de Pennelli Italiani, ammirate, e studiate da Girupeno, sotto la scorta, e disciplina del genio di Raffaelo d'Vrbino*, editum Papiæ in 4. apud Ioannem Andream Magri 1674.

ALPANVS ALPHANI Perusinus, Mathematicis cla-

rus, floruit ſeculo decimo ſexto à partu Virginis, ſcripſitque multa, quæ poſterorum incuria perierunt; per annos ſeptem ſupra triginta præfuit ærario Apoſtolico; Patriæ nomine Legationibus pluribus functus cum laude eſt. Octogenario maior è viuis abijt anno ſalutis 1550. Iacet in Eccleſia S. Franciſci apud Bartolum.

De hoc Pompeus Pellini in hiſtoria Peruſiæ, Criſpoltus lib. 3.

ALPHONSVS ALEXANDER Peruſinus Sacerdos, eruditione, & eloquentia clarus, Academicus Auguſtus, edidit in Patria anno noſtri ſeculi decimi ſeptimi, quinto Orationem etruſca lingua, à ſe habitam in parentalibus Fr. Anſelmi de Settis Ordinis Seruorum B. Virginis.

Celebrant Alphonſum hunc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

ALPHONSVS de SACCVTIIS Peruſinus Canonicus Regularis Sancti Saluatoris, & in Vrbe ſui ordinis Procurator, eloquentia noſtro ſeculo Orbi vniuerſo cognitus, anno eiuſdem ſeculi quadrageſimo ſeptimo Romæ apud Ludouicum Grignanum diſceptationem in 4. euulgauit, cum titulo, Lenta conſultandi feſtinatio, à ſe habitam, non in Comitijs Minoritis, vt refert Ludouicus Iacobillus in ſuo Scriptorum Vmbriæ Catalogo, ſed in Rauennate Canonica S. Io: Euangeliſtæ in Minoribus ſui Ordinis Comitijs celebratis 4. idus Maij eiuſdem anni, coram Io: Baptiſta Spada Patriarcha Conſtantinopolitano, & Æmiliæ Præſide, ac Io: Alphonſo Puccinello Abbate Generali, eiuſdem Collegij, & Conſultoribus, inclitiſque Rauennæ Optimatibus, & ſacratam Io: Carolo Mediceo Principi, ac S. R. E. Cardinali.

De hoc tractat Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

AMBROSIVS TRONTVS Patria Peruſinus, Poeta noſtro ſeculo non infimæ notæ. Carmine Etruſco Typis patrijs edito 1635. Timothei de Timotheis reſponſa celebrauit.

ANASTASIVS RINALDVS Perusinus, hoc præsenti anno 1677. Sacerdos ab Sacello apud Ducem Saluiatum in Vrbe, olim Seminarij Episcopalis Perusinus Clericus, in Natiuitate Deiparæ Elogium scripsit, ediditque in lucem anno 1653.

ANDREAS MANSVETVS Perusinus, Philosophiæ, ac Iurisprudentiæ Doctor sua ætate celebris, scripsit multas Quæstiones Iuris, quæ posterorum incuria perierunt, seu latent in tenebris.

De hoc Pompeus Pellini in sua historia Perusina.

Andreas Martini Bontempus Perusinus, Lelli magni Iuris consulti filius, Præfectura S. Luciæ vltra Arnum egregiè functus, anno salutis 1353. ab Vrbano V. ex Canonico Cathedralis Ecclesię, Capituli ipsius precibus ad Perusinum Episcopatum assumptus est. At cum in explicandis, peragendisque negotijs vniuersali Ecclesiæ magno vsui esset, Vrbanus VI. illum ad Romanam purpuram vocauit, cum Titulo SS. Petri, & Marcellini, eumdemque perpetuum Perusinę Ecclesiæ administratorem constituit; Vmbricaque legatione ornauit. Huiusce Constitutiones editæ pro subiectis Vmbris, & leges pro Clericis suæ Dioecesis scriptæ, extabant in Bibliotheca Ducis Vrbini, vti habemus ex eiusdem Indice.

Anno 1390. sub Bonifacio IX. è vita decedens, tumulatus est in Cathedrali.

Meminere Andreæ, Ciaconius cum Auctarijs, Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacræ, Panuinius, Auberyus in Vita, Felix Contelorius in Elencho Cardinalium.

ANDREAS, Patria Perusinus, Seruorum B. Mariæ Generalis, Theologus magni nominis, cuius aliqua opuscula in re theologica M.S. apud Religiosos sui ord. asseruãtur.

De hoc Pompeus Pellini in historia Perusina.

ANDREAS Perusinus de Viano, seu de Vrsiana, Ordinis Minorum regularis obseruantiæ Theologus, claruit nostro seculo, & scripsit.

Dispu-

Diſputationem de Prædeſtinationis cauſa.

Speculum de Conceptione B. Virginis: Patauij apud Io: Baptiſtam de Maſſinis anno 1627.

Analyſin puriſſimæ Conceptionis B. Mariæ libro vno Venetijs apud Marcum Ginnanum 1634. in 4.

De hoc agunt Lucas Vadingus in libro de Scriptoribus Minorum. Hyppolytus Marraccius, Ludouicus Iacobillus, & nos in Athenæo Mariano.

ANGELVS BALIONVS Peruſinus, Sacræ Rotæ Romanæ Iudex, Maceratenſis indè, mox Recinetenſis Epiſcopus à Gregorio XII. anno ſalutis 1409. renunriatus, fato functus eſt anno 1412. Hunc Ferdinandus Vghellius Auditorem Cameræ Apoſtolicæ dicit, ac ſcripſiſſe Deciſiones plures ſcimus.

De hoc præter laudatum Vghellium, tractat Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium in Baliono de Balionibus.

ANGELVS BARTOLVS Typographus Epiſcopalis Peruſinus, anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi, trigeſimo, ſuis literis latina lingua Cæſario Boreæ Proepiſcopo Peruſino conſecrauit Elogia, & Epigrammata in duodecim Cæſares Suetonij; & anno 1639. alijs literis Scipioni à Staffa, Academiæ Inſenſatorum Principi Parentalia, Ludouico Alberto celebrata apud Academicos Inſenſatos 15. Kal. Mart. dedicauit.

ANGELVS BRVSCATELLVS è Petra Melina, Pago Diœceſis Peruſiæ, Seminarij Epiſcopalis Alumnus, anno voluentis ſæculi decimi ſeptimi, primo ſupra ſeptuageſimum Carmine latino cecinit laudes D. Baſilij Magni Epiſcopi Ceſareę.

ANGELVS EVGENII, alijs Eugenianus, Minor Conuentualis, patria Peruſinus in ſacra Theologia Magiſter, ſcripſit Italicè de ſeptem Sacramentis, ſub titulo, *Ragionamenti familiari ſopra li ſette Sacramenti*, Tomis duobus, Neapoli anno 1625. per Camillum Cauallum euulgatis.

De

De hoc Lucas Vadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, & Ludouicus Iacobillus de illis Vmbriæ.

ANGELVS FRANCISCVS COPPOLVS Iuris Vtriusque Doctor, & causarum Patronus, patria Perusinus, anno voluentis sæculi decimi septimi à partu Virginis quinto supra quadragesimum, suis scriptis euulgatis, typis Augustis, votum responsiuum Timothei de Timotheis de celebratione Missarum consolidauit.

ANGELVS de ODDIS, Comitis Francisci filius, patria Perusinus, anno voluentis seculi septuagesimo septimo, scripsit, ediditque in lucem latina lingua Elogium in laudem P. Federici Trenta, Lucensis, Societatis Iesu sacri Oratoris, eodem anno in Cathedrali, S. Laurentio sacra, tempore quadragesimalis ieiunij.

ANGELVS PALLERIVS Perusinus, sacræ Theologiæ Doctor, & Poeta, non vulgaris, anno 1637. Iuris propugnaculum Timothi de Thimoteis metricè commendauit.

ANGELVS PERIGLIVS, seu de Perillis Perusinus, humanoribus literis, & rerum indagatrice Philosophia imbutus, Doctor subtilissimus, & peritissimus, aliquandiù in Patria Ius ciuile publicè professus est. Venetijs causarum Patronus aliquando vixit indè Romam vocatus, Aduocatus Consistorialis renuntiatur; Mox Patauium accitus, Paulum Castrensem æmulatus est. qua in Academia nullus eo, ex Panzirolo, subtilius docuit, aut acrius disputauit; Ibique anno reparati Orbis 1432. Opusculum de Suitate, & alterum de Societate composuit, ediditque etiam tractatum de Sequestris, alium de Vetturis, nec non de paleis & oliuis; de Sindicatu officialium, de Liberis, & Posthumis, de additione in materia testium ciuilium; Commentaria super 1. & 2. Infort. super 1. & 2. ff. nou. Repetitiones, & Volumen Consiliorum.

Eiusdem literæ M. S. asseruabantur in Bibliotheca Antonij

tonij Augustini, vti habemus ex Elenco Io: Vuolphangi. Repetitiones verò in varias leges exactissimè exaratæ custodiebantur apud Hæredes, vti etiam lectiones.

Tandem Perusium reuersus, dum ibi interpretis Officio fungitur, annis, meritisque maturus, Legationumque munere pro Patria feliciter obito, è vita excessit anno salutis 1446. seu 1447. Conditus post obitum in Templo Seruorum B. Mariæ.

Meminerunt huius cum laude Angelus Portenarius in libro de Patauina felicitate, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta, Guido Panzirolus de claris legum interpretibus, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ. Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum Pompeus Pellini in sua historia.

ANGELVS PERIGLIVS, seu de Perillis iunior Perusinus, dignitate Abbas, & Canonicus Patriæ Cathedralis nostro seculo, doctrina, & Poesi clarus, viuebat, podagricis tamen affectionibus afflictus, anno eiusdem seculi tertio supra quadragesimum, quo literas latino Idiomate dedit ad Timotheum de Timotheis, cuius laudes Odis cecinit, quæ omnia typis patrijs euulgata inuenies annis 1637. & 1645. apud Petrum Thomasium, & Hęredes, cum propugnaculo Iuris, & Necrophilia eiusdē Timothei.

Carmine verò Etrusco Modestum Benuenutum, Monachum Siluestrinum, auctorem historicæ relationis Sanctorum Patronorum Vrbis Recinetis in Piceno, debitis laudibus extulit; latino autem, Georgij Boreæ obitum defleuit.

FR. ANGELVS è familia Porta Sole, Perusinus, cuius integritatem vitæ non obscura auspicia parituræ Matri, Leonis ostensa imago præmonstrauit. Ab ipsa pueritia; homine maior, pia religiosæ mentis voluntate, ad D. Dominici familiam religiosissimam se contulit, in qua

Philoso-

Philoſophiæ, ſacræque Theol. Profeſſor, Euangelij Præco, pietate, ac doctrina celebris, præcipuas Italiæ Ciuitates perluſtrauit. Tantus hic vir, iam grandæuus Superiorum ſuorum iuſſu Regulas ſcripſit pro Tertiarijs ſui Ordinis, & Sodalitijs eiuſdem ordinis, inter Pœnitentiarios Pontificios aliquando ſedit in Vrbe. Deindè à Ioanne XXII. Romano Pontifice, anno á partu Virginis 1324. ad Fpiſcopatum Sullitanum in Sardinia, indè anno 1330. ad Roſeti in Etruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi promotus, illi per annos quaturor præfuit. E vita migrauit in Ænaria Inſula Campaniæ, in ſinu Puteolano, die 22. Februarij 1334. Corpus, ex ſupremis tabulis translatum Peruſium iacet in Eccleſia ſui ordinis, eiuſque effigies coloribus expreſſa in proximo Cænobij Clauſtro cum ſequenti Elogio viſitur.

B. FR. ANGELVS PERVSINVS,
OB EXIMIAM VIRTVTEM,
AC
VITAE SANCTITATEM
A IOANNE XXII.
ROMAE POENITENTIARIVS ELECTVS,
ET AB EODEM
EPISCOPVS GROSSETANVS CREATVS.
OBIIT MCCCXXXIV. HISCHIAE.

De hoc tractant Caſtillius, Betonius in hiſtoria Prædicatorum, Seraphinus Razzius de SS. ac BB. eiuſdem familiæ, Io: Michael Pio, Bzouius in Annal. Eccleſ. ad annum obitus, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra in ſerie Epiſcoporum Roſetti, Ludouicus Iacobillus Tomo 1. Vitarum SS. ac Beatorum Vmbriæ, Alexander Baleſtrinus in Memorijs Peruſinis, Cæſar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium, Criſpoltus lib. 3.

FR. ANGELVS SERPETRVS Peruſinus, vix infan-

tiam egressus Franciscanæ familiæ Conuentualium nomen dedit, in qua doctrina, & pietate ornatus, omnium consensu Generalis totius Ordinis electus est anno salutis humanæ 1450. Adfuit Vmbriæ fidei Quæsitor, & sub Eugenio IV. Synodo Florentinæ. Omnibus sui ordinis Cœnobijs pedestri itinere, miro sanctitatis exemplo perlustratis, vt animum ad sanitatem, atque ad sanctitatam obfirmaret, parcissimæ mensæ assuetus, perpetuis lucubrationibus addictus, Literariam Rempublicam doctissimis Commentarijs in quatuor libros Sententiarum adeò locupletauit, vt Tostati cognomento vocaretur. Obijt in Patria die 19. Augusti anno, seculi decimi quinti post Christum natum quarto supra quinquagesimum; à S. Antonino Archiepiscopo Florentino dictus vir magnæ scientiæ. Iacet ibidem in Ecclesia S. Francisco sacra ad aram maximam sub his carminibus.

Angelus vt tenui nunc mortuus occubat Vrna
Hic genitus Patriæ gloria magna fui.
Cum Bernardini Templo celebrat, & ara est
Francisci, Custos tunc Generalis eram.
Pontifice Eugenio Græcos, hæresimque refelli
Et tetigi fama sydera celsa mea.

Angelum hunc laudant Gonzaga, Vuadingus in Chronicis Minorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum Cent. 2. S. Antoninus in Chronico. Pellinus, Crispoltus, Ciartus in suis historijs.

ANGELVS de VBALDIS senior, patria Perusinus, Francisci, alijs Petri filius, Baldi, & Petri clarissimorum Iurisconsultorum frater, & æmulator gloriæ, vix vigesimum attingens annum, & nondum doctorali

ornatus

ornatus Laurea, ſumma cum laude diſceptantium controuerſijs patrocinatus: mox laurea donatus, omnium eruditiſſimus, & vbique terrarum celeberrimus, Peruſiæ primúm, mox Bononiæ, Florentiæ, & Patauij ius ciuile publicè docuit, & multa de eo argumento volumina, quæ peritorum in manibus, ſunt, ſcripſit, videlicet.

In totum ferè Ius ciuile, nempe libros 4. ſuper Inſtitutiones.

Libros 24. ſuper ff. vetus.

Libros 14. ſuper Infortiatum

Libros 9. ſuper Codicem.

Libros 6. ſuper ff. nou.

De Inuentario.

De aditione cum Inuentario.

De Sequeſtrationibus, & Sequeſtris.

Conſiliorum Volumen, & alia in Criminalibus.

Vir Iudicij, doctrinæ præſtantia, non ita Baldo fratri, ipſa vt ętate inferior, planè nulli ſecundus, quia fratre non minor; Deceſſit à nobis dum eſſet Florentiæ anno ſalutis humanæ 1423. alijs 1424. ætatis ſuæ quinto ſupra ſeptuageſimum, cum in Patria Monaſteria Monialium, & Religioſorum virorum in via Aegeris erexiſſet, erat enim opulentiſſimus.

De hoc Pompeus Pellini in hiſtoria, Cæſar Criſpoltus, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæſar Alexius in Elogijs Ciuium Peruſinorum cent. 2. Bergomenſis in ſupplemento Chronici, Alexander Baleſtrini in memorijs Peruſinis, Valerius Forſterius in hiſto. leg. Ciu. Bartholomæus Caſſaneus Conſ. 39. n. 9. Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, in Petro de Vbaldis, Ioannes Ficardus, Zilettus, Guido Panzirolus de claris legum Interpretibus, Paulus Merula in deſcriptione Italiæ.

ANGELVS Iunior de VBALDIS, patria Peruſinus,

Baldi filius, Angeli ſenioris nepos, natura, conſuetudine, & diſciplina leniſſimus, ad ius ciuile natus, quod publicè expoſuit, & mirum in modum ſuis ſcriptis illuſtrauit, ſcripſit enim in leges plures, ediditque tractatus varios.

De hoc Leander Albertus in deſcriptione Italiæ.

ANGELVS alius de VBALDIS, filius Alexandri, Angeli ſenioris nepos, natus ex ſorore Biordi de Michelottis, Peruſiæ Dynaſtæ, paternarum, auitarumque virtutum imitator eximius, Comitis, Militiſque dignitate condecoratus, Ferrariæ, ac Peruſiæ per annos triginta Ius Ciuile ordinarium publicè explicauit. A Siſto IV. Pontifice Maximo, Romam vocatus, Aduocatorum Conſiſtorij Pontificij Collegio adſcriptus, à Ferdinando III. Imperatore Comes Palatinus renuntiatus, obijt ſenex in Patria, anno ſalutis humanæ 1492. ſeu 1493. & in Æde S. Franciſco Aſſiſienſi ſacra conditus.

Tantus hic vir luci publicæ commiſit decem Volumina Reſponſorum, Conſiliorumque, & luculenta Commentaria in Iuſtinianeum Codicem, nec non Repetitiones in l. qui ſe Patris. C. vnde liberis. Horum aliqua publici iuris ſunt cum illis diuerſorum, alia M. S. adſeruabantur olim apud hæredes.

Perfecit etiam librum ſuper ff. vet. ab Angelo auo cæptum.

Summis laudibus Angelus hic extollitur à Fichardo in vitis Iurisconſultorum, à Valentino Forſterio in hiſtoria Iuris ciuilis Romani, ab Alex. Conſ. 194. lib. 6. à Corneo Conſ. 137. lib. 3. & Con. 125. lib. 4. à Cepolla Vol. 3. Conſ. 423. à Iacobo Philippo Bergomenſi in ſupplemento Chronici, à Cęſare Criſpolto in ſua Peruſia Auguſta, à Carolo Carthario in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, ab Alexandro Baleſtrino in memorijs Peruſinis, à Ludouico Iacobillo de Scriptoribus Vmbriæ, à Cęſare Alexio cent. 2. Elogiorum Ciuium Peruſinorum, à

Paulo

Paulo Merula in deſcriptione Italiæ, & à Pellino.

ANGELVS VRBANVS ALEXIVS, Peruſinus, adhuc inter viuos hoc anno 1677. olim Seminarij Epiſcopalis Clericus, Carmen latinum de Puella Maria recenter nata ſcripſit, ediditque in lucem publicam anno eiuſdem ſeculi tertio ſupra quinquageſimum.

ANNIBAL FLORAMONTIVS Peruſinus ſuis literis italica lingua Peruſiæ in lucē editis anno 1677. Lucretię Barberinæ, Duciſſæ Mutinenſi ſacrauit Opus italicum euulgatum ſub Titulo *I Faui di Pindo*, in Monacatu Martiæ Floramontię publici iuris factum.

ANNIBAL TARTALIA patria Peruſinus, Philoſophię, ſacræque Theologiæ laureatus, qui anno 1676. Sacerdotio præditus vitam viuebat honeſtam in patria Vrbe, cum in Collegio Seminarij Epiſcopalis ſtudijs vacaret, Carmine latino cecinit laudes D. Annę Matris Deiparæ. & annis 1665. & 1671. illas D. Baſilij Magni.

ANNIBAL VALERIANVS, olim Seminarij Peruſini alumnus, Porœciæ Corciani Sacerdos, ſingulari humanitate, ac magna quadam rerum varietate, & orationis elegantia præſtans, manus admouit amicorum pręcibus ad hiſtorias Patrias, quas morte, ſequuta anno 1646. pręuentus, perficere non valuit. Huiuſce latina Carmina anno 1643. typis Peruſinis euulgata in laudem Alexandri Algardi, vidi; nec non alia ijſdem typis publici iuris facta anno 1637. in funere Georgij Boreæ nobilis Lugenſis, & alia in commendationem Diomedis Giliani, Bartholomęi Patris Opera edentis in lucem.

Meminit huius Io: Baptiſta Laurus in ſuis epiſtolis.

ANONYMVS Scriptor Peruſinus, ſeculo pręterito libellum edidit ſub titulo; Eiectio nouarum literarum inutiliter additarum Tuſcorum linguę.

De hoc eſt mentio apud Vincentium Oradinum in Opuſculo de adictione nouarum literarum Italię linguę.

ANSELMVS SECTVS, ſeu de Settis Peruſinus, Ordinis

dinis Seruorum B. Marię Virginis, Prouinciæ Romanæ Prouincialis, pluribus animi dotibus præditus, calluit enim Musicem, Geometriam, & Astronomiam. Professus est per annos plures Philosophiam, & sacram Tgeologiam, apud sui Ordinis religiosos; & in pręcipuis Italiæ Vrbibus sacras Conciones habuit.

Reliquit pro posteris super Logicam, Philosophiam, ac Theologiam non spernenda Commentaria, nec non concionum Volumina plura. Scripsit insuper de Imitationis arte, & in Octo Phisicorum libros Commentaria; & Raymundi Lulli libros Topociorum ad breuiorem, facilioremque Methodum redegit.

E vita migrauit in Patria initio seculi decimi septimi à Partu Virginis, & in eius funere orauit Alphonsus Alexander Conciuis.

De hoc tractant Archangelus Gianus Parte 2. Annal. Seruorum B. Mariæ, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

ANSELMVS VIGNATVLVS Perusinus Presbyter, & Prępositus S. Elisabetę, adhuc hoc anno 1677. inter viuos, olim Clericus Seminarij Episcopalis scripsit latina lingua Orationem, & Carmen, in Natali Deiparę Virginis, publici iuris typis Perusinis facta, anno nostri seculi tertio supra quinquagesimum.

ANTINORVS de BAPTISTIS Iuris consultus Perusinus, & causarum Patronus, votum resolutiuum Timothei de Thimotheis de celebrationis Missarū, scriptis suis editis cum ipso voto, typis Patrijs anno 1645. confirmauit; cum prius, anno videlicet 1635. responsum decimum, & decimum quintum eiusdem Timothei in Perusina executionis sententiæ solidis rationibus confirmasset.

Antonius Balleonus Perusinus, anno à Partu Virginis 1671. scriptis consignauit Carmen heroicum de D. Basilio Magno Episcopo Cesareæ, quod publici iuris factum typis Episcopalibus eodē anno percurrere quisque poterit.

anno

anno item ſequenti Elogium euulgauit in commendationem Abbatis Mauri Baronij Oliuetani,anno verò 1677. Carmen latinum in laudem P. Federici Trenta è Societate Ieſu, Sacrororum Oratorum.

ANTONIVS BARTOCCINVS è Mariano Oppido territorij Peruſini, profeſſione Clericus, vitam ducebat in Patria anno 1676. olim Clericus Seminarij Peruſini Epiſcopalis, Carmine latino Coronam Stellarum duodecim ſuperimpoſitam capiti B. Mariæ Virginis, ſummis laudibus extulit.

ANTONIVS BLANCVS Clericus Peruſinus, anno huiuſce ſeculi decimi ſeptimi à partu Virginis, ſeptuageſimo primo, Carmine latino prærogatiuas D. Baſilij Magni Epiſcopi Ceſareæ expreſſit.

ANTONIVS BVRGARI, Comitis Marciani filius, Ciuis Peruſinus, & Vrbeuetanus, eloquentia claruit ſeculo decimo quinto poſt partum Virginis, cuius annus quartus ſupra octogeſimum fuit illi poſtremus, & lethalis, cum ſcripſiſſet hiſtoriam Comitum Marciani.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ in Vgolino.

ANTONIVS, alijs IO: ANTONIVS CAMPANVS, ruſticæ mulieris filius, natus ſub lauro, ex aliquibus in agro Peruſino, ex alijs in Cauella, à Galluſio non procul, ignobili oppido in Campania vnde cognomen traxit. Hanc ſuam obſcuram originem his verſibus ipſemet expreſsit.

Gallusij in primis mœnia parua mei,
Parua, ſed ingenio cognita rura meo.
Mittere nil gratius noſtra potuère Cauellæ.
Texère ingenium rura paterna meum.

Hunc mater feſſa opere peperit ſub lauro, haud obſcuro ſanè præſagio fore, vt aliquando puer, eximia poetica

laude

laude floret. Parentibus iam indè á puero orbatus est; orbatumque affines, in quorum fide, potestateque erat, tenuioris fortunæ sordidis ministerijs illum exercuerunt; ita vt etiam pascendo pecori destinaretur. Elucebat tamen in puero nobilior indoles, quã quæ sordidis illis muneribus diutius detineri posse videretur; itaque rurali Sacerdoti in seruitutem datus, ab eo latinæ linguæ rudimenta excepit; sed cum maius in dies ingenium discendo proderet, quam quod vnius Magistelli præceptionibus excoli posset, missus Neapolim est, vniusque eius inclytæ Ciuitatis Patritij, ita fauore adiutus, vt amænarum Musarum vberrimè fructus exhauserit. Volutabat Priscorum scripta, selectiora quęque mandabat memoriæ, atque ad illarum imitationem subindè exercebat stylum, ita vt breui Poetarum sui seculi cultissimus planè euaserit, haud falso omine primos vitales spiritus habuisse sub lauro.

Immortalis memoriæ Præceptoribus vsus est, præcipuè Laurentio Valla, viro eruditissimo. Discessit Neapoli Perusium versus, ad legum studium, vix in itinere Senensium confinia attigerat, quando repentino procursu á Grassatoribus circumuentus, ac spoliatus, nudus penè se contulit Perusium, vbi licet iure euasisset consultus, nihilominus tamen publicæ vtilitatis gratia, humaniores literas professus est, tanta vel Auditorum admiratione, vel vtilitate, vt honoris ergò inter Ciues suos Senatus Perusinus asciuerit. At non modo Perusinam, sed alias etiam Italiæ Academias sua sapientia illustrauit Campanus. Patauij autem iam adultæ eruditionis non tam se Doctorem, quam discipulum præbuit; quippe sub Demetrio Chalcondyla Græcam eruditionem vbertim potauit. Reuersus indè Perusium Bracci fortissimi Ducis vitam perscribere aggressus est, & perfecit: in quo quidem opere, si, ab affectu liber, ab adulatione, procul fuisset, futurum erat, vt hæc eius Braciana historia, ob styli elegantiam posset cum priscis compositionibus virorum illustrium

illuſtrium conferri. Igitur cum eloquentiæ fama apud Italicos Principes maximè inclaruiſſet à Calliſto Tertio Summo Pontifice Romam accitus, vt á Pontificijs epiſtolis eſſet; sèd vix intrauerat Romam cum morte Pontificis, ſenſit ſpes ſuas fuiſſe deluſas. Cœterum cum Pij ſecundi ſucceſſoris, ſimilitudine ſtudiorum ſe in familiaritatem inſinuaſſet, Magiſter domus Cardinalis Saxoferratenſis effectus eſt; quippè cui tam lireris pertractandis, quam explicandis negotijs habile foret ingenium. Iacobo Ammanato, Papienſi Cardinali familiariter vſus eſt, vt etiam cœteris Italiæ Principibus in pretio, atque honore fuit. Demum à Pio eodem ob ſpectatas virtutes ad Epiſcopatus dignitatem ſubuectus eſt. Rexit primò Crotonienſem, in magna Gręcia, in ora Calabriæ vlterioris, mox Aprutinam in Picenatibus Eccleſiam ſitam, dictam etiam Interamnatem, quam hodiè vulgó Teramum appellamus, ſecus fauces Tordini fluminis, quæ antiquis olim Albula fuit. A Paulo II. ſucceſſore liberaliter cultus, *Sancti* Euſtachij Archipresbyteratum, præpingue ſacerdotium accepit. Poſt hęc Franciſco Picolomineo Cardinali in Germaniam legato proficiſcenti comes datus, & particeps conſiliorum eſt factus. In Publico Principum Germanorum conuentu ſæpeſępius perorauit, vt bellicoſam illam gentem in imminentes propè Turcas armaret. Adhuc Paulus II. Petri nauim regebat, quando in Italiam è Germania pedem referens Tudertum in Vmbria Ciuitatem ſuſcepit adminiſtrandum. Sub Sixto IV. Fulginatibus, Caſtellique Ciuitati in Vmbria iura dixit; quo poſtremo munere fungentē repentè fortuna illum deſtituit; quippè cum hæc Vrbs ſeditionibus aggitata, citra culpam Pręfecti exæſtuaſſet, ita facinus pupugit Pontificem, vt Campanum, tamquam rebellionis conſcium Pontificio edicto, munere deturbauerit, & extra Eccleſiaſticam ditionem iuſſerit exulare. Non valuit ipſe per ſe, non valuerunt amici apud Pontificem, Campanum

illius suspicionis excusare, quare posthac vitam ærumnosam, mutando sępè exilia, traducere coactus est; modò enim apud Ferdinandum, Neapolitanũ Regẽ, modò apud Senenses, Pij secundi memoria recreatus, moras trahebat, visurus an ameniores Musas ad sui contubernium iterum excitare valeret. Sed vix composuerat animum, cum dolor rursus amissæ gratię, ita ęgrum animum angebat, vt ipse omni melioris fortunę damnata spe, animum pęnitus desponderet; quamobrem partim ęrumnis, partim comitiali morbo confectus, Senis in Etruria, anno salutis humanę 1477. interijt, Idibus Quintilibus. Supra regiam gazam, atque thesauros, literariam amplam, pretiosamque suppellectilem posteritati reliquit, quam ad publicam vtilitatem Michael Fernus in lucem emittendam curauit. Memoriam demortui Campani plures Poetæ, diuersis carminum generibus illustrarunt; sed ea tantum, quæ in eiusdem laudem, quæque apud Sacellum Sancti Ioannis Baptistæ in Carhedrali Senensi, vbi iacet, incisa leguntur, referam, & sunt.

Campanus iacet hic; nostri clarum decus æui,
Eloquio resonans, carmine, & historia.
Nec tamen hic totus; sola hic sunt ossa, petiuit
Cœlum anima, ast Orbem gloria, corpus humum.
Interijt corpus, viuit sed gloria, viuit
Spiritus, in solo corpore mors potuit.

VIXIT ANNOS L. OBIIT ANNO
MCCCCLXXVII.

Ipse sibi gentilia effinxit insignia, in quibus vberrima oliua, expansis in cœlum ramis, cui desuper plenior luna affulget, exurgit; monens fortassis eo erudito cõmento posteritatem, non sine Cœlitum ope, sibi feracissimum adfuisse ingenium.

Est

Est tanti viri mentio apud Cæsarem Alexium in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum, nec non apud Ferdinandum Vghellium in serie Episcoporum Aprutinorum Tomo 1. Italiæ sacræ.

ANTONIVS CANTAGALLINA Perusinus, Parentum cura tam enixè politioribus literis operam dedit, vt ex illis, veluti per ostium scientiarum aditum sibi ad Philosophiæ, & ad Legum arcana patefecerit: Cum autem tanti viri eximię doctrinæ fama non modò apud domesticos, & conciues, verum etiam apud exteros percrebuisset, adhuc iuuenis Romam accitus à Nicolao V. Pontifice Maximo inter Iudices Rotæ Romanæ cooptatus, scripsit pro posteris Decisiones plures. Non planè Senex è vita migrauit in eadem Vrbe anno salutis 1435. Iacet in Ecclesia S. Mariæ de Ara Cæli sub hac Epigraphe.

DOMINO ANTONIO CANTAGALLINAE
I. V. D.
QVI PARVO TEMPORE IN CVRIA,
ET ANIMI VIRTVTE,
EXQVISITA DOCTRINA CLARVERAT
LAVRENTIVS FRATER CONCORDISSIMVS
VITA FVNCTO,
FACIENDVM CVRAVIT
ANNO DOMINI MCCCCXLVII.

De hoc Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum Cent. 2. Io: Baptista Laurus in Epistolis Cent. 2. Pompeus Pellini in sua historia.

ANTONIVS CATALVTIVS Iuris Consultus Perusinus, anno nostri seculi Decimiseptimi à partu Virginis quinto supra quadragesimum, Typis patrijs per hæredes Petri Tomasij edidit explicationem ad Rub. ff. ad L. Fal. ad tex. in l. 90. in quartam eod. tit. ad Gloss. ibi positas,

 & ad

& ad Bartoli Commentarium. Quæstionibus ab Ordinarijs Interpretibus exagitatis, omissis, sed tantum breuiter per oppositiones indicatis. Opus, vt mos est in Augusto Perusino Gymnasio, & nouitate interpretationum, & vtilitate Conclusionum, non minus Theoricis, quam Practicis fructuosum.

ANTONIVS GRATIANVS Perusinus in vtroque Iure Doctor, Gentilis Francisci de Gratianis Episcopi Perusini, inter Aduocatos Consistoriales cooptatus, clarebat anno salutis 1350. quo posteris tradidit Responsoria.

De hoc tractant Gomes in Regul. Cancel. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

ANTONIVS MARIA Alphanus Perusinus edidit in patria anno nostri seculi duodetrigesimo Poematia latina diuersa in laurea Fr. Aloysij Ciampany Melitensis, Ordinis Hierosolymitani.

ANTONIVS MARIA GALLETTVS Perusinus, perracto Philosophiæ, & Iurisprudentiæ stadio in patrio lycæo, ingressus Societatem Iesu, vota quatuor professus est, atque in ea Philosophiam, Theologiam speculatiuam, & moralem publicè docuit; rexitque ter Collegium Perusinum, cui paternam hæreditatem, quam adiuit vnicus filius post Parentis obitum, dono dedit. Demum ex ergastulo corporis ad Beatorum vitam, vti sperare iustum est, in viridi ætate transijt Romæ, quò se ex Perusino Collegio valetudinis causa contulerat, die 25. Nouembris, anno seculari sacro 1675.

Hic antequam Societati nomen daret, scripsit, ediditque Perusiæ annis 1637. & 1640. Poematia latina duo, cum Anagrammatibus, vnũ in commendationem Georgij Boreæ, nobilis Lugensis; alterum in laudem Ludouici Alberti.

Reliquit etiam M. SS. Philosophiam, ac Theologiam speculatiuam, ac Moralem, quas in Scholis dictauerat.

ANTONIVS MARIA GALLINELLA, Sacerdos Perusinus,

rusinus, doctrina, & pietate claruit, initio euoluentis seculi decimi septimi à partu Virginis, cuius anno vigesimo quinto, typis patrijs in 8. excusit italicè Tract. de Paupertate Religiosa, & de proprietatis vitio opposito, excerptum ex thesauro Religiosorum, Bartholomæi à Sancto Fausto, Monacho Congregationis Fuliensis; quod Opus Cosmo Cardinali de Torres, Episcopo Perusino sacrauit.

Scripserat etiam alios duos Tractatus; de Castitate vnum, alterum de Obedientia, sed mors interuenit.

ANTONIVS MARIA NARDVCCIVS Perusinus Academicus Insensatus, humani, diuinique Iuris professor in Patria, & in Maceratensi Gymnasio, scriptis consignauit multa in re legali, tradiditque posteris elegantum, venustiorumque Carminū etruscorum Volumen, vt refert Alexander Balestrinus in Opusculo de Gymnasio Perusino. Eiusdem Carmen etruscum euulgatum anno 1628. in laurea Ft. Aloysij Ciambany præ manibus habui.

ANTONIS NERVCCIVS Sacræ Theologiæ, & Iuris vtriusque Doctor Perusinus, anno nostri sæculi quinto supra quadragesimum scriptis suis, editis patrijs typis, confirmauit Votum resolutiuum Timothei de Timotheis de celebratione Missarum.

ANTONIVS NICOLAVS PASQVERIVS è Castilione Fusco Oppido in Territorio Perusino, Philosophiæ Sacręque Theologiæ Doctor, olim Seminarij Perusini Clericus, nunc Sacerdos, laudes Virginis Mariæ latino Carmine, edito typis eiusdem Vrbis anno 1666. cecinit; cum prius anno præcedenti simili Carminum genere D. Basilium Magnum, vt sacris literis operam nauaret, discedentem in Ægiptum, descripsisset.

ANTONIVS Perusinus, Seruorum B. Mariæ Virginis Generalis, in sacra Theologia versatus, scripsit plura in libros quatuor Sententiarum, quæ posterorum incuria perierunt.

Meminit huius Pompeus Pellini in sua historia.

ANTO-

ANTONIVS RICCIVS Perusinus anno nostri seculi sexto supra quadragesimum Carmine latino extulit D. Zaccharіam de Aloisijs, Cœnobij S. Petri de Perusio Abbatem, edentem Opusculum inscriptum *Racconto delle funtioni litterarie, fatte da Monaci Cassinensi nel Capitolo generale, celebrato nel Munistero di S. Pietro di Perugia, l'anno sudetto.*

ANTONIVS TIMOTHEVS Perusinus, inter sacræ Theologiæ Doctores cooptatus; Cardinalis Varmiensis, & Bosij Episcopi Nouariensis à Theologia, & à curis pastoralibus accuratissimus Consiliarius, Notulas ad institutiones Canonicas Io: Pauli Lancellotti ad Theologicum sensum apprimè accomodatas edidit, potiora editurus, ni grauidum, & fætosum bono publico ingenium Mors, fato præpropera terris eripuisset anno à Christi ortu 1584. Eiusdem literas latina lingua ad Franciscum Cantuccium euulgatas inuenies Perusiæ 1576. cum Bartoli Vita.

Meminit huius Timotheus de Timotheis Nepos in sua Necrophilia.

ANTONIVS VALERIVS FLORENTIVS, è Castilione fosco, Sacerdos, cum Clericus in Seminario Episcopali Perusino degeret Virginitatem D. Basilij Magni commendauit, & anno sequenti B. M. Puellæ lachrymulas Carmine latino extulit: vitã viuebat anno 1676. in Patria.

Antonius, alijs Carolus Antonius Verducciolus, Perusinus, Felicis eiusdem agnominis nepos, Præpositus Ecclesiæ S. Isidori, vitam viuit, Sacerdote dignam hoc præsenti anno 1677. olim patrij Seminarij Episcopalis Clericus Carmen scripsit latina lingua ad B. Virginem Mariam, de vetustissima, & omnium prima Seminarij Perusini fundatione, facta anno salutis 1559. quod typis Parijs euulgauit anno nostri seculi tertio supra quinquagesimum.

ANTONIVS VIGNATVLVS, è villa Mansionis, vulgò

la Ma-

la Magione, in Territorio Perusino, Clericus Seminarij Perusini Orarionem habuit de Natali die Virginis Marię, editam in eadem Vrbe anno salutis 1644. Vitam inter Mortales ducebat anno 1676.

ARIGVCCIVS de ARIGVCCIIS, vel Ariguccius, Patria Perusinus, scientijs Orbi literario notissimus, publicè Ius ciuile primùm in Patria, mox Patauij vna cum Succino Iuniore professus est, munusque suum pluribus annis magna cum laude, suique nominis gloria expleuit. Indè in Patriam reuersus Legationes plures Reipublicæ bono feliciter obijt ad Clementem VII. & Paulum III. Romanos Pontifices, patriasque leges in vnum congessit, ac ferè nonagenarius vita functus est annis 1559. alijs 1560. Reliquit etiam pro posteris M. SS. Tractatus plures.

De hoc tractant Pellinus, Crispoltus in suis historijs, Cęsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum, Alexander Balestrinus in memorijs eiusdem Vrbis.

ARMANNVS ARMANNI Perusinus. Vide inferius Petrus Armannus.

ASCANIVS BARTOCCINVS è Margiano, Clericus, anno nostri seculi 65. heroico Carmine, habito à se in Seminarij Episcopalis Perusini Collegio, ostendit Iunium mensem in fastis adscriptum, D. Basilio Magno Cesareæ Episcopo consecratum. Epigrammate quoque laudauit Iacobum Oddum in Principe Basilica Perusinā Archidiaconum; anno verò sequenti Deiparam corona stellarum duodecim redimitam descripsit.

ASCANIVS PAOLVCCIVS patria Perusinus, strenuus Dux, & Pœta magni nominis, scripsit Carmē in laudem Amoris, euulgatum cum illis Leandri Bouarini anno 1603. Perusiæ, & aliud publici Iuris factum typis Romanis anno 1602. in volumine Philippi Alberti.

Ascanius Rainaldus, Syrenæ filius, viuidi ingenij vir, eximiæque eloquentiæ, qua omnium admiratione, & plausu è publico patrij Gymnasij Perusini suggestu Ius

Ciuile

Ciuile docuit; inter Florentinæ Rotæ Iudices admiſſus, dum honorificum illud, & ſpontè oblatum munus ſumma cum laude obit, aduerſa valetudine correptus, in ipſo virilitatis flore ſublatus eſt; In poſterorum commodum ſcripta relinquens Conſilia plurima, & Lucubrationes diuerſas in Iure Ciuili.

De hoc Cæſar Alexius in Elogijs.

ASCANIVS RANDOLI Peruſinus, humani diuinique Iuris peritus, vir probus, Sacerdotio ornatus, Auguſtini Cardinalis Valerij in Diœceſi Veronenſi Proepiſcopus, doctrina prędirus, ſcripſit multa de Sanctis, & de re ſacra, adfuit enim à ſtudijs ipſi Cardinali Epiſcopo, vt referunt.

Auctores vitæ ipſius Cardinalis, & Alexander Baleſtrinus de Gymnaſio Peruſino.

ASCANIVS SCOTVS Peruſinus, Gręcis literis, latinaque facundia decoratus, profeſſor Iuris Ciuilis primò in Patria Academia, deindè in Conimbricenſi, ad quam Cathedram ab ipſo Luſitaniæ Rege pingui mineruali vocatus eſt. In hac facultate, quam optimè callebat, multa ſcripſit, vt referunt Luſitanici ſcriptores, qui ſæpeſæpius Aſcanium noſtrum in ſuis libris cum honore proferunt. Eques ab Rege Luſitanico factus, ingentibuſque donis decoratus, in patriam reuerſus, magno in honore fuit. Plures Legationes eiuſdem nomine peregit. Ad primarium Iuris prudentię Cathedram ſummo omniũ plauſu euectus eſt. E tanto ſummorum honorum culmine, iam ſenex ad tumulum, non ſine Ciuium luctu pęrductus eſt anno ſalutis humanę 1570. alijs 1575.

De hoc tractant Alaxander Baleſtrinus in ſua hiſtoria de ſtudio Peruſino, Andreas Alciattus in ſuis Pererghis, Criſpoltus lib. 3. Peruſiæ Auguſtæ, Franciſcus Coppetta, Pellinus, Alexius Cent. 2.

ASTERIVS BALESTRINVS, patria Peruſinus, Io:Baptiſtæ Lauri gentilis, Poeta non ignobilis; ſcripſit Carmen

Elogia

Elegiacum in exequijs anniuersarijs Platinæ; & Anacreonticum de Annulo pronubo Deiparæ Virginis, sanctè, ac religiosè Perusiæ asseruato, quod laudatus Laurus, è Cardinalis Iustiniani Bibliotheca, cum Commentarijs de eodem annulo publici Iuris fecit, typis Coloniensibus anno salutis humanæ 1626.

ASTORRES BALLEONVS Perusinus, Guidi filius primigenius, militia clarus, & prudentia, qui Passignanum expugnauit, armaque, strinxit in Asissinates; cum autem magni ingenij esset, & perdoctè iurisprudentiam calleret, Magistratus iussu leges patrias reparauit. Habuit, in vxorem Lauiniam, Ioannis Columnæ, & Iustinæ Vrsinæ filiam, vi extinctus est cum Patre, & Gismundo fratre anno reparati Orbis 1500.

De hoc Pompeus Pellini in historia Perusiæ.

AVGVSTINVS DIRVTA Perusinus Patria, Professione Eremita S. Augustini, sacræ Theologiæ Baccalaureus, cantus Moderator in Cœnobio S. Augustini de Vrbe, nostri seculi anno sexto supra quadragesimum, publicæ luci, typis Romanis, commisit libros vndeuiginti musicales in 4. apud Ludouicum Grignanum.

AVGVSTINVS LANCELLOTTVS Perusinus, professione Monachus, dignitate Abbas inter religiosos viros Montis Oliueti, quorum Cænobia Italiæ, superiorum iussu, publicus visor sæpe inuisit. Edidit Romę anno nostri seculi vndequadragesimo per Franciscum Zannettum Opus magnum, prænotatum, Deus Opifex sex dierum, in quo agitur de Creatione Orbis in sex dies disposita. Euulgauit etiam suæ Congregationis Constitutiones, atque è viuis abijt anno eiusdem seculi quadragesimo sexto.

De quo Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium ad Scipionem Lancellottum, Crispoltus lib. 4.

AVGVSTINVS SPINOLA, seu Spinula, Ioannis filius, patria Sauonensis, Nobilium Perusinorum Collegio adscriptus, ex Episcopo Alatino, & Perusino, à Clemente VII. Romano Pontifice renuntiatus Præsbiter Cardinalis S. Ciriaci in Thermis, primus, qui in nobilem Spinularum familiam, sacrum purpuræ honorem intulit, præter recensitas Ecclesias, Sauonensem in Liguria, & amplissimum Romanæ Quæsturæ Magistratum, quem Camerarium vulgò dicunt, summa prudentia per annos plures administrauit; interfuitque Concilio Lateranensi, habito sub Leone X. Huius sunt literæ, datæ Fratribus Minoritis, Terræ sanctæ loca colentibus, quas Fr. Lucas Vadingus in Annalibus Minorum rescripsit. Edidit etiam Constitutiones plures, & Decreta pro Clericis Ecclesiarum, quibus pręfuit. Decessit Romæ die 18. Mensis Octobris, anno seculi decimi sexti, septimo supra trigesimum.

De hoc Cardinali scripsere Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita; Aubertus Miręus in Spinolarum, Vbertus Folietta in Ligurum Elogijs, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, & Nos in nostrjs Athenæis Romano, & Ligustico, alijque plures.

AVRELIVS PELLINVS, sęculo præterito, in scientijs versatus, in laudem Philosophię Orationem scripsit, quam Fabriani habuit, & euulgauit Camerini anno 1581. Carmen quoque panxit latinum in funere Vincentij Erculani Episcopi Perusini.

De hoc agunt Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium de Vincentio Herculano seniori.

AVRELIVS SPICHIVS Præpositus Ecclesiæ ruralis in patrio Territorio Perusino, Clericus olim Seminarij Episcopalis, pulchritudinem B. Marię, recenter natæ, ex Cant. 6. Carmine latino, publici iuris facto, anno redemptionis humanæ 1653. laudauit.

AVRE-

AVRELIVS VBALDVS Perusinus, Alexandri, de quo superius, germanus frater, iam hoc præsenti anno 1677. denatus, Carmine latino, euulgato typis patrijs, anno 1653. B. Mariæ infantulæ pulchritudinem, laudauit.





B



AFFVS de BAFFIS Luculli Medici filius, natus Perusiæ, Philosophiam, ac Medicinam, parentis vestigijs inhætens professus est, eruditione tamen adeò excelluit, vt in Insensatorum Academia, de Antiquitate Perusiæ, coram Eminentissimo Boncompagno Legato, publicè differens, etruscorum marmorum, antiquorumque rituum & Augurum originem, ab Vrbe Perusiæ duxisse, magno ingenij acumine, subtilitateque demostrauerit.

In eadem Academia coram Eminentissimo Antonio Barberino, Vrbani VIII. Summi Pontificis nepote Cardinali Legato de latere, de laudibus Patriæ, Panegyricum habuit Italicè, publici iuris deindè factum typis Perusinis; qua in Vrbe edidit etiam Musarum Chorum, Opusculum consecrarum laudibus Ludouici XIII. Galliarum Regis, Italicè 1642. Versu insuper etrusco Ludouici Alberti funus celebrauit, anno salutis humanæ 1640.

Ex hac ad meliorem vitam transijt die 25. Iunij anno 1644. iacet in Ecclesia Sancti Hieronymi apud Patres Minoritas.

Meminit huius Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum.

BALDVS de VBALDIS, Angeli, ac Petri germanus frater, Petri, alijs Francisci, præclarissimi artium, & Theologiæ

logiæ Doctoris filius, celeberrimus Iuris Consultus, notissima Vbaldorum familia Perusij natus, vir acutissimi ingenij Bartolum suum præceptorem subtilitate, & varietate doctrinæ superauit; illi enim adhuc puero arguenti, respondere ex improuiso Bartolus ipse nequiuerit, sed in crastinum distulerit diem; eodemque absente, Gymnasium, quamuis frequens vacuum appellare consueuerit. Prius à Patre scientijs multis celeberrimo, Dialecticæ, ac Philosophiæ præceptis imbutus, mox Iuri Ciuili discendo se totū addixit. Præcoci ingenio puer, non ad optimam modò frugem, verum rarissimo naturæ dono ad senium peruenit. Post difficilimam legem Centum, Capuæ, anno ætatis decimo quinto explicatam, vno, & vigesimo; de Pactis Tractatum edidit. Perusiæ, Bononiæ, Florentiæ, ac Patauij per annos multos ius vtrumque explicauit; Denique á Ioanne Galeazio, Duce Mediolanensi Papiam accersitus, compluribus annis illic idem publicè professus est. Clementi VI. summo Pontifici egregiè carus fuit; qui sororis filium Cardinalem adolescentem Perusiam, ex Gallia, sub eius disciplina erudiendum misit, qui pariter, & ipse progressu temporis Pontifex renuntiatus, & Gregorius XI. appellatus, Præceptorem suum Baldum adeò obseruauit, vt ei non solum Ciuitatem Castri cum Iurisdictione donauerit, sed eius potissimum hortatu Sedem Apostolicam Auenione Romam retulerit. Habuit Baldus in vxorem Laudam de Comitolis, de Comitibus Collis Medij, ex qua inter alios filios Angelum habuit iuniorem, Zenobium Equitem, & legum doctorem, & Franciscum egregium Iuris consultum; De his interius, de primo superius. Quare de familia, de Patria, deque studijs literarum, & de ipsa Christiana Republica optimè meritus, cuius causam, diuino edito Consilio de Schismate pro Vrbano VI. à quo Festinum, agri Eugubini, Castrum, obtinuit, mirificè iuuit.

Senio confectus cum singulari amore, exemplo Magistri

gistri sui Bartoli, Minoritas prosecutus est, & ad vitæ extremum habitum illorum Religiosorum suscepisse testantur multi. Obijt Ticini anno sacro 1400. malé alijs 1423. ætatis octogesimo. Post obitum conditus in Templo S. Francisci Ticinensi propè aram maximam; sub his carminibus.

Vita, Labor studij; Diuini cultus amoris
Artes maturæ, legis fulgentia dicta,
Legalis normæ, Pastorum Cælica iura
Ornant Baldi animum, qui pandit dogmata clara,
Qui, quia nunc linquit mortalis pondera carnis
Dulcia iam gustans Authoris pascua Summi,
Clauditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Perusina conditus arce.

MORTVVS EST ANNO MCCCC. XXVIII. APR.

E priori loco translatus ad sublimiorem anno 1519 incisa lapidi, ibidem relicto, sequenti Epigraphe.

BALDVS EDICTIOREM LOCVM SORTITVS,
HIC POST QVAM ACTOS
ET DECEM SVPRA CENTVM ANNOS
OBDORMIVERAT. MDXIX.

Tantus hic vir his monumentis sibi posteros deuouit.
Super Codice lib. 1.
Super ff. vet. lib. 24.
Super ff. nou. lib. 12.
Super Infortiato lib. 14.
Super Institutis lib. 4.
De vsu Fœudeorum lib. 1.

Super

Super Autentica lib. 1.
Super 2. Decretalium lib. 1.
Additiones Speculi lib. 1.
Consilia multa, libris quinque, duobus Tomis. Venetijs 1575.
Insuper scripsit Commentarios super totum Iuris Ciuilis Corpus.
Item Practicam
Margaritam, seu Repertorium.
Item modum arguendi.
Praxim Iuris vtriusque compendiosam.
Eiusdem Lecturæ accuratissimè editæ sunt cum annotationibus, nouis Summarijs, & indice, Venetijs anno 1572. continent enim.
De aditione hæreditatis cum Inuentario.
De Carceribus.
De Constituto.
De Exceptionibus.
De Fœudis.
De Pactis.
De Iure Protomiseos.
De Quæstionibus.
De Tormentis, seu Tortura.
De Sindicatu Officialium.
De Statutis.
De Regula Statutorum.
De Substitutionibus.
De Tabellionibus.
De Testibus.
De Lege. Venetijs 1586.
Elaborauit etiam Commentum de Pace Constantiæ, & Commentum de iure Congruo.
Scripsit insuper, sed non edidit librum, Inscriptum, Peculium.
Tractatum de Commemorationibus.

Et Librum de Illustribus Doctoribus Vtriusque Iuris.

Celebrant Baldum, & meritó, Rodulphus, Vuillottus, Ioannes Ficardus in vitis celebrium Iurisconsultorum; Lucas Vuadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, Baptista Platina, Abrhamus Bzouius, Palmerius, S. Antoninus in hist. Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorũ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Iacobus Philippus Bergomensis in Supplemẽto Chronici; Petrus Andreas Matthiolus, Iason, Forsterius, in hist. Iuris Ciuilis; R. Bertius in descriptione tractus Perusini; Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ: Paulus Merula, & Leander Albertus in descriptione Italiæ: Pompeus Pellinus in hist. Perusiæ, Cæsar Crispoltus lib. 3. suæ Perusię Augustæ, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium ad Petrum de Vbaldis.

BALDVS de BARTOLINIS, Baldus Nouellus appellatus, Honuphrij, ex alijs Francisci Colæ de Bartolinis Perusini filius, IurisConsultus magni nominis, nouus Baldus, & Doctor veritatis omnium linguis nuncupatus; Iura, tum Ciuile, cum Canonicum in patria primùm, mòx Pisis publicè professus cum laude semper est; Inter Aduocatos Consistoriales connumeratus, habuit in filium Marianum, Rotæ Romanæ Iudicem.

Ætatis suæ anno sexto supra septuagésimum, mense 4. die 6. Christi 1490. die 28. Aprilis in Patria è vita migrauit, conditus apud Seruos B. Marię cum sequenti Epigraphe, in qua irrepsit error circa annum obitus.

BALDO SECVNDO PERVSINO
I. V. CONSVLTO
FF. PIENTISSI. F. C. PROBAVERVNTQVE,
VIXIT ANN. LXXVI. M. IV. DIES VI.
OBIIT MCCCCXXVIII. APRIL.
INTERPRES VTRIVSQVE IVRIS INGENS,
ORBIS GLORIA, PATRIAE, DECVSQVE
HIC

HIC BALDVS IACET ILLE BARTHOLINVS.
HVI? BALDVM HAVD TEGIT HOC;
SED OSSA BALDI MARMOR,
FAMA NITENS VOLAT SVPERSTES
COELVM SPIRITVS INNOCENS RECVRRIT.
DIC LECTOR VALE,
ET HINC RECEDE FELIX.
DE SVMMA,
QVAE IN ILLO FVIT IVRIS COGNITIONE
NOTVM EST ELOGIVM

Nemo quod hunc latuit, sciuit si iura Monarcham
Ferre queat, tanto hic nomine dignus erat.

Reliquit Baldus hic pro posteris luculentum tractatum de Dotibus, & de dotatis mulieribus, deque earum iuribus, & priuilegijs.

Prælectiones Iuris Ciuilis

Declarationes Legum Codicis, & Digestorum

Extabant M. SS. teste Vuolfango in Bibliothecis Antonij Augustini, & Fabij Accoramboni,

Et Repetiones aliquas impressas inter repetita varia.

Meminere Baldi Nouelli, seu secundi præter Vuolfangum, Io: Baptista Zilettus, Pancirolus de claris legum interpretibus, Petrus Philippus de Corneo, Benedictus de Capra in Consilijs. Gregorius de Pensionibus, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Pompeus Pellini in historia Perusina, Felix Ciattus, Cæsar Crispoltus, Io: Baptista Laurus, Hieronymus Frollierus in hist. Perusina, Cæsar Alexius in Elogijs Clarorum Ciuium Cent. 2. Ludouicus Iaccbillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis.

BALDVS PERIGLIVS, seu de Perillis, vel Periglis Perusinus, Iuris Consultus celebratissimus filius Angeli, in

iure peritissimi, & pater filiorum quinque supra viginti, quorum quatuor publicè in patria eamdem Iuris scientiam cum laude professi sunt. Florebat anno salutis humanæ 1472. & scripsit tractatum de Quęstionibus, & alium de tortura reorum, vtilitati, & iudicum peritiæ, non Perusię solum, sed in Orbe vniuerso commodissimum. Elaborauit etiam nonnullas prælectiones, quæ sub indignis tenebris delitescunt.

De hoc Baldo tractant Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Crispoltus, & Alexius, Carolus Cartharius, Ludouicus Iacobillus, libris aliàs laudatis, Ioannes Vuolfangus, & Pellinus.

BALLIONVS de BALLIONIBVS Perusinus, Iuris Consultus, & Philosophus magni nominis, nepos Polydori de Ballionibus, Senatoris Vrbis, sub Eugenio IV. Summis Magistratibus pręclarè in patria gestis, functus legationibus eiusdem nomine honestissimis, accitus Florentiam, florentissimam illam Vrbem Prætor rexit, & ab Innocentio VIII. in Aduocatorum Consistorialium Collegium descriptus est; deindè non tam annis confecta senectute, quam encomijs referta in Cælum euolauit; cum edidisset orationes plures à se coram Alexandro VI. habitas. In Diarijs Pontificijs hæc adnotata legimus. Die 17. Decembris anno salutis humanæ 1492. in tertia Pontificij Palatij Vaticani aula, quatuor Venetæ Reipublicæ Oratoribus Alexandro VI. obedientiam vouentibus, Ballionus de Ballionibus Consistorialis Aduocatus commissionem proposuit.

De hoc agunt Burcardus in Diarijs, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Crispoltus in sua hist. Augusta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Pellinus.

BALLIONVS de MONTEVIBIANO, alijs Vibius, eadem enim est in Ciuitate Perusina Monteuibiana familia, ac Vibia, patria Perusinus, clarissimorum ciuium optimus,

mus, & optimorum clarissimus; non modo Perusium, & Romam iuris disciplina, quam omnium plausu publicè professus est, sed etiam ipsam Romam Consistorialibus aduocationibus, Orbemque vniuersum scriptis illustrauit. Tum Legati Apostolici Vmbrici, tum Patriæ nomine Oratoris munere septies apud Romanos Pontifices,& Cardinalium Collegium functus cum dignitate est. Vnus è viginti viris quorum arbitrio totius Perusinę Ditionis imperium gerebatur, pacis conciliator omnium acclamatione electus, discordias inter Ballionos, & Oddos; inter Hespellanos, & Fulginates: simultates inter Nobiles, & Populares sustulit. Publici igitur iuris defensor è viuis abijt anno salutis 1511. ætatis suę 80. cum posteris transmisisset multa in Iure Ciuili exarata, inter quæ in multorum manibus sunt Repetitionis super ff. Cod. & Authen. Defuncto sequentem inscripsit Epigraphem Io: Baptista Laurus.

MERCES VITAE LAVS

BALLIONVS MONTEVIBIANVS
CLARISSIMORVM CIVIVM OPTIMVS,
ET
OPTIMORVM CLARISSIMVS
PATRIAM IVRIS DISCIPLINA
ILLVSTRAVIT:
REMPVBLICAM MVLTIS IN REBVS IVVIT.
ROMAE CONSISTORIALIBVS
AVOCATIONIBVS CLARVIT;
INDE IN CAETVM
DIVORVM RECEPTVS AEVO
FRVITVR SEMPITERNO
OBIIT A PARTV VIRGINIS MDXI.
CVM AETATIS AGERET LXXX.

De hoc Io: Baptista Laurus in Epitaphijs, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialiũ, Crispoltus, Alexius, Alexander Balestrinus, nec nõ Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Pellinus, Suertius.

BALTHASSAR ANSIDEVS Perusinus, Sacerdos eximiè literatus, græcis, & latinis literis exornatus, Bibliotecæ Vaticanæ Custos sub Paulo V. Pontifice Maximo, Musas à puero adamauit, coluitque sub Magistris Horatio Cardaneto, & Marco Antonio Mureto, inter viros doctrina præstantes notissimis. In patrio Gymnasio professus aliquando est Rhetoricam, aliasque ingenuas disciplinas; huius tamen lectio breuis fuit, sponte deposita, vel potius abiecta propter insolentiam Auditorum. Secuta est Pisana conductio, quam per triennium obiuit insigniter. Pisis Romam euocatus ab Octauio Aquauiua Cardinali, quo cum vetus illi amicitia, & propè intima familiaritas intercedebat. Indè ad notitiam Summi Pontificis deductus nemine prensante muneribus honestissimis, & eidem in primis quæstuosis præficitur. In Intimis primo cubicularijs illum adnumerauit, tum Bibliothecæ Vaticanæ Curatorem constituit, ad quam prouinciam aditus non patet nisi viris artium varietate conspicuis, & tam latinè, quam græcè scientibus in exquisitum modum. Tantus hic vir de literis, scientijs benè meritus die 4. Decembris circa horam noctis tertiam anno post partum Virginis 1614. terram deseruit, cum seuientem in præcedenti æstate in regione Leonina pestem feliciter effugisset, ineunte hyeme, pænè valens lætaliter confoditur. Decubuit dies pauculos morbo leui, qui tamen vna diecula hostilem in modum cæpit furere, & imbecillum suoptè ingenio hominem facilè prostrauit. Pontificio sumptu ad Diui Onuphrij elatus est, & temporario marmori, nomen, munus, ætas, simpliciter inscripta.

Scripsit Epistolas plures; inter quas est vna ad Octauium Cardinalem Aquauiuam, Archiepiscopum Neapolitanum,

tanum, cuius fragmentum euulgatum inuenies cũ Orchestra Io: Baptistæ Lauri anno 1625. typis Andreæ Phæi: illas verò ad Marcum Antonium Bonciarium typis Perusinis annis 1603. & 1613. cum illis ipsius Bonciarij publici Iuris factas, leges.

Quæ autem in Vrbe lectitantur, & Pauli V. ædificationibus incisæ inscriptiones ab hoc excogitatæ, & descriptæ dicuntur.

Huiusce mèmoriam celebrant M. Antonius Bonciarius, & Io Baptista Laurus in Epistolis, Ianus Nicius Erithræus in Pinacotheca, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Crispoltus lib. 3. suę Augustę Perusię.

BALTHASSAR BOCCOLI Perusinus, Philosophiæ, & Medicinę Doctor, in vtraque facultate plura scripsit. Extat de Medicinæ Practicæ arte Opusculum doctum, & vtile.

Meminit Balthasaris huius Pompeus Pellini in historia Perusiæ.

BARNABAS Perusinus cum alba veste Oliuetanorum Monachorum candidos mores induit, atque in ipso religionis ingressu, magnam de se expectationem conciliauit; cum enim mensæ parcitate, carnisque afflictione seuerè in corpus sęuiret suum, & sacrorum librorum studijs, rerumque cęlestium contemplatione animum pasceret, omnibus suauis, lenis, & periucundus summoperè fuit; à Monachis Abbas, ab his Generalis, & omniũ pater est expetitus, quod demum feliciter accidit anno salutis humanę 1564. quo summus eius Ordinis honor ei delatus. Tale enim munus, cum non solum candidè, sed prudenter, & sanctè statuto tempore feliciter compleuisset, in Perusino Cænobio Abbas, Mathematicis studijs, & pietati intentus, quinquagenario maior ex hac vita migrauit. Posteris erudita scripta in Mathematicis, & ad eamdem scientiam spectantia, tradens.

De hoc

De hoc Cęſar Alexius in Elogijs Clarorum Ciuium Peruſinorum.

BARTHOLOMÆVS, Peruſinus, cognomento Gaius Ordinis Minorum, Profeſſor Moralis Philoſophię, Metaphyſices, Theologię, Sacrorumque Canonum in Patrio Gymnaſio; Euangelij Præco in pręcipuis Italię Ciuitatibus ad ſe audiendum omnes pertraxit; Quare tanti viri fama commotus Clemens huius nominis VI. Pontifex Maximus, eundem ad ſe Auenionem accerſiri iuſſit, cuius doctrina ſolidore experimento probata, tantum virum penes ſe in Gallia commorari voluit, eumque in ſupremum Nemoricenſis Eccleſiæ Antiſtitem elegit vt quē virtus illuſtrem fecerat, honores quoque illuſtriores redderent.

Reliquit poſteritati M. S. Volumina tria, Concionum Quadrageſimalium vnum, alterum Aduentualium, tertium Annalium, & Sanctorum; & alia in Sacra Theologia.

De hoc ſcripſere Alexander Baleſtrinus de Gymnaſio, Cæſar Alexius in Elogijs Clarorum Ciuium Peruſinorum.

BARTHOLOMÆVS GILIANVS Peruſinus, de Patria optimè meritus, publicæ luci commiſit Compendium Iuris Municipalis Ciuitatis Peruſiæ, ordine alphabetico digeſtum, cum adnotationibus, & addictionibus, ac Sacræ Rotæ Romanæ Deciſionibus, Reformationibus, & Decretis Cardinalis Vrbini Legati, cum Bulla confirmationis Gregorij XIII. Pontificis Maximi, nec non cum taxis Cancellariæ Criminalis Peruſię ab eodem Pontifice factis, vſque ad annum 1614. Quod opus Typis Peruſinis iterum euulgatum eſt cum additionibus Diomedis filij anno 1635. apud Angelum Barrolum in fol. Manus quoque admouit ad Collectionem Comitinarum Conſtitutionum, Peruſiæ excuſam anno 1595.

Eſt huiuſce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scirptoribus Vmbrię.

BARTHO-

BARTHOLOMÆVS NATI Perusinus Philosophię, & Medicinæ Doctor anno nostri seculi decimi septimi a partu Virginis, trigesimo septimo, mortem Georgij Boreæ, nobilis lugensis carmine etrusco defleuit. Ipse autem diem supremum obijt Nucerię in Vmbria, ibique iacet.

BARTOLVS de RANERIIS Perusinus Iuris prudentiæ professor in Patria Academia, quem Iason in l. fin. C. de Instit. & Substit. profert, eumdemque Doctorem insignem nominat, scripsit multa Consilia.

De quo Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Academijs eiusdem Vrbis.

BARTOLVS, seu Bartholus SEVERVS de Alphanis, origine Iusicanus, vulgo, Saxoferratensis. Iusicum est oppidum Vmbrię, apud Sentinum excisum, vulgó Saxoferratum; anno salutis humanę 1313. natus ex Francisco de Seuero, & matre nomine *Sancta*; optimis literis Perusiæ imbutus, & inter Ciues eiusdem Vrbis adscitus Alfanorum illustri *familię*, veluti Alpha principium dedit. Hic magno acumine perspicacis ingenij Ius Ciuile non solum Perusię professus est, sed in omnibus ferè Italię Gymnasijs exactæ doctrinæ documenta reliquit. Hunc aduersus studiorum labores indomitũ extitisse ferunt, cõsueuisse vti in pertenui mensa certis cibi, potusque mensuris ad tuendã valetudinem;& cum sæpè memoria laberetur obliuionis incommoda assidua commentatione remouisse; vt ne horula quidem extra naturę necessitatem studijs subtraheretur. Sed eamdem quoque seueritatem in torquendis,necandisque noxijs adhibuit, cum rerum capitalium iudicijs præesset; adeò vt reum furti, nec ritè confessum, & insontem præcipiti sententia supplicio aliquando affecerit; Ex ea acerbitate cum inuidiam populari voce conflatam subijsset, conspectum hominum pudore vitabundus in arcanum ruris otium euoluendis libris se abdidit; qua demum studiorum contentione perfunctus,audacterque in publicum velut certamen egressus,

æquales

æquales ſuos doctrinę firmitate, & mira Iudicij conſtantia ſuperauit. Donatus igitur eſt virtutis cauſa á Carolo IV. Cęſare gentilitijs Bohemię Regum inſignibus, quibus purpurei Leonis forma, aurato in campo, cum bicipiti cauda ſalientis exprimitur. Peruſiæ autem ſupremum in Gymnaſio locum conſecutus, fortunas ſuas collocauit; duxitque vxorem ex Bouarina gente, virtutum pręſtantia conſpicuam; ex qua Franciſcum filium, filiaſque plures habuit; quas diſcipulis ſuis, amore filijs in matrimonio collocauit; quas poſtea pręexcellentis doctrinę reliquit hęredes; Defuit ei latinæ eloquentiæ facundia, ne ſummæ gloriæ faſtigium teneret; & tamen eſt cur maximè miremur illum in perpetuo docendi munere occupatum, tot, & tanta volumina perſcribere potuiſſe, cum quadrageſimo tertio, alijs quadrageſimo ſexto ætatis anno fato ereptus, iuſtum de inchoatis ſumma felicitate, nec dum perfectis operibus deſiderium poſteris reliquerit. Objjt Peruſiæ die 13. Iulij, anno Chriſti 1356. conditus ibidem in Æde D. Franciſco Aſiſſinati ſacra, ſub breui hac Epigraphe.

OSSA BARTHOLI
MCCCLVI.

Inferius ſunt notæ ſequentes.

BARTHOLVS HIC IACET

Hic eſt Bartholus ille iuris ingens
Lux, & commodus explicator; hic eſt
Quem Mors ante diem abſtulit maligna.
Heu Mors inuida, & æuo iniqua monſtro
Quæ leges iterum iacere cogis.
Militiæ vexilla ſacræ, fert Bartholus, errat
Quæ ſibi vult aliam præpoſuit ducem.

Scripſit

Scripſit mira breuitate, edidítque Volumina plura, quæ continent.

Cōmentaria ſuper totum Ius Ciuile. Repetitiones Bartoli. De differentia inter Ius Ciuile, & Canonicũ. De Copula, & Coniunctiua. De dictionibus varijs. De Teſtibus, & Regulis Statutorum. De Conſilijs habendis. De excuſſionibus pignorum. De Retractatione Teſtium. Gloſſas inſuper elucubrauit in Cōſtitutionem Henrici VII. Imper. & extrauagãtes cũ poteſtate Cęſaris. Plurima Opuſcula, & reſponſa, videlicet. De inſignijs, & Armis. De Repreſalijs. Tractatus Minoricarum. Tiberiadis. De Guelfis, & Gibellinis. De regimine Ciuitatis. De Tirannia.

Scripſit, & Conſilia quæ circumferuntur, numero non ſatis multa, puto ob ætatis breuitatem, in quibus hominis bonitatem, nedum eruditionem facilè agnoſcas.

Elucubrauit etiam ſuper controuerſijs rerum tenuiſſimarum lucubrationem. Licet autem huius ſcripta omnia exiſtimentur ſummæ auctoritatis, illa tamen creduntur præſtare cœteris, quæ edidit in Henrici VII. Conſtitutionem, quæ incipit, ad Reprimendum.

Deniq; Proceſsũ, ſeu tractatũ Quæſtionis ventilatæ corã D. N. Ieſu Chriſto, inter Virg. Mariam ex vna parte, & Diabolum ex alia, typis Venetis publici Iuris factũ anno 1585.

Nec Iuris ſolum Cæſarei doctrina cunctos antecelluit Bartholus, ſed multiplici etiam eruditione, & reconditarum rerum cognitione, quantum tempora illa ferebant, imbutus fuit. Nam nec Theologiæ, nec Philoſopiæ fuit expers; cum ſatis conſtet illum S. Thomæ Aquinatis monumenta habuiſſe familiaria, & accuratè multa ab Ariſtotele ſcripta elegiſſe, ac deguſtaſſe, vt manifeſtè deprehēditur in his tractatibus, in quibus de nobilitate agit, & regimine Ciuitatis, & de Tirãnia inſcripſit; præcipuè autem in illo laudatiſſimo tractatu de Teſtibus, quantos in philoſophia progreſſus feciſſet, clariſſimè oſtendit. Quantus autem fuerit in Geometricis, manifeſtiſſimum facit præclarus ille Tiberiadis Tractatus, pluresq; in eo figuræ Geome-

tricæ ſumma arte, ac doctrina ductę, & affectę: quinimò, & Hebreas literas didicit, quę quidem, cum Iuri Ciuili perdiſcendo, vel docendo parum conferant, putauerim ab eo factum, vt ſacras literas, & diuina eloquia facilius poſſet intelligere, & ſacra myſteria attingere, ac penetrare; conſtat enim ſacrę paginę optimum, ac religioſiſſimum virum adeò fuiſſe ſtudioſum, vt quædam etiam ante obitum exorſus fuerit, quæ ad ſacrarum rerum tractationem, & Chriſtianæ Religionis dogmata pertinerent, quorum nobis morte præuentus triſte ſolum reliquit deſiderium'.

De Bartholo tractant S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, Abrahamus Bzouius in Annal. Eccl. Tarcagnota, Cæſar Alexius in Elogijs Ciuium Peruſinorum, Alexander Baleſtrinus in memorijs eiuſdem Vrbis, Alciatus, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Pellinus, & Criſpoltus in hiſt. ſuis; Io: Paulus Lancelottus in Vita.

BARZIVS de BARZIS ſenior, alijs Bargius, ſeu Barozius, Iuris Conſultus, & legũ Doct. primi nominis, ex publico legũ explanatore in Academia Peruſina, atq; ex Protonotario Apoſt. renuntiatus Epiſcopus Callij in Vmbria, deindè Apoſtolicus Nuncius apud Britaniæ, & Galliarum Reges, & in Regno Neapolitano pro Romana ſede in ijs Regnis ſpolia collegit, tantumque gratiæ apud Carolum VII. Regem Gallorum, Renatumque Andegauenſem, Neapolitanum Regem dicitur collegiſſe, vt vtrique Principi fuerit à ſecretis. Poſt multos pro Eccleſia exantlatos labores, redijt ad Eccleſiam ſibi creditam, palatiumque Epiſcopale abſoluit, & die 15. Menſis Maij è vita abijt in ſuæ Eccleſiæ regimine anno à partu Virginis 1494. cum edidiſſet in l. 1. de ff. ver. & ſcripſiſſet plura reſponſorum volumina apud hęredes olim aſſeruata M. SS.

Meminère Barzij Ferdinandus Vghellius Tom. 2. Italiæ ſacræ in ſerie Epiſcoporum Callienſium, Cęſar Alexius cent. 2. Elogiorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Alexander Baleſtrinus in ſuis memorijs, Iacobus Philippus Bergomenſis in ſupplement. Chronici, Pellinus, & Ciattus in hiſt. Peruſię.

BAR-

BARZIVS de BARZIS iunior, & ipſe Peruſinus florebat Iuris prudentię ſcientia anno ſalutis humanę 1495. quo ſcripſit de Queſtionibus, & de Tortura tractatus.

De hoc Cęſar Criſpoltus in Peruſia Auguſta, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbrię.

BASILIVS CORRADINVS Peruſinus, humanarum literarum ſtudioſus, Marci Antonij Bonciarij diſcipulus, Hieronymo Tetio, ac Timotheo de Timotheis perfamiliaris, & ſtudijs coniunctiſſimus, claruit hoc noſtro ſeculo, quo multa ſcripſit vincta, ſolutaq; oratione, tum latina, tum etruſca lingua. Huius amicum interloquium ad Timotheum de Timotheis, Necrophilię auctorem, euulgatum inuenies Peruſiæ anno 1645. cum ipſa Necrophilia, & anno 1637. Elogium ad Cæſarem Boream miſſum, & literas ad Bernardinũ de Benedictis datas in funere Georgij Boræ nobilis Lugenſis; aliaque ad Franciſcum Mariam Calidoniũ, & Philippũ Albertũ in morte Ludouici Alberti.

Meminit huius Hieronymus Tetius in Ædibus Barberinis.

BENEDICTVS BARIGIANVS Peruſinus in Iure Ciuili doctiſſimus, literiſq; ferè omnibus ornatiſſimus; in Academia patria pub. Doctor, pro poſteris reliquit Cõſilia plura.

De hoc Leander Albertus in deſcriptione Italiæ, Cæſar Criſpoltus in ſua Peruſia Auguſta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Alexander Baleſtrinus de ſtudio Peruſino, Pellinus in hiſt. eiuſdem Vrbis.

BENEDICTVS de BARZIS, ſeu Barzius, Baldi ſenioris diſcipulus, patria Peruſinus, origine è Plumbino, Oppido Etruriæ in agro Senenſi, & in ora Maris Tirreni ex ruinis Populonij erecto, vel aucto; Senis, Florentiæ, Ticini, Bononiæ, Patauij, Ferrariæ, & in Patria Academia Iuriſprudentiam publicè omnium plauſu profeſſus eſt. Adfuit Sigiſmundo Imper. à Conſilijs, ediditq; Romæ anno redẽptionis hum. 1571. in 4. apud Bladios de Diſcuſſionibus.

De filijs non legitimè natis. De Tutoribus, & Curatoribus. De Quarentigijs. Eiuſdem conſilium euulgatum

inuenies cum Consilijs diuersorum. Volumina etiam multa lectionum M. SS. reliquit.

Ex hac mortali, ad immortalem vitam transijt in patria die 9. Martij anno post Christi natiuitatem 1410. post obitum conditus in Templo D. Augustino sacro.

De hoc Io: Vuolfangus, Io: Baptista Zilettus de claris legum interpretibus, Pompeus Pellinus in historia Perusiæ, Cęsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum cent. 2. Alexander Balestrinus in memorijs eiusdem Vrbis, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Crispoltus in Perusia Augusta lib. 3.

BENEDICTVS GVIDALOTTVS Perusinus, Alberri filius, ingenij dotibus insignis pluribus: Iuris prudentię professor in patrio Gymnasio, in quo auditorem habuit Ottonem Columnam, qui assumptus ad Petri Cathedram dictus est Martinus huius nominis V. sed reuera III. Ab hoc Pontifice Benedictus noster, Thesaurarius, Clericus Camerę Apostolicę, & Vice Cancellarius renuntiatus primò est, tum Valuensis, ac Sulmonensis, tum Aquilanus, ac Maceratensis, & Recinetensis Episcopus. Erexit in Patria Collegium Hieronymianum, dictum vulgò *la Sapienza Noua*, cui annuos redditus assignauit pro 40. adolescentium Iuris prudentiæ studiosorum alimento; vt his ipsi alimentis educati, in studijs progressus sine vlla animi euagatione facere facilè possent. Pro his Iuuenibus, & Clericis Recinetensibus ipsemet leges, & Constitutiones scripsit.

Perusię anno Christi 1429. suę ætatis 40. die 9. Augusti è viuis abiens sepulchrum habuit in Ecclesia S. Dominici apud maiores sub hac Epigraphe.

Reuerendæ Memoriæ P. D. BENEDICTO DE GVIDALOTTIS
V. I. Consulto, Recanatensi Episcopo, Tandem Martino V.
Vicecancellario Apostolico, qui cum in Patria decederet
Nouam Sapientiam fecit.
Vixit Annos XL. obijt Anno Christi MCCCCXXIX.
Die ix. Augusti. D. Elisabet eius soror fecit.

De

De hoc Alexander] Baleſtrinus de Gymnaſio Peruſino, & in Vita, Cęſar Alexius in Elogijs, Ferdinandus Vghellius in Italia ſac. de Epiſcopis Recinetenſibus, & Aprutinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Pellinus, & Criſpoltus in hiſtorijs Peruſiæ.

BENEDICTVS HERCVLANVS Peruſinus, Vincentij eiuſdem agnominis Epiſcopi nepos, Vincentij Iunioris germanus frater, ex ſacro Ordine Prædicatorum, ſuis literis vernacula lingua Italica editis in Patria anno ſalutis humanæ 1588. & datis Mariæ Felici Sorori, Deo ſacratæ in Cœnobio S. Mariæ Magdalenæ, Romæ in Qirinali erecto, eiuſdem Virgini decem monita ſpiritualia Vincentij Epiſcopi patrui ſacrauit.

BENEDICTVS MONALDVS Peruſinus, ex antiqua, & nobili Monaldorum familia;Marij Rodulphi de Monaldis, & Zenobiæ de Vbaldis, è præclara, & vetuſta Vbaldorum ſtirpe, filius, in ipſa ineunte ætate à celebri præceptore Marco Antonio Bonciario, vt lipſiano hic vtar elogio, Italiæ Homero,in nobilium adoleſcentum ſodalium conuictu amænioribus poeſis, & Rhetorices diſciplinis excultus,ſcripſit carmen latinum de D. Bernardo Clareuallenſi, typis patrijs euulgatum anno ſalutis 1606. cum alijs in laudem eiuſdem Sancti; & anno ſequenti 1607. Idyllium ad Neapoleonem Comitolum, Peruſiæ Antiſtitem, cuius argumentum erat, non dedecere ſanctos, & doctos Antiſtites piam poeſim. Grandiori deindè ætate,& pari plauſu, & progreſſu philoſophia, & Cæſareo, ſacroq; iure, ac illuſtrioribus doctrinis, & dotibus excultus, in auguſto, & patrio lycæo, Romam ſe contulit, euocatus, & amantiſſimè exceptus ab auunculo Franciſco de Vbaldis, Zenobiæ parentis, germano fratre, ſacræ Rotæ Romanæ, magni nominis, & meriti Auditore; qui ſua poſtmodum educatum diſciplina, inſtructum ſapientia, & moribus, & ſibi non tam ſanguine,quam virtute coniunctiſſimum, benefico teſtamento curauit, vt relicto paterno agnomi-

ne, & ſtemmate de Monaldis, quod præfert Caſtellum argenteum in cærulea parma, Vbaldorum cognomen, & inſignia aſſumeret; quæ tres faſces aureas, totidemq; nigri coloris oſtentat. Gratiſſimi animi Benedictus nepos, erepto, è viuis auunculo, Benedictus Vbaldus voluit appellari; nec aliud quam Vbaldorum ſtemma præferre. Poſt hæc ab Vrbano VIII. felicis recordationis Pontifice, in eiuſdem Auunculi locum Sacræ Rotæ Romanæ renuntiatus Iudex omnium plauſu fuit, atq; Cardinali Antonio Barberino Nepoti, ad Principes Italiæ in ſumma totius orbis perturbatione, legato Auditor datus, & Datarius. his in muneribus adeò ſua probata virtute Pontificem excitauit, vt Romam reuerſus ex Auditore Rotæ, Diaconus Cardinalis in Diaconia SS. Viti, & Modeſti fuerit euulgatus ſub die 28. Nouembris anni 1633. & Cardinalis Vbaldus, vulgò *Baldeſchi* nuncupatus. Ad Peruſinam Cathedram anno ſequenti, nec non ad Legationem Bononienſem ab eodē Vrbano aſſumptus eſt. His cumulatus honoribus, auctuſq; dignitatibus vt ſui daret grati animi ſignum, gentilitijs Vrbani, ac Barberinorum apibus, & Vbaldorum quod aſſumpſerat, & Monaldorum ſtemma exornauit. obtento ad poſterorum memoriam, & Monaldorum hæredum ornatum, Pontificio diplomate, apud DD. Marchiones eiuſdem familiæ aſſeruato.

Tot, tamque perampla Chriſtianæ Reipublicæ munia, quam admirabili confecerit doctrina, prudentia, iuſtitia, & pietate; quibus in virtutes proemijs, pœniſue in flagitia, qua numquam intermiſſa voluntate iuſtum cuiq; tribuēti, qua felicitate, qua gloria, nō eſt huiuſce loci perſtringere.

Dum in ſupremo Romanæ Rotæ ſolio iura daret, & reſponſa redderet, coram eo tria Deciſionum volumina prodierunt ſcriptis conſignata; quorum vnum, poſt obitum ipſius Benedicti typis Peruſinis apud Angelos duos Bartolum, & Laurentiū in fol. publicæ luci datum cum Adnotationibus Roſati Torelli, Iuris conſulti Peruſini, de quo inferius, ſub hoc Titulo Deciſionum ſacræ Rotæ Romanæ co-

næ coram Franciſco Vbaldo, & Benedicto Cardinali Monaldo, ex eiuſdem Franciſci auunculi benefico teſtamento de Vbaldis nuncupato Tomi tres; quorum nunc prodit in lucem Tomus primus; adiectis argumentis ſummarijs, adnotationibus, & Indice locupletiſſimo. Alia duo volumina adſeruantur M. SS. apud DD. Marchionem Benedictum, & Fratres de Monaldis pronepotes; in quorum commodum peramplam inſtituit primogenita, vti ex Tabulis Franciſci Riccardi pub. Not. habemus.

Quanta verò tanti Cardinalis Bononię Legati felicitas, & virtus, in operoſa illa, & ingenti tunc temporis laborante annonæ grauitate Prouincia per triennium adminiſtrãda, eadem ſemper pace, & tranquillitate, fauſtos, proſperoſq; euentus Sanctiſſimæ Dei Genitrici ſuæ familiæ Protectrici, ac D. Franciſco Aſiſſiano tutelari adſcripſit; antè cuius Templum marmoream columnam, impoſita eiuſdem Virginis Statua, ſequenti inciſa Epigraphe excitauit.

D. O. M.

BENEDICTVS SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis de Monaldorum
Familia Peruſiæ ortus, vt benefici Teſtatoris
Auunculi Franciſci Vbaldi S. Rotæ Romanæ Auditoris
Præceptum impleat, Vbaldus nuncupatus, Epiſcopus Peruſinus,
Et Bononiæ de latere Legatus,
Ob ſuam erga Sacrum Diui Franciſci Ordinem
Proſperam voluntatem hanc columnam immaculatæ Conceptionis
Erigendam curauit.
Et tantæ ſuæ, ſuæque Domus Protectricis ſimulacro proprium nomen
in adorationem ſubmitti voluit;
Cumque gubernatæ Ciuitatis tranquillitatem
Eiuſdem Virginis nomini acceptam ferat gratiam
Quam illi habet,
Hoc marmore teſtari iuſſit.
MDCXXXVII.

Expleta Bononienſi Legatione ad Peruſinam Eccleſiam regẽdam illicó ſe contulit incredibili ſuorum Conciuium lætitia; perluſtrata Ciuitate, ac Diœcſi, Synodum celebrauit, vt iuxta præceptum Domini quod infirmum erat cõſolidaret; quod ægrotum ſanaret; quod confractum alli-

garet,

garet, quod obiectum reduceret; quod sanum, & fortè custodiret, & pasceret in iudicio. Vndecimo suæ purpuræ, quam summa semper iactauit gloria, sustinuit dignitate, excoluit gratulatione, splendore, & gaudio vbiq; veneratus est; & decimo sui Episcopatus anno, quem paulo ante remiserat in Horatium Monaldum fratrem, Episcopum Eugubinum, qui ad nouæ Ecclesiæ possessionem die 29. Decembris, anni 1643. accessit; decessit in patria die 18. Ianuarij 1644. anno, ætatis suæ LVI. solemniq; pompa funebri Felice Verducciolo orante elatus est, & conditus in Maiorũ Sepulchro apud Seruos B. Mariæ in Templo S. Mariæ nouæ; in quo ex legato eiusdem Cardinalis Ioannes Antonius germanus frater, loco exornandi antiquum Monaldorum Sacellum, nouum excitauit in principe Ara, magnifico, & grandi sumptu, ac sequenti Epigraphe.

D. O. M.

BENEDICTO MONALDO Perusino S. R. E. Cardinali
Legato Bononiensi, Episcopo Perusino, ab Vrbano VIII.
Pontifice, & Benefactore Maximo Titulis, Apibusque A. MDCXXXIII.
Decorato
Ex testamento Francisci Vbaldi Auunculi Rom. Rotæ Aud.
De Vbaldis cognominato. Io: Antonius Monaldus Germ. Frater
Vrna, & ara erecta parentat. Obijt anno sal. MDCXLIV. Epis. X. ætatis LVI.

De hoc Cardinali egi Tomo IV. Vitarum Romanorum Pontificum, ac S. R. E. Cardinalium, impresso Romæ cum alijs tribus anno reparati Orbis 1677. sumptibus Philippi, & Antonij de Rubeis, ibiq; rescripsi ex alijs Auctoribus Epigraphem, olim publicè expositam in Ecclesia Sanctimonialium Montis Lucij Perusiæ, quam in præsenti prætermitto, quia de mandato Clementis IX. Summi Pontificis anno 1669. ad extinguendas lites, exortas inter DD. Comites de Rainerijs, & D. Marchionem Benedictum, ac Fratres de Monaldis sublata fuit; litigioq; finis datus, vti habemus ex Tabulis publicis per Sinibaldum de Taxis, Notarium Collegij Perusini sub diebus 30. Maij, 10. Iunij, ac 3. Decembris anni 1672.

De

De Benedicto Cardinali tractat Ciaconij Auctarij in vita, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum, Ferdinandus Vghellius in Ital. sac. Tom. 1. de Episcopis Perusinis, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Petro de Vbaldis, & nos in Athenæo Romano.

BENEDICTVS MONALDVS iunior, Benedicti senioris pronepos, Rodulphi Marchionis filius, Horatij frater natu maior, Perusinus, versu etrusco, typis patrijs euulgato anno 1677. laudauit P. Federicum Trenta, Societatis Iesu Sacerdotem ad populum, in quadragesimali ieiunio anno eodem dicentem Perusię.

BENEDICTVS à PINNA Perusinus, Musarum cultor mirificus, Academicis Insensatis adscriptus, anno nostri seculi septimo supra vigesimum edidit in patria Italica lingua Epitalamium in nuptijs Ioannis Margaruccij, & Vrsulę Eugenię, & aliud Opus sub titulo, *L'amoroso Comiato*.

Anno vero 1643. Carmen Etruscum in Statuas S. Philippi Nerij, & aliorum Sanctorum elaboratas miro artificio ab Alexandro Algardo. Cum autem optimè calleret Iurisprudentiam anno 1653. in fol. edidit Perusiæ apud Hæredes Angeli Bartoli, & Angelum Laurentium opusculum de emancipatis ad fideicommissum agnationi relictum, venientibus, in Fidei commissi de Montesperellis, quod opus insertum deindè est tractatui de Confiscatione Seraphini Massini Asculani.

De hoc est mentio apud Ludouicum Iaçobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

ENEDICTVS TETIVS de Benedictis cognomento Capra, ob vocem Capræ persimilem, à quo posteri hoc ipso Capræ cognomento in tanti viri memoriam ad præsentem vsque diem vsi sunt, patria Perusinus, Iuris Consultus illustris, veritatis amator vocatus, clarebat anno

H salutis

ſalutis 1420. Fuit Præceptor Cornei,qui eum in ſuis ſcriptis appellat celeberrimum Doctorem , & præceptorem integerrimi iudicij. Obijt in Patria ; Iacet in Eccleſia S. Auguſtino ſacra.

Tantus hic vir ſcripſit Volumen Concluſionũ Legaliũ.

Libros 5. ſuper Decretalibus.

Commentaria in Ius Canonicum; extabant olim M.SS. in Bibliotheca Antonij Auguſtini.

Repetitiones in Canonico.

Volumen Concluſionum regularium, & communium opinionum,& de permutatione beneficiorum anno 1568. Venetijs impreſſum.

Super lecturas Teſtium Ciuilium.

Librum vnum Conſiliorum , ſiue reſponſionum Venetijs 1576.

Concluſiones varias.

Celebrant Benedictum hunc Ioannes Vuolfangus in Elencho, Panzirolus lib. 2. cap. 77. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Iacobus Philippus Bergomenſis in ſupplemento Chronici, Alexander Baleſtrinus in memorijs Peruſinis, & de ſtudio eiuſdem Vrbis, Cæſar Alexius in Elogijs Cent. 2. Pellinus in ſua hiſtoria , Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, ad Bartholomęum Capram, Criſpoltus lib. 3.

BENEDICTVS TOMACREDVS , ſiue Tomacellus Peruſinus, Ordinis Prędicatorum, ſacræ Theologiæ Doctor, claruit ſeculo decimo tertio poſt Chriſtum natum; quo tractatum ſcripſit de paupertate Chriſti , aduerſus errores Fraticellorum.

Item lecturam ſuper libros quatuor Sententiarum.

Sermones Quadrageſimales, de tempore, & de Sanctis & nonnullas Collectiones circa annum 1262.

Meminère huius Antonius Senenſis in Bibliotheca Prędicatorum , Io: Michæl Pio de Viris illuſtribus eiuſdem ordinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

BENE-

BENEDICTVS à Torſiano cognominatus, Torſianum eſt Caſtrum Comitatus Peruſij, Ordinis Minorum Obſeruantiæ reformatæ Prouinciæ, vir pius, & doctus, vernacula lingua italica ſcripſit Opus, ſub titulo; *Gemma Paradiſi*, ediditque Tuderti apud Aloyſios, anno ſalutis humanæ 1624. in 12.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

BENEDICTVS de VBALDIS, vide Benedictus Monaldus ſuperius.

BENINCASA de BENINCASIS, ſiue de Anſideis, Peruſinus, in Patria, & in Piſana Academia Iuris interpres magni nominis, claruit ſeculo decimo ſexto à partu Virginis, ſcripſitque commentaria in titulum de Actionibus. Florentię ānis 1561. & 1569. publicæ luci commiſſa in fol.

De hoc tractant Alexander Baleſtrinus in ſuis memorijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Felix Ciattus, & Criſpoltus in hiſt. Peruſina.

BERNABEVS BARNABEVS Peruſinus, Muſis per familiaris, lyra etruſca cecinit laudes Horatij Fagnani, quando lauream in Iure prudentia accepit Peruſiæ anno 1633.

BERNARDINVS ALFANVS ex Bartoli progenie natus Peruſiæ anno redempti humani generis 1534. Tyndari fortiſſimi viri filius, ex Matre Aurelia, ipſa quoq; ex familia Alphana, Seueri filia, ſpectatiſſima, atque optima fœmina, Iuris Conſultus clariſſimus, in Doctorum Collegium, non dum egreſſus annum tertium, & vigeſimum, cum ingenti plauſu populari, & incredibili omnium ordinum approbatione, ac voluntate cooptatus eſt. Tantæ itaque doctrinæ fama impulſus Carolus Sabaudię Dux, Bernardinum ampliſſimis propoſitis præmijs, ad Taurinenſem ſuam primariam Iuris Ciuilis Cathedram inuitauit, quemadmodum Sixtus V. Pont. Max. ad Firmanam Academiam illuſtrandam, eumdem in primario ſuggeſtu, maiori quam antea ſtipendio Cardinali Mon-

talto Nepote inuitari iussit. Sed ipse rebus suis, suaque fortuna contentus, quæ offerebantur modestissimè respuit. Huius Prudentiæ sæpé ad Principes Viros, Summosque Pontifices Legationes Patria demandauit, demum in postrema ad Vrbanum VII. cuius nepotem in Ius Ciuili docuerat, peracta, in febrim incidit, & in Vrsinorum palatio maximo bonorum dolore diem supremum obiens ad immortales honores auolauit. Decessit igitur Romæ 13. Calendas Nouembris die suo natali, cum complesset annum sextum supra quinquagesimum, anno reparati Orbis 1590. & ibidem in Sanctorum XII. Apostolorum sacra æde quamhonorificentissimo funere tumulatus. Marcus Antonius Bonciarius tantum virum Oratione funebri, habita Perusij summis, sed debitis laudibus extulit.

Scripsit hic Bernardinus Collectanea, seu Reportata Iuris Ciuilis, in Centurias decem distributa, auctaque, Venetijs euulgata anno 1605. typis Antonij Somachi.

De hoc præter Marcum Antonium Bonciarium in Oratione funebri edita cum Collectaneis, tractant Io: Paulus Lancellottus in literis eidem datis, publicique Iuris factis cum ijsdem Collectaneis, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Crispoltus in sua Augusta Perusia lib. 3. Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino.

BERNARDINVS BONCIARIVS Perusinus, Marci Antonij senioris Nepos, Iunioris germanus frater, patrui Decades tres illustrium exemplorum collegit, & suis literis latina lingua euulgauit in Augusta Perusia anno 1648.

BERNARDINVS BRVSCHVS Perusinus, in vtroque Iure Doctor, vitam adhuc ducens inter viuos florente ætate hoc anno septimo supra septuagesimũ seculi decimi septimi à partu Virginis, lauream Sebastiani Serafini Ianesij è Massa, Carmine etrusco, edito Perusię anno 1676. celebrauit.

BERNARDINVS CÆSARIVS Perusinus anno 1669.

suis

ſuis literis italico idiomate euulgatis Peruſiæ apud Angelum Laurentium, Cornelio Oddo Antignollæ Comiti, opus nuncupauit ſub titulo, *Le Muſe tributarie al merito del Sig. Cornelio Oddi*.

BERNARDINVS MASSERIVS, Peruſinus, Hieronymi, de quo inferius, frater, iuris vtriuſque Doctor Collegiatus, Canonicus Cathedralis, in patrio Gymnaſio primùm Rudiarius, deindè in Parmenſi primarius Iuris Ciuilis interpres veſpertinus, qui anno ab Orbe redempto 1676. Nuncio Apoſtolico in Regno Neapolitano aderat à cauſis, ſcripſit, ediditque Parmę apud Marium Vignam anno 1666. in fol. Opus cum titulo, Series œconomica rerum tractandarum, interpretanda Rubrica, & l. ff. ſolut. matrim. Publici iuris ſunt eiuſdem Diſſertationes variæ.

BERNARDINVS de PINNA Peruſinus, anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi ab Orbe redempto, trigeſimo ſeptimo, mortem Georgij Boreæ, nobilis Lugenſis, Carmine etruſco deluxit.

BERNARDINVS SENSI Peruſinus, Guidi, & Ludouici genitor, Aſtronomus ſua ætate celebris, floruit initio ſeculi decimi ſexti à partu Virginis, & ſcripſit plura de Cælis, Aſtriſque, vti habemus ex pluribus, qui de hac arte tractarunt.

Meminit huius Bernardini cum laude Octauius Lancellottus in diſcurſu Italico à ſe habito in Collegio Mercantiæ, in admiſſione ad illud Ranieri Senſi.

BERNARDINVS ZIBELLINVS Peruſinus, Muſis addictus, carmina ſcripſit in laudem Marci Griſaldi, de Cometis differentis, & ad lectorem Cometologiæ Laconicę. Quæ typis Peruſinis in lucem edita anno 1608. apud Auguſtos cum ipſa Cometologia.

BINVS CIARDOLINVS patria Peruſinus, legum interpres magni nominis in Academia Peruſina, & in Salernitana Picentinorum, Principatus Citerioris, ſcriptis conſigna-

consignauit plura in re legali, quæ autem ista sint, adhuc mihi ignota.

Est huiusce mentio apud Alexandrum Balestrinum de Gymnasio Perusino.

BLASIVS BARTOCCIONIVS è Castilione ad Lacum Transimenum, cum anno 1671. humanioribus literis vacaret in Seminario Episcopali Perusino, Insignia Lucæ Alberti de Patritijs, Episcopi, versu latino exornauit.

BONCAMBIVS de BONCAMBIIS Perusinus, eximiæ vir doctrinæ, & prudentiæ, scientijsque multis, quibus ornatus erat illustris, cum Iurisprudentiam per annos plures in Patria Academia professus esset, causarum patronus, & Iudex aliquando ibidem vixit, inde Florentiam, vocatus, res publicas illius Vrbis, Magistratuum imperio procurauit, ex quo munere anno 1449. promotus ad dignitatem Senatoris Vrbis.

Huiusce tractatum vidi Romæ apud Theodorum Maidenum causarum patronum M. S. de potestate Senatoris in Vrbe.

De hoc tractant Cęsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino.


BONIFACIVS CHERVBINVS CINAGLIA, patria Perusinus, Clericus in Seminario Episcopali eiusdem Vrbis, edidit anno 1666. in laudem Deiparæ Virginis carmen, & anno 1671. aliud de S. Basilio Magno; viuebat in Patria sacris initiatus anno 1676.



CÆSAR







ÆSAR ALEXIVS Iuris Cōſultus magni nominis, Peruſinus, vir vndequaque doctiſſimus, Iurisprudentiam per annos plures profeſſus eſt in Patria Academia; Per decennium deindè varijs in Vrbibus Italiæ forenſem Iudicem egit; & denique Mediolanenſi in Archiepiſcopatu vicariam in crimina poteſtatem exercuit diutius: Indè Peruſium referens pedem, Maiorum monumenta reuoluens, Vrbiſque antiquitates cum attentè inueſtigaſſet, ſcripſit Centurias tres Elogiorum Conciuium ſuorum, qui literis, & armis floruerunt. quorum Centuriam primam edidit Fulginij anno 1635. in 12. & Secundam Romæ anno 1652. Tertiam vidi M.S. apud hæredes.

Elaborauit etiam rerum Peruſinarum Commentarium, aſſeruatum M. S. apud eoſdem hæredes.

Inſuper ſuis literis vernacula lingua Italica, typis Patrijs euulgatis anno 1603. Alphonſo Eſtenſi, Academiæ Inſenſatorum Principi conſecrauit diſcurſum Leandri Bouarini de Tempore. Eiuſdem Carmen in laudem eiuſdem Principis, editum inuenies cum laudato diſcurſu.

De hoc Cæſare tractat Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

CÆSAR BARTHOLELLVS è Fracta, Oppido Territorij

ritorij

ritorij Perusini, humanis literis illustris Philosophia, ac Iure Ciuili clarus, ex Romanæ Curiæ Aulico, Causarumque Patrono. à Clemente huius nominis VIII. Pont. Max. anno 1602. ex Præfecto Petri Cardinalis Aldobrandini in audiendis causis, renuntiatus, Episcopus Fori Liuij, sanctè prudenterque Ecclesiam illam per annos duos supra triginta administrauit, obijtque anno 1634. alijs 1635. cum edidisset Decisiones Synodales, Clericis suis perutiles.

De hoc est mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

CÆSAR BONTEMPIVS Perusinus, Ioannis Baptistæ filius, cum Rethoricæ studeret in Seminario Episcopali Patrio, anno nostri seculi primo supra septuagesimum, Lucæ Alberti de Patritijs Episcopi Perusini laudes, Anagrammate, & versu latino explicauit, editis anno eodem Perusiæ in Typographia Episcopali.

CÆSAR CAPORALIVS, patria Perusinus, inter festiuos Poetas vtraque lingua, latina videlicet, & etrusca clarus, in vtroque Iure versatus, & in ratione ciuili doctus, prefuit Prætor seculo decimo sexto á Christi natiuitate Atriæ, Vrbi Regni Neapolitani, & Aprutij Citerioris in planitie quæ est Ducatus gentis Aquauiuæ, & distat ab ora maris Adriatici tribus miliaribus, octo à Pinna in Septentrionem, & tredecim ab Aterno in occasum, obijtque, non apud patrios Lares, sed apud Castellionem ad Lacum Trasumenum anno salutis 1601. ætatis suæ 71. ibique quiescit apud Augustinianos cum edidisset materna lingua Rimarium, Placentiæ 1574. apud Franciscum Comitem. nec non

Vitam, Exequias, & descriptionem hortorum Mæcenatis, cũ versibus rythmicis Perusiæ 1580. & Parmæ 1604.

Comædias item plures sub sequentibus titulis

La Ninnetta. Venetijs 1602.

Gl'auuisi

Gl'auuisi
Il Curiandolo
La Corte } Perusiæ 1651. apud Sebastianum Zecchinum.
Il Monte Parnaso
Il Pedante
Sonetti.

Celebrant tantum Poetam Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 1. Crispoltus lib. 3. Perusiæ Augustæ.

CÆSAR CENCIVS, Perusinus Sacerdos, Præpositus Ecclesiæ Montis Milini, hoc præsenti anno 1677. adhuc inter viuos, olim Seminarij Episcopalis patrij Clericus Carmen latinum scripsit, publicique iuris fecit anno 1653. de expectatione partus B. Annæ, Matris B. Mariæ.

CÆSAR CRISPOLTVS, seu Chrispoltus, vel de Crispoltis senior, Rainerij filius, in vtroque Iure Laureatus, patria Perusinus, Cathedralis Canonicus, atque Academiæ Insensatorum Princeps, in Perusina historia, nec non in sacra Theologia versatus, Musices doctus, Poeta primi nominis, scripsit Italicè Scolarium Ideam, Perusię publici iuris factam anno 1604. apud Vincentium Columbarum in 4.

Elaborauit etiam tribus libris Historiam Augustam, eadem lingua, post eius obitum, sequutum anno 1606. à Cæsare Crispolto nepote euulgatam anno 1648. apud hæredes Petri de Tomasis, sub titulo *Perusia Augusta*.

Patrios annales quoque descripserat, vt refert Marcus Antonius Bonciarius epistola 59. Selectarum.

Ad posteros transmisit libros tres Lectionum Academicarum, & librum vnum versuum Rythmicorum, hi asseruantur M. SS. apud hæredes. publici iuris sunt illi euulgati anno 1628. in laurea Fr. Aloysij Ciambani Melitensis Ordinis Hierosolymitani.

Huius autem literas ad Marcum Antonium Bonciarium excusas inuenies Perusiæ anno 1613. cum illis eiusdē

Bonciarij; Illas ad Ascanium Corneum, Castilionis Marchionem, quibus illi sacrat Poematia etrusca Philippi Alberti, legere quisque poterit initio eiusdem voluminis. Venetijs publicæ luci datas anno 1603. illas de vestibus Senatorum Romanorum ad Anselmum Sectum, seu de Settis, Perusinum Seruitam; & illas ad Priorem de Vbaldis, de reparatione Perusiæ, facta Octauiani Augusti tempore; nec non alias ad Gattamelatam Vibium de Nummismate C. Vibij Pansæ, cum alijs ad diuersos, asseruatas inuenies apud Patres Societatis Iesu in Collegio Perusino, ex legato Dionysij Crispolti.

Celebrant tantum virũ Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, & Bonciarius loco laudato.

CÆSAR CRISPOLTVS Iunior, senioris nepos, patria Perusinus, Sacerdos pius, & literis versatus, apud Patres Oratorij S. Philippi Nerei vitam duxit innocentem vsque ad annum Christi 1652. qui fuit illi postremus, nam die 16. Nouembris è viuis abijt, cum Historiæ Augustæ à Patruo descriptæ, literas præfixisset suas ad earum promulgationem à se factam anno 1648.

CAESAR CORNEVS Perusinus, Philosophiæ, & Iuris curriculo feliciter emenso vtriusque Signaturæ Referendarius renuntiatus, tum Anconæ, ac Centum Cellis summo cum imperio Præfectus, Clementem VIII. Pontificem Maximum Ferrariam versus Roma abeuntem, apparatu, sumptuque supra priuatum, nec infra regium excepit; mox varijs functus muneribus Clericus Cameræ Apostolicæ ab ipso Clemente euulgatus, dum maiora sperat, effertur ad tumulum die 21. Augusti anno salutis 1609. post obitum conditus in Ecclesia S. Francisci in Patria.

Huius auctoris vidi M. S. accuratam narrationem itineris eiusdem Clementis Roma Ferrariam.

De hoc agunt Cæsar Alexius in Elogijs Clarorum Ci-

uium Perusinorum Cent. 2. Crispoltus in sua Perusia Augusta lib. 3.

CÆSAR FVMAGIOLIVS Perusinus, post humanarum literarum studia, Legali disciplinæ operam dedit, & vtriusque Iuris Doctor pronuntiatus, atque in Collegiatorum albo adscriptus, publicas Iuris Cathedras conscendens ad primaria vsque gradatim per annos triginta, magna cum laude peruenit; ediditque Commentarium in l. in quartam ff. ad leg. Palcidiam Venetijs in 4. anno 1569. Reliquit etiam Consilia plurima diuersis data, quando causarum Patronus vixerat in Patria Vrbe, in qua animam efflauit anno Christi 1600. alijs 1601. ætatis suæ 60.

Meminere huius Vuolfangus in libro de Claris Iurisperitis, Crispoltus in Augusta Perusia, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs.

CAESAR GHERARDVS è Fossato, Oppido agri Perusini, Legum scientia præclarus, has enim per annos plures publicè professus est in Academia Perusina, iam inter eiusdem Vrbis ciues adscriptus, & Firmi in Piceno; ex Scipionis Burghesij causarum Auditore, vtriusquę Signaturę Referendarius, & Basilicæ Liberianæ primò, tum Vaticanæ Canonicus, deindè S. R. E. Cardinalis à Paulo V. anno 1621. die 11. Ianuarij renuntiatus sub titulo S. Petri in Monte Aureo, anno sequenti ad purpuram, Episcopatum Camerini obtinuit sub Gregorio XV. successore. Decessit Romę anno 1623. alijs, sed malè 1624. ætatis suæ 46. pridie Calendas Octobris; Iacet ad S. Franciscum propè fluminis ripam in Marmoreo Sarcophago cum sequenti Elogio.

D. O. M.

CAESARI GHERARDO PERVSINO
SANC. ROM. ECCL.

TITVLO S. PETRI IN MONTE AVREO
PRESBYTERO CARDINALI,
QVEM PERVSIAE FIRMIQVE XX. ANNIS
IVS CANONICVM INTERPRETANTEM
A SCIPIONE CARD. BVRGHESIO
ROMAM EVOCATVM AVDIENDISQVE
APVD SE CAVSIS PRAEFECTVM
PAVLVS V. PONT. MAX.
INTER VATICANI CANONICOS,
ET VTRIVSQVAE SIGNATVRAE
PATRES RETVLIT,
ATQVE IN AMPLISSIMVM COLLEGIVM
COOPTAVIT:
GREGORIVS XV. CAMERTIBVS
PRAESVLEM DEDIT.
MORS AN. XLVI. NONDVM EXACTO
PRIDIE CAL. OCTOBRIS
MDCXXIII. RAPVIT
DOMINICVS GHERARDVS MOESTISSIMVS
B. M. P.

Tantus hic Cardinalis ſcripſit varias, & doctas pręlectiones ſuper diuerſos tractatus.

Eiuſdem literas latino idiomate exaratas ad Ioannem Baptiſtam Laurum, auctorem Commentariorum de Annulo pronubo Deiparæ Virginis, qui Peruſiæ religioſiſſimè adſeruatur, euulgatas inuenies Typis Colonienſibus apud Ioannem Kinkium 1626. cum ipſis Commentarijs.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Theodorus Amydænus in Vita, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię Criſpoltus lib. 3. Peruſiæ Auguſtæ, & nos in Athenæo Romano.

CAESAR GVALTERIVS patria Peruſinus, homo acutus, & in augenda Patriæ gloria ſatis diligens, vixit initio ſeculi decimi ſeptimi poſt Chriſtum natum, & ſcripſit

Com-

Commentariolum de Tiberis exundationibus arcendis, & moderandis, editum Perusię.

De hoc Io: Baptista Laurus epist. 82. Centuriæ 2.

CAESAR LAVRINDVS Perusinus vir doctus, floruit initio nostri seculi, quò typis patrijs edidit opus de illegitimis Clericorum, & Regularium in 4. anno 1646.

Est huiusce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

CAESAR MENICONVS Perusinus, Academiæ Insensatorum Princeps, Musis pergratus, & familiaris, anno nostri seculi tertio, & septimo supra trigesimum carminibus etruscis, Perusiæ euulgatis, mortem Georgij Boreæ, nobilis Lugensis, nec non Ludouici Alberti defleuit, & laudauit Horatium Fagnanum Ariminensem, ac Io: Franciscum Pasquam in laurea vtriusque Iuris, in eadem Ciuitate obtenta; anno verò 1643. Alexandri Algardi, Statuarum nostra ætate artificis commendatissimi, & Hieronymi Fumagioli, auctoris Idillij prænotati l'Ateone laudes cecinit.

Est nostri Cæsaris memoria cum laude apud Scipionem Tolomeum Tom. 1. literarũ: & apud Felicem Ciattum libro 6. Perusiæ Etruscæ.

CAESAR de ODDIS Perusinus, Comitis Francisci filius, dum Rhetoricæ studeret in Seminario Episcopali anno nostri seculi primo supra septuagesimum, edidit Carmen latina lingua de Origine Seminarij, ad Fuluium Corneum, eiusdem Auctorem; hoc anno 1676. literarum studiosus, vitam viuit honestam.

CAESAR RAINERIVS Perusinus Comitis Astorris filius, anno voluentis seculi decimi septimi quinto supra quadragesimum, etrusco carmine lauream Ioannis Baptistæ Lazzarini exornauit, vitam viuebat in Patria anno eiusdem seculi septuagesimo sexto.

CAESAR RAINERIVS Iunior, Rainerij Rainerij filius, & ipse Perusinus, dum Rethoricæ vacaret anno 1671.

latino

latino versu publici iuris facto typis Patrijs D. Basilij Magni Episcopi Cesareæ laudes cecinit, & simili, anno 1675. ibidem euulgato purpuram Federici Cardinalis Columnæ commendauit. intentus literarum studijs anno 1676. vitam viuit honestam.

CAESAR RIPA Perusinus, Eques SS. Mauritij, & Lazari, Antonij Mariæ Cardinalis Saluiati primùm, mox Laurentij Saluiati nobilis Aulicus, eruditione claruit seculo decimo sexto post Christum natum, quo Italicè edidit Iconologiam, seu descriptionem diuersarum Imaginum antiquarum; Romæ primùm anno 1593. per Ioannem Grigliottum, iterum auctam ibidem anno 1603. per Lepidum Facium, & Patauij 1625. in 4. per Petrum Paulum Tottium, euulgatam; demum Venetijs anno 1669. apud Nicolaum Pezzanam auctam, & in tres libros diuisam á Ioanne Zaratino Castellini Romano.

Opus facilè, & necessarium Poetis, Pictoribus, & Cælatoribus ad gerendas personas virtutum, ac vitiorum, animique affectuum.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Philippus Labbè Soc. Iesu in Mantissa antiquariæ supellectilis.

CAESAR ROSSETTVS, Perusinus patria, professione Scultor, ingenio magis, quam Fortuna clarior, Petri Perusini discipulus, Raphaelis Vrbinatis condiscipulus, à quo architectandi peritiam tam benè excepit, vt Astorres Balliorus ingenti auro coemerit librum a nostro Cesare in re Architectonica conscriptum, qui liber in Turcarum manus, vna cum Cypri Regno peruenit.

Est huiusce Cæsaris mentio apud Alexium in Elogijs clarorum Ciuium Perusinum.

CAESAR SPETIALINVS nostra ærate Prepositus Ecclesiæ Miralduoli in Territorio Perusino, olim Clericus Seminarij Episcopalis eiusdem Vrbis, versu latino elegiaco, in publicam lucem dato anno salutis 1653. explicauit

illud

illud Cant. 4. vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum, & Natiuitati Deiparæ accomodauit.

CAESAR THOMASSINVS Peruſinus Medicinæ Doct. Muſiſque gratus, vixit noſtro ſeculo, cuius annus ſeptuageſimus fuit illi poſtremus, nam die 9. Iulij è viuis abijt in Patria, cum Carmine latino laudes ceciniſſet Pauli Segneri Concionatoris, tempore quadrageſimæ in Primario Templo Peruſino S. Laurentio Martyri ſacro, quod cum alijs diuerſorum publici iuris factum ſcimus eadem in Vrbe anno poſt Natiuitatem Chriſti 1665. typis Cameralibus, & Epiſcopalibus apud Angelum Laurentium in 4. ſub titulo, Plauſus Inclyto verbi Dei Præconi Paulo Segneri Antiati Soc. Ieſu.

Anno verò 1669. ſimili carmine Cornelium Oddum, Cruce Calatrauæ inſignitum, ſummis laudibus exornauit, anno 1628. oratione latina laudauit Fr. Aloyſium Ciambany Melitenſem, Ordinis Hieroſolymitani, ornatum Peruſiæ laurea doctorali, & ſcripſit Odam, & Carmina plura in S. Petrum Abbatem, typis Peruſinis euulgata anno 1646.

CAMILLVS ANASTASIVS Peruſinus anno euoluentis ſeculi ſecundo ſupra decimum verſu latino, typis patrijs euulgato eodem anno laudauit D. Ioannem Iacobum, Baronem in Konigſegg, Canonicum Eccleſiarum Colonienſis, Saliſburienſis, & Auguſtanæ, publicas iuris vtriuſque Theſes ſuſtinentem in ipſa Vrbe Peruſiæ.

CAMILLVS BALLIONVS Peruſinus, licet cum bellicoſo ſanguine martiales ſpiritus ex Auorum progenie habuiſſet, bonarum tamen literarum ſtudio in legali facultate breui laureatus, in patria Academia ſumma eloquentia, omnium plauſu Iuris prudentiam profeſſus eſt. Quare cum inter primarios qui ſui Doctores haberetur, Romam tranſmiſſus ad Leonem X. Pont. Max. vt Patriæ nomine ardua quædam multis implicita difficultatum nodis negotia cum eo pertractaret, breui non ſolum, ac

feliciter

feliciter illa confecit. sed maiestate sermonis; mellifluoque dicendi genere, Pontificis gratiam tam firmiter aucupatus est, vt illicó sacri Consistorij primum Aduocatus, mox Rotæ Romanę Iudex renuntiatus; dum maiora speraret ex mortali ad immortalem vitam mense Augusti anno 1534. transijt; relinquendo pro posteris erudita Consilia, & Decisiones plures.

Celebrant hunc Ballionum Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum Cent. 2. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Io: Baptista Cantalmagius in Catalogo Auditorum Rotę Romanę, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Io: Baptista Laurus Cent. 2. epist. Pellini in sua historia.

CAMILLVS FABIANVS Perusinus, Seminarij patrij olim alumnus, poesi vtraque lingua, latina videlicet, & etrusca nostra ætate clarus, sua morte iam defunctus post annum 1673. Typis Perusinis anno 1647. euulgauit Carmina latina in laudem Deiparę Virginis, anno verò 1672. Carmine etrusco cecinit laudes Victorię Balestrieri Anconitanæ, quando sese Deo in Cœnobio Auximano S. Benuenuto sacro, deuouit.

CAMILLVS GROTTVS Perusinus, anno voluentis seculi decimi septimi, duodecimo, Carmine latino laudauit D. Ioannem Iacobum, Baronem in Konigsegg, Canonicum Coloniensem, Salisberiensem, & Augustanum, dum publicas iuris vtriusque Theses defenderet Perusię. quod carmen publici iuris factum est in eadem Vrbe, ex Typographia Augusta, eodem anno.

CAMILLVS HIEREMIA Perusinus, anno nostri seculi duodecimo, latinis Epigrammatibus laudes D. Ioannis Iacobi Baronis in Koniglegg, Canonici in Ecclesijs Coloniensi, Salisberiensi, & Augustana, prosequutus est, dum publicas iuris vtriusque Theses Perusię sustineret.

Quæ Epigrammata ibidem euulgata sunt, cum alijs anno eodem,

CAMILLVS PALVMBVS Derutensis, Sacerdotio præditus, vitam viuit in patrio Oppido, Comitatus Perusini, olim Seminarij Episcopalis Perusini clericus, carmine laudes Deiparæ cecinit, quod typis Perusinis publici iuris factum est anno 1666. cum anno præcedenti ijsdem typis euulgasset de D. Basilio Magno Epigramma.

CAROLVS ANGELETTVS dignitate Sacerdos, patria Perusinus, claret pietate, & doctrina, hoc seculo decimo septimo à partu Virginis, cuius anno sexto supra sexagesimum apud Hæredes Zecchini typis patrijs publici iuris italicè fecit Opusculum sub titulo, *Indrizzo alla vera diuotione*.

CAROLVS BALLEONVS Perusinus Canonicus, à puero à suis maioribus in omnium disciplinarum genere educatus, Carmine latino typis patrijs publici iuris facto anno 1637. Georgij Boreæ Nobilis Lugensis obitum defleuit, & anno 1640. simili parentauit Ludouico Alberto.

CAROLVS de BAPTISTIS Perusinus, Academicus Insensatus, nostra ætate Musis deuotus, etrusca Lyra ab anno 1670. ad currentem 1677. laudes diuersorum cecinit: nempe, Abbatis Mauri Baronij, Oliuetani Oratoris sacri, Caroli de Honuphrijs Fulginatensis, Io: Baptistæ Berti Romani Monachi Siluestrini Concionatoris, tempore aduentus in Cathedrali Patria, Sancto Laurentio sacra; Lauiniæ Ranieræ, Vittoriæ Balestrinæ, Catarinæ Alphanæ, Annæ Mariæ Blanchæ, Valentiæ Virginiæ Valentis, ac Martiæ Floramontiæ perpetuę religioni, & castitati addictarum in diuersis Italię Cœnobijs, nec non Francisci Andreę Perusia discendentis Neapolim versus. Collegit etiam diuersorum carmina, vtraque lingua latina, & etrusca, scripta in obitu Antonij Baptistę Dionisij, incliti Ducis, extincti in postremo bello Cretensi, & suis literis

editis in lucem anno 1673. illa consecrauit Francisco Cardinali Barberino, sub titulo, *Epicedij della fama in morte del Sig. Capitano Antonio Battisti Dionigi*. Purpuram quoque Federici de Vbaldis, Cardinalis Columnę á Clemen- X. Pont. Max. illi collatam extulit.

Virtute vitam viuit in patria hoc anno 1677.

CAROLVS CAPORALIS Perusinus, Cęsari eiusdem agnominis, Poetę clarissimo, sanguine coniunctus, Philosophię, ac sacrę Theologię Doctor, Cathedralis patriæ Canonicus Pœnitentiarius, scripsit Italicè in Cęsaris Caporalis carmina, Notas, Perusię publici iuris factas anno 1651. Qua in Vrbe è vita postea migrans die 20. Septembris, anno 1672. conditus est apud Maiores, ad aram S. Barbarę sacram in eadem Cathedrali.

CAROLVS de COMITIBVS Romanus, Collegio Nobilium Perusinorum adscriptus, Torquati, Poli Ducis, ac Violantis Farnesię filius, humanioribus literis Romę in Collegio Germanico puer adhuc, & maior factus iuri tum Pontificio, tum Cęsareo Perusię operam nauauit; qua in Vrbe Doctoris laurea obtenta, Romam rediens, inter Referendarios cooptatus, pręfuit Vicelegatus Patrimonio Petri, & Prętor rexit Camerinum. Ascendit sub Sixto V. ad Episcopatum Anconitanum, pręsedit Perusio, Vmbrięque Prouincię, tum Marchię Anconitanę. obtinuit sub Clemente VIII. Legationem Auenionensē; ex hoc munere in Purpuratorum Senatum ascitus est. Romam venit post Clementis obitum, & à Paulo successore Titulum S. Chrysogoni primó, mox S. Clementis, demum S. Laurentij in Lucina obtinuit. Sub eodem Pontifice repentina morte Romę 3. Nonas Decembris, anno 1615. sublatus, conditus est in postremo titulo S. Laurentij, quem paulò antè obtinuerat.

In Pontificatu Clementis ante purpurā, Nuncius Apostolicus extra ordinem Cęsarem adijt. fuit vir doctus gręcè, & latinè; in Academia insensatorum Perusię omnibus applau-

applaudentibus Principatum egit; ſcripſitque multa. publici iuris ſunt huius Conſtitutiones, Peruſię apud Hęredes Andreæ Brixiani, anno 1595. excuſæ, ſub titulo Comitinę Conſtitutiones.

De Carolo Cardinali tractant Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Iulianus Saracinus Canonicus Anconitanus in Memorijs Anconę, & Nos in Additionibus ad Ciaconiū.

CAROLVS DONIVS Peruſinus, Curtij frater, natu minor, Pauli, ac Vincentij de quibus inferius, nepos, anno voluentis ſeculi ſeptuageſimo ſeptimo, verſu etruſco typis patrijs euulgato, P. Federici Trenta, Sacerdotis Societatis Ieſu, Conciones ſacras, laudauit.

CAROLVS GAROFANVS patria Peruſinus, profeſſione religioſus Ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ Magiſter, qui anno ſeptuageſimo noſtri ſeculi viuebat, nomen, nec non ordinem illuſtrauit ſuum, ſcribendo Idilium etruſco Carmine, ſub titulo, *Giuditta trionfante*, ediditque Fulgineæ in 4. anno 1657. apud Auguſtinum Alterium.

Euulgauit etiam diſcurſus varios ſub his titulis

Il Cielo ſtellato.

L'Idea celeſte.

Gl' applauſi anagrammatici.

Il trattenimento Eliconio, cum diſcurſibus varijs Academicis, & Anagrammatibus.

Il Pellicano ſuenato in laudem S. Thomę à Villanoua, Florentię 1641.

Il riſcatto pietoſo, pro defunctis.

Expoſitionem pſalmorum 18. & 22. & Cantici Magnificat, in laudem Deiparæ Virginis, & honorem Sanctorū.

Philoſophiam in arctum.

Summulam Theologiæ Moralis.

Meminere huiuſce Caroli Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Fontana in Catalogo Scriptorum Prædicatorum Prouinciæ Romanæ;

CAROLVS de LVNA Perusinus, Francisci Mariæ, de quo inferius genitor, claruit nostra ætate eloquentia, vixitque aliquando Aulicus nobilis apud Principem Perettum, & fuit auctor Ermidauri tribus libris etrusca lingua, typis Romanis anno 1641. euulgati. Carmine verò eiusdem idiomatis publici iuris facto Perusiæ 1637. & 1652. Io: Baptistæ Santolini Cęsenatis, nec non Laurentij Abbatis Saluiati laureas doctorales commendauit, deluxitque obitum Georgij Boreę, nobilis Lugensis.

E vita migrauit in patria anno eiusdem seculi secundo supra septuagesimum die 20. Februarij, iacetque apud Seruitas in Ecclesia S. Mariæ in sepulchro Maiorum.

De hoc Aloysius Ficienus in epist. pręfixa Ermidauro.

CAROLVS PACI Congregationis Oratorij Perusini Sacerdos, in sacris paginis versatus, Italicè Concionem scripsit in festo purissimę Conceptionis B. Marię Virginis, editam in lucem typis patrijs anno 1673. in volumine Concionum diuersorum.

Vitam viuit hoc anno 1677. cum virtute inter Patres eiusdem Oratorij.

CAROLVS PETRVCCIVS, seu Petrutius Perusinus, pius, & doctus Sacerdos in sacra Theologia laureatus, anno salutis humanæ 1600. Italicè edidit in Patria Modum orandi, & pręces, legendas anno Iubilęi à Christi fidelibus, quando obeunt septem Vrbis Ecclesias. anno verò eiusdem seculi quinto supra vigesimum Typis Romanis euulgauit Methodum orandi in visitatione quatuor Ecclesiarum Vrbis pro Iubilęo eiusdem anni, cum anno 1584. Perusię in lucem dedisset, Ordinem Officij recitandi, iuxta ritum S. R. E. siue Calendarium perpetuum, deseruiens omnibus annis in quibus literę Dominicales erunt A. B. C. D. E. F. & G.

Hunc recenset inter Scriptores Vmbrię Ludouicus Iacobillus.

CAROLVS SABATINVS, Perusinus Sacerdos, Pa-

rœcciȩ S.Agathȩ in Patria Prȩpositus,Philosophiȩ Doctor, Collegio eorumdem adscriptus, Academicus Graphicus, vulgò *del Disegno*, & Insensatus, Horatij Monaldi, Marci Antonij Oddi, & Lucȩ Alberti Patritij, Episcoporum Perusinorum à secretis, olim literarum humanarum in Episcopali Seminario professor, librorum Censor Synodalis, qui vitam viuit hoc anno 1677. typis patrijs latino Idiomate edidit Opuscula diuersa, sub his titulis

Columba, siue Laudes in Natali Deiparæ.

Prædictio Astrologica super orta Maria.

Virginis Genethliacon.

Rosa autumno prodigiosè exorta.

Apollo Magnus.

Sol nouus.

Sanctitatis, & Sapientiæ Regnum.

Anno 1645. Io: Baptistæ Lazarini lauream versu latino exornauit, & simili anno 1648. Timotei de Timoteis laudes cecinit; nec non anno 1652. Laurentij Saluiati Florentini,& N.Sabatini laureas eodem carminum genere extulit; anno 1665. laudauit Paulum Segneri è Societate Iesu,Concionatorem tempore Quadragesimali in primario templo Perusino,S. Laurentio Martyri sacro, & annis proximè sequentibus Lemmium Rubeum Mathematicum, & Philosophum sapientissimum, Grȩcæque linguȩ peritissimum, Auctorem Sistematis Musici, Iosephum Estensem Abbatem Mustium, Maurum Baronium Abbatem Oliuetanum, & Federicum Trenta, Sacros Oratores, Abbatem Franciscum, & Equitem Cornelium ex Comitibus de Oddis, Dominicum Orsutium Lucensem, Carolum de Honuphrijs Fulginatensem, Sebastianum Fantonum Carmelitam, & Io: Baptistam Bertum Romanum, Monachum Siluestrinum, Euangelij præcones; Purpuram Federici Cardinalis Columnæ, Comitia Monacorum Cassinensium; Translationem Cinerum S. Amantij Martyris, & librum Io: Baptistæ Nicolosi,inscriptum Hercules

Siculus,

Siculus, typis Romanis euulgatum anno 1670. Elogio quoque laudauit Io: Antonium Monaldum, Benedicti Cardinalis de Vbaldis fratrem, Lachrimis etiam simili versuum metro prosequutus est mortem Ludouici Doctoris Alberti, & Antonij Baptistæ Dionisij strenui Ducis, sequutam nostra ætate in Insula Cretæ. Anagrammate etiam, & versu latino extulit S. Petrum Vinciolum Abbatem.

Habet prælo paratum volumen literarum, sub titulo; *il Segretario de Vescoui*.

Item tomum variarum lucubrationum lingua latina, & etrusca, cum Inscriptione, *il Seminario*,

Opus, sub nuncupatione, Arcana linguæ Sanctæ.

Commentaria in Almagestem Ptolomei.

Concordiam inter philosophos, & Medicos in Aristotelis dicta.

Et Compendium Thesauri linguæ hebraicæ.

CAROLVS SOTIVS Perusinus, Seminarij Patrij Episcopalis olim alumnus, deindé Cathedralis Canonicus anno 1644. Idilium etrusca lingua edidit in natali die B. Mariæ à se dictum; anno vero 1656. publicam supplicationem Sanctissimi Crucifixi simili carminum genere expressit, & lauream Abbatis Iosephi Estensis Mustij extulit.

Vitam ducit hoc anno 1677.

CAROLVS VVETTVS patria Perusinus, Iuris vtriusque Doctor Collegiatus, primus ex suis ciuibus inter Iudices Rotæ Perusinæ connumeratus, Clementis X. Maximi Pontificis beneficio; ab adolescentia Musas coluit, ac etruscam lyram ab anno voluentis seculi tertio supra quadragesimum ad prę́sentem quem ducit, laudauit S. Philippi Nerij statuam ab Alexandro Algardo elaboratam, laureas Io: Baptistæ Lazarini, Abbatis Iosephi Estensis Mustij, & Laurentij Abbatis Saluiati, Maurum Baronium Abbatem Oliuetanum, Paulum Segneri, & Federicum

Trenta Sacedotes Soc.Iesu &Io:Baptistam Bertũ Romanũ Monachum Siluestrinum, Sacros Oratores. Ad eamdem Lyram defleuit Marci Antonij Eugenij, Aduocati Consistorialis, & Antonij Baptistæ Dionisij, Militum Ducis obitum, sequutum in Insula Cretæ: extulit etiam D.Zachariã de Aloisijs, Abbatem Monasterij Perusini S. Petro Apostolorum Principi sacri, Auctoris Opusculi in lucem editi Perusiæ 1646. sub titulo, *Racconto delle Juntioni litterarie, fatte da Monaci Cassinensi, nel Capitolo generale celebrato in Perugia l'anno* 1646. & purpuram Federici Cardinalis Columnæ à Clemente X. Purpuratorum Senatui adscripti. Scripsit quoque in aduentu Christinę Reginę Suecię etruscum carmen ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum; & Epitalamium, sub titulo, *Turrena festante* in nuptijs Comitis Francisci de Oddis, & Artemisiæ Bontempi. Occasione autem publicæ supplicationis à venerabili Sanctissimi Crucifixi Societate peractę, Christum in Caluario è Cruce pendentem expressit, laudauitque Valentiam Virginiam Valentem, & Martiam Floramontiam quando sese dicarunt Deo, in Cœnobijs S. Crucis Trebiensis in Vmbria, & S. Agnetis Perusię. Hae omnes eruditę lucubrationes publici iuris factæ Perusię sunt diuersis temporibus.

CHRISTOPHORVS ê Corciano, Oppido Territorij Perusini, inter Minores obseruantes S. Francisci Perusię anno 1673. Italicè edidit concionem à se habitam Dominica quarta Aduentus in Templo principe SS. Laurentio Martiri, & Erculano Episcopo sacro.

CHRISTOFORVS LAVRVS Eques Hierosolymitanus, Io: Baptistę Lauri, de quo inferius agemus, Patruus, plurimorum principum Italorum à secretis, claruit doctrina, pietateque initio voluentis seculi decimi septimi, à Christi natiuitate, vti habemus ex Epigraphe sepulchrali sequenti.

CHRISTOPHORO LAVRO PERVSINO I. C.
AC
EQVITI HIEROSOLYMITANO,
QVI A LAVRENTIO CELSO
TVM PERVSIAE, VMBRIAEQVE GVBER.
ADOLESCENS,
AD ROMANAM AVLAM TRANSDVCTVS,
FIDE, PRVDENTIA, INTEGRITATAE,
VARIISQVE INGENII SVAVITATIBVS,
TRES SIBI AMPLISSIMOS PRINCIPES
IN PRIMIS CONCILIAVIT.
VINCENTIVM LAVRVM TROPIENSEM,
SILVIVM SABELLVM ROMANVM,
BONIFACIVM BEVILAQVAM FERRARIENSEM,
CARDINALES.
FLAMEN, DEINDE DEPOSITA VICARII
MAMERTINI PERSONA,
IN ITINERE MELITENSI,
DIFFICILLIMO CONTRACTO MORBO,
SEXAGENARIO MAIOR
IGNOBILEM PAGVM SVA SEPVLTVRA
ILLVSTRAVIT.
IVLIANVS CASTANEACEVS
POPVLARIS.
NVNC EST MAMERTINVS;
AMICO OPTIMO
P. ANNO M DC XVII.

Scripsit Christophorus adhuc Iuuenis in studiosorum leuamentum etruscas fabulas, pluries in lucem editas. Maior veró factus Lucæ in Etruria euulgauit librum de D. Iulia Cartaginensi, in otio Liburniano ab se conceptum, & Carmine item etrusco cecinit laudes Cæsaris Ripæ auctoris Iconologiæ antiquarum Imaginum.

Reliquit in Obitu M. S. Literarum volumen, & Tragediam.

De

De hoc tractat Io: Baptista Laurus in Cent. 2. Epist. 8. ad ipsum Christophorum data, Alexander Baleftrinus de Gymnasio Perusino.

CHRISTOPHORVS SAXVS Perusinus, Grammaticus, & Rhetor sua ætate illustris, ex Francisco Maturantio, maturos eloquentiæ fructus abundanter collegit, eoque è viuis egresso in eius locum in publico Eloquentiæ Gymnasio, magno plausu est collocatus in Patria: Hanc Cathedram quadraginta annorum spatio magno auditorum fructu, sicut honorificè tenuit, ita discipulorum suorum sitim aureis eloquentiæ fructibus vberrimè expleuit. Demum vltima iam ætate vtroque lumine orbatus est, obijtque anno salutis 1550. alijs 1570. ætatis suæ 73. Cuius virtutes luculenta Oratione per Horatium Cardanetum habita, vehementer fuerunt celebratæ. Iacet in Patria Cathedrali.

Tantus hic vir edidit orationem de laudibus Perusiæ euulgatam ibidem anno salutis 1536.

De Arte Rhetorica }
De Institutione Oratoria } Ibidē impressas an. 1581.
Grammaticæ Institutiones. }

Reliquit etiam M. S. Orationes plures, & Opuscula nonnulla.

Huic tribuunt aliqui, sed malè, historias Daciæ, & Sueciæ, publici iuris factas à Saxo Grammatico.

Agunt de nostro Saxo Alexander Balestrinus in memorijs, & de Gymnasio Perusino, Marcus Antonius Maltempi, Crispoltus, Alexius, Felix Ciattus, Pellinus in suis historijs, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

CINVS, vide Cynus inferius.

CLAVDIVS CAVACEPPI Perusinus, inter Academicos Insensatos, anno reparati Orbis 1600. die 3. Martij adscriptus, latino idiomate Orationem scripsit, habuitque in funere Vincentij Palettari. Extat M. S. apud Patres Soc. Iesu, ex legato Dionysij Crispolti, facto Coll. Perusino.

CLAVDIVS CONTVLVS Perusinus, Academicus Insensatus, vir singularis ingenij, omnium virtutum libamine cumulatus, floruit initio voluentis seculi decimi septimi à Christi natiuitate, cuius anno quinto publicæ luci commisit latino idiomate Epigrammata diuersa, euulgata Perusię apud Academicos Insensatos, cum Aurelij Vrsi, Maphæi Barberini, Io: Baptistæ Lauri, Vincentij Palettarij, & Marci Antonij Bonciarij Carminibus.

Anno verò eiusdem seculi decimo, ex Typographia Augusta edidit versu heroico Epithalamium in nuptias Fuluij Cornei, & Leonorę Mendozzæ Marchionum, suisque literis ipsi Fuluio Marchioni nuncupauit; & anno 19. ibidem apud Marcum Naccarinum Idilium aliud in nuptijs Iacobi de Vbaldis, & Claudiæ Artemisiæ Corneæ, sub titulo, Venus vendemiatrix, quod suis literis ipso Iacobo sacrauit. Hymeneo autem nuptias Cæsaris Meniconi, cum Antæa de Vbalbis extulit, vti habemus ex Scipionis Tolomei literis ad ipsum Claudium datis, & rescriptis lib. 7. Tom. 1. Epistolarum suarum, quod editum Perusiæ anno 1614. vidi cum eiusdem Epigrammate ad Gryphum Augustæ Perusiæ anno 1617. publici Iuris facto.

Transtulit enim in etruscam linguam metricè Lucam Antonium Herculanum, & funebrem orationem latina lingua in Ædibus S. Laurentij habuit in obitu Cæsaris Caporalis, eximij Poetæ, & Academici Insensati.

Meminere Claudij Io: Baptista Laurus Epist. 23. Cent. 2. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

COMES SACCVCCIVS, filius Sacci, cognomento Montis Sacci, patria Perusinus, Philosophus, & Iuris Consultus magni nominis, florebat anno Domini 1450. circa quod tempus doctrinæ causa, qua ornatus viuebat, nam laurea donatus doctorali, magistralem Cathedram Iuris prudentiæ in Patria Academia, conscenderat; absens, & nihil tale cogitans Prætor Mediolanensis renuntiatus est.

Tantus

Tantus hic vir ſcripſit, in l. & ſi filium ff. de muneribus, & honoribus. huius doctas lucubrationes profert Io: Baptiſta Caccialupus in tractatu de modo ſtudendi.

Plurima etiam Reſponſorum, Conſiliorumque volumina ſcripſit, quæ M. SS. apud hæredes aſſeruabantur.

De hoc præter laudatum Caccialupum tractant, Alexander Baleſtrinus in memorijs Peruſinis, & de ſtudio eiuſdem Vrbis, Criſpoltus in ſua Peruſia Auguſta, Ludouicus Iacobilius de Script. Vmbriæ, Bernardinus Coirus in hiſt. Mediolanenſi, Cæſar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Peruſinorum.

CONRADVS, Andreæ Militis Peruſini filius ex Canonico Cathedralis patriæ in Epiſcopum Aſſiſienſem à Capitulo eligitur, & confirmatur à Ioanne XXII. clarebat enim doctrina, & morum ſanctimonia. Fato functus eſt, cum ius Aſſiſinatibus dixiſſet ad annum vſque 1337. & leges ſcripſiſſet, Conſtitutioneſque edidiſſet in Clericorum ſuæ Diœceſis commodum.

Eſt tanti Viri memoria apud Ferdinandum Vhgellium Tomo 1. Italiæ ſacræ, ex Regeſto Vaticano.

CONSTANTIVS FLORENTIVS Peruſinus in vtroque Iure laureatus, multarumque ſcientiarum peritus, vir tenaciſſimæ memoriæ, adeò vt totum Ius Ciuile in promptu, & ad verbum memorię, admirantibus omnibus, haberet, ex cuius ſtudioſis laboribus habemus de legibus Commentaria.

Vt refert Alexander Baleſtrinus in tractatu de Academijs Peruſinis,

CONSTANTIVS MARTINELLVS Peruſinus, Franciſci, de quo inferius, germanus frater, & Hieronymi genitor, Academicus Inſenſatus, à teneris annis ad ſenectutem honeſtam, quam ducit hoc anno 1677. Muſarum cultor, in iure verſatus, plures Italicas, latinaſque Poeſes concinnauit, varijs occaſionibus ſeorſim in patria impreſſas. Nempe ad lyram cecinit laudes Chriſtinæ

Alexandræ Reginæ Sueciæ, & Pauli Segneri Soc. Iesu, nec non D. Mauri Baronij Abbatis Oliuetani verbi Dei præconum in principe Laurentiano templo Perusino, tempore quadragesimali: exornauit etiam laureas doctorales Iosephi Mustij Abbatis Estensis, Laurentij Abbatis Saluiati, Io: Antonij Abbatis Serbellonij, Marcelli Abbatis Durazzij, & Laurentij Lomellini, nec non Purpuram Federici Cardinalis Columnę, & Comitem Claudium Marazzanum, Ecclesiasticum Curatorem in pestilentię morbum. Lugubri etiam carmine defleuit Georgium Boream nobilem Lugensem.

CONSTANTIVS PAVLVCCIVS Perusinus, Marci Antonij Bonciarij discipulus, Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconus, in græcis, & latinis literis versatus, Claruit initio voluentis seculi decimi septimi á partu Virginis, cuius ãnus duo de trigesimus, & dies 28. Martij fuit illi postrema. Huius ossa iacent in Patria Cathedrali apud maiores; & literæ latino Idiomate ad Iustum Lypsium Louanium, typis patrijs editæ sunt, anno eiusdem seculi, decimo tertio, cum illis Bonciarij Præceptoris. Vidi eiusdem gratiarum actiones ad Academicos Insensatos habitas latina lingua, Cæsare Crispolto principe, quæ adseruantur M. S. ex legato Dionysij Crispolti apud Patres Soc. Iesu in Collegio Perusino, cum Oratione à se dicta in funere Iusti lipsij; aliaque gratulatoria, habita die 13. Mensis Maij anno 1607. ad Academicos Insensatos in Principatu Academiæ eiusdem, collato in Fridericum Corneum.

CONSTANTIVS RICCIVS, patria Perusinus, in vtroque Iure Doctor, poetica lauro, nec non eloquentia nostra ætate clarus, olim Tadæi Barberini, Principis Præfecti à secretis; annis 1628. & 1633. Carmine etrusco exornauit laureas doctorales Fr. Aloysij Ciambany Melitensis, Ordinis Hierosolymitani, & Io: Baptistæ Pasquæ; & anno 1645. illam Io: Baptistæ Lazarini, anno verò 1651. illam Laurentij Abbatis Saluiati. Eodem Carminum genere

diuersis

diuersis temporibus laudes cecinit Pauli Segneri è Societ. Iesu Concionatoris in Laurentiano Templo Perusino tempore quadragesimali, nec non Cornelij Oddi Equitis Calatrauæ, & Rosalbæ Eugeniæ in Cænobio Virginum Deo dedicatę. Simili, annis eiusdem seculi septimo supra trigesimum, & tertio supra septuagesimum defleuit mortem Antonij Baptistæ Dionisij, sequutam in Insula Cretæ, cum peditum Dux contra Turcas pugnaret. & illam Georgij Boreæ nobilis Lugensis, nec non Ludouici Alberti.

Ediderat antea Bononiæ anno 1643. Italica lingua Opus in 4. sub titulo, *La maschera trionfante nella magnanimità dell Eccellentiss. Prencipe Prefetto Barberino*, quod opus ipsemet auctor Antonio Cardinali Legato nuncupauit,

Tandem post obitum sequutum in patria anno 1670, die 28. Augusti, eiusdem elucubrationes metricè elaboratas, collegit Ioseph Ansideus, patritius Perusinus, ab ipso Constantio constitutus in supremis tabulis ex asse earumdem hæres, & edidit Perusię in 4. anno 1673. apud Laurentium Cianum,

Huius cineres adseruantur ibidem ad D. Augustini Ædem.

Meminit Cōstantij nostri Hieronymus Tetius in Ædibus Barberinis.

CORNELIA BALLIONA Perusina, Ordinis Seruorum B. Mariæ Sanctimonialis, singulari eloquentia prædita, græcis, latinisque literis ornata; Orationes plures, habitas coram Paulo III. Pontifice Maximo, & S. R. E. Cardinalibus, edidit. Huius eloquentiam, & dicendi vim Paulus ipse admiratus adeò est, vt pluries Monasterium inuiserit, & eloquentem, & de scientijs differentem omnibus illam audierit.

Celebrant tantam Mulierem Archangelus Gianius in Annalibus Seruorum B. Mariæ Cent. 4. lib. 1. ad annum

Christi 1542. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, & de Sanctis, ac Beatis eiusdem Prouinciæ, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium ad Ballionum de Ballionibus.

CORNELIVS BENINCASA, siue de Ansideis Iuris Consultus primi nominis Perusinus, Eques aurati Calcaris, ac in prima patrij Gymnasij sede vespertinis horis Cęsarei Iuris interpres; Scripsit de paupertate, & de eius priuilegijs opus, euulgatum Perusiæ typis Andreæ Brixiani in 8. anno 1562.

Item lecturas in Rub. & l. 1. ff. solut. ibidem ex officina Petri Pauli Orlandi anno 1590.

Opuscula de Constitutione, & de Dote, ac de Aluuione ibidem 1572.

Anno verò 1587. per Nicolaum de Amadoris publici Iuris fecit ibidem Apologiam boni publici, de non constituendo Consanguineos cogi pro Bannitis de non offendendo.

Et lecturas alias in Iure Canonico ijsdem typis editas in lucem anno 1590.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Academijs Perusinis, Pellinus, & Crispoltus in suis historijs,

CORNELIVS CORNEVS patria Perusinus, nobilissima natalia ingenio illustrauit, scribendo egregium de Agricultura opus, vti habemus ex Ludouico Iacobillo de Script. Vmbriæ in Petro Philippo Corneo.

COSMAS MELIORATVS origine Perusinus, vide inferius Innocentius VII.

COSMVS SENSI Perusinus anno nostri seculi decimi septimi à partu Virg. trigesimo septimo, Carmine etrusco defleuit obitum Georgij Borcę nobilis Lugensis.

CVRTIVS DONVS Perusinus, Vincentij Sacerdotis Societatis Iesu; de quo inferius, & Pauli nepos, florente adhuc

adhuc ætate, aliqua typis commisit, quæ gloriosè peruagantur; cecinitque ad lyram etruscam annis 1672.1675. & 1677. laudes Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, Io: Baptistæ Berti Monachi Siluestrini, ac Federici Ttenta Societate Iesu, sacrorum Oratorum in patria Cathedrali.

CVRTIVS RAINERIVS Comes Perusinus anno salutis humanę 1665. Marco Antonio Oddo Episcopo Perusino suis literis sacrauit magnum Basilium Cesareæ Cappadocię Antistitem, laudatum in Collegio Seminarij Perusini à literarum candidatis. Idem de origine Seminarij Perusini, omnium antiquissimi, deque recolendæ memorię Marco Antonio Bonciario Carmen latinum scripsit, ediditque Typis Patrijs.

CYNVS, seu Cinus Iuris Consultissimus Perusinus, floruit ante Baldum qui quantus fuerit, scripta posteris tradita, satis indicant; scripsisse enim tradunt Consilia plurima, & Responsa.

Meminit huius Iacobus Philippus Bergomensis in supplimento Chronici lib. 6.



DANIEL







ANIEL Perusinus, Ordinis Minorum regularis Obseruantię, vir pius, & doctus iu lucem emisit annis 1600. & 1609. Bononię, anno verò 1631. Fulgineę vernacula lingua Italica, Catalogum Sanctorum, ac Beatorum Ordinis Minorum.

De hoc tractat Ludouicus Iacobillus de Scriptotibus Vmbrię.

DIAMANTES MONTEMILINVS Iuris vtriusque Doctor Perusinus, in Collegium cooptatus anno 1615. causarum Patronus nostro seculo illustris suis scriptis publicè editis anno 1635. Responsum secundum Timotæi de Timoteis annuę prestationis confirmauit.

DIOMEDES CORNEVS Perusinus, Marchionis Ascanij filius, à puero Musis pergratus, Diui Bernardi Abbatis Clareuallensis Carmine latino, typis euulgato anno 1606. laudes cecinit.

DIOMEDES GILIANVS patria Perusinus, Bartholomęi filius, nouis additionibus illustrauit Parentis Compendium Iuris Municipalis Ciuitatis Perusię, ediditque in Patria anno 1636. in fol. apud Angelum Bartolum.

Meminit Diomedis Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię in Bartholomæo parente.

DIOMEDES de MONTE SPERELLO Perusinus, Seminarij

minarij Romani olim alumnus, ab adoleſcentia commendatus, inſignibus ſummi honoris non ſemel in Patria ornatus, Academiæ Inſenſatorum Princeps, è viuis abijt Peruſiæ die 25. Aprilis anno 1674. conditus in Eccleſia S. Franciſci Conuentualium. Tantus hic vir ſcripſit, ac edidit latino Idiomate.

Orationem de Sancti Spiritus aduentu à ſe habitam coram Paulo V. Pontifice Maximo, quam ſuis literis Scipioni Cardinali Burgheſio nuncupauit.

Et Carmen latinum in commendationē Pauli Segneri è Societate Ieſu, concionatoris in principe Laurentiano Templo Peruſino, & aliud in obitu Georgij Boreę nobilis Lugenſis: Carmine verò etruſco laudes cecinit eiuſdem Pauli Segneri, Alexandri Algardi artificis eximij ſtatuarum, Fr. Bartholomęi Blanchi Minoris Conuētualis, Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, Sacri Oratoris, Roſalbæ Eugeniæ ſeſe in Virginum familia dicantis Deo, & Chriſtinę Alexandræ Reginæ Sueciæ. Eodem carminum genere laureas doctorales extulit Horatij Fagnani Ariminenſis, Io: Baptiſtæ Paſquę, Laurentij Abbatis Saluiati, & Ioſephi Eſtenſis Muſtij.

Eadem lyra defleuit obitum Marci Antonij Eugenij, Aduocati Conſiſtorialis, & Ludouici Alberti, nec non Antonij Baptiſtæ Dioniſij, Ducis militum in Inſula Cretæ, & diſceſſum Franciſci Andreæ ab Vrbe Peruſiæ Neapolim.

Scripſit etiam latina lingua notas in Propertium, quæ M. SS. adſeruabantur apud hæredes. nunc publici iuris ſunt patrijs typis. Et Italicè opuſculum de origine Peruſiæ anno 1651. apud Sebaſtianum Zecchinum euulgatum.

DIOMEDES de ODDIS Peruſinus Academicus Inſenſatus, anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi poſt partum Virginis, tertio, ſuis literis vernacula lingua Italica, editis patrijs typis, dedicauit Card. Sfōdrato S. Cecilię cognominato, diſcurſum Leandri Bouarini, De ſilentio opportuno.

DIONYSIVS BARIGIANVS Perusinus ob insigne ingenij acumen laurea decoratus, magistralem Iuris prudentiæ Cathedam benè iuuenis ascendit in patria; tum Reipublicæ Florentinæ Procurator, adfuit á Consilis Regi vtriusque Siciliæ: floruitque doctrina anno septimo supra decimum seculi decimi sexti à partu Virginis; cuius Consilia plura sunt in Doctorum manibus, quorum aliqua leguntur inter Consilia diuersorum.

Reliquit etiam M. SS. lecturas, seu Commentaria super ff. vet. teste aliàs laudato Vuolfango.

Hic in Patriæ ciuilibus discordijs, & commotionibus, incendijsque, sua authoritate, & prudentia plurimum Patriæ profuit, quæ illum pluribus Legationibus, amplissimisque honoribus exornauit. Eius demum senectutem mors placida sequuta est anno 1535. quam magnus Ciuium luctus, & mæror prosequuti sunt.

Est huiusce Dionysij mentio apud Crispoltum in Perusia Augusta, apud Alexandrum Balestrinum in memorijs Perusinis, Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsarem Alexium in Elogijs Clarorum Ciuium Perusinorum Cent. 2. nec non apud Pellinum, & Ciattum in suis historijs.

DIONYSIVS CRISPOLTVS Perusinus, Cęsaris senioris, de quo superius, germanus frater, Academicus Insensatus, in Collegium Doctorum cooptatus. anno 1603. die 14. Iunij, publicus Iuris prudentiæ Professor in patria Academia, antiquitatis, eloquentięque studiosus, qui Bibliothecam multis voluminibus librorum refertam instituit, eamque supremis tabulis legauit Collegio Perusino Patrum Societatis Iesu, apud quos post obitum, sequutum die 16. Februarij, anno 1651. etiam condi voluit, multa scripsit, nempè.

Lecturas, & Explicationes plurimarum legum, quę sexdecim voluminibus distinctæ adseruantur apud Patres Societatis laudatos.

In primum Officiorum Ciceronis librum, Commentarium.

In Horatij Odas aliquas Animaduersiones.

In eumdem de arte poetica Commentaria.

De laudibus Poeticę Panegyrim, à se dictam in Palęstra literaria Vincentij Palettarij, Pręceptoris.

Historiam Auximanę familiæ de Consulibus.

Literas ad Vespasianum Crispoltum, Io: Baptistam Mancinum, & Hieronymum Bigazzinum.

Gratiarum actionem, habitam à se, quando in numerum Academicorum Insensatorum aggregatus fuit.

De legationibus Populi Romani Tractatum.

Prælectionum Volumen.

Tractatum de Comoedia, & Tragoedia.

Scripsit etiam italica lingua

Historiam institutionis Academiæ Insensatorum; & Discursum, dictum in Palatio Magistratus, coram Carolo de Comitibus Romano, Vrbis Perusiæ, Vmbrięque Pretore, atque Academiæ Insensatorum Principe.

Tanti viri publici iuris sunt lecturæ aliquæ, & anno 1645, manu sua firmatum vidi Votum responsiuum de celebratione Missarum, excusum á Timoteo de Timoteis.

Meminit huius Felix Ciattus in sua Perusia Etrusca lib. 4.

DIONYSIVS VEGLIA patria Perusinus Ordinis Seruorum B. Mariæ, vide inferius, Petrus Dionysius Veglia.

DOMINICVS ANSELMVS patria Perusinus, Sacerdos præpositus Paroecię S. Valentini in regione S. Susannę, in Pattia Academia publicus professor Grammaticæ inter viuos hoc anno 1677. Musis perfamiliaris, Carmine latino cecinit laudes Pauli Segneri, & Federici Trenta è Societate Iesu, ac Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, sacrorum Oratorum in Templo Laurentiano, Lauream quoque eodem carminum genere celebrauit Abbatis Iosephi Estensis Muftij, & Natiuitatem Deiparę.

DOMINICVS BALLIONVS Perusinus, Ordinis Prædicatorum in sacra Theologia Magister, Fidei Quęsitor in Vmbria, qui anno salutis humanæ 1531. iussu Clementis VII. Pontificis Maximi Fratres obseruantes sui Ordinis in patrium Cœnobium, S. Dominico sacrum introduxit, scripsit Carmine etrusco vitam S. Catarinæ Senensis, & soluta oratione Opus de fuga Christi in Ægiptum: Hi libri post Auctoris obitum, sequutum die 27. Februarij anno 1568. publici iuris facti anno 1576.

Elaborauit etiam additiones ad Chronicon sui ordinis, nec non Chronicon Cœnobij Perusini, quod incolunt Patres Dominicani. Vidi eiusdem carmina diuersa etrusca, in lucem edita Venetijs anno 1521. apud Nicolaum Zopium, & Socios. & aliud publici iuris factum Perusię, anno 1523. apud Hieronymum Carthularium in laudem operis S. Ioannis Chrisostomi, in italicam linguam conuersi de reparatione peccatoris.

Tractant de hoc viro Botonius in Annalibus Conuentus Perusini ad annum Christi 1568. Piò de viris Illustribus Ordinis Prædicatorum lib. 3. cap. 10. Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta; Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ. Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium apud Ballionum de Ballionibus.

DOMINICVS CAGNONVS è Mongiouino: Oppidum est olim Comitatus Perusini, hodiè Diœcesis Ciuitatis Plebis, Sacerdos adhuc inter viuos anno 1676. Carmine latino, edito Perusiæ 1666. cecinit pulchritudines B. Mariæ Virginis, alioque simili anno 1671. euulgato, D. Basilij Magni Paupertatem extulit.

DOMINICVS PINELLVS Genuensis, Paridis Senatoris in patria filius, Collegio Nobilium Perusinorum adscriptus, Patauinę Academię publicus Iuris Prudentiæ Professor, in Aula Romana ex vtriusque Signaturæ Referendario, à Pio V. Pontifice Maximo Auditoris Camerę

Vicarius renuntiatus, ſub Gregorio XIII. Aloyſij Cornelij S. R. E. Camerarij vices geſſit, tum Princeps, & Epiſcopus Firmanus, ac Cameræ Apoſtolicæ Clericus declaratus eſt. Sixtus V. Gregorij in Pontificatu ſucceſſor Cardinalium Collegio anno primo Dominicum adſcripſit, cum Titulo S. Laurentij in pane, & perna, legatumque Flaminiæ, nec non Baſilicæ liberianæ Archipresbiterum nominauit. ſub Gregorio XIV. ex primo Titulo ad alium S. Chriſogoni translatus, legationis munere functus eſt in Vmbria. ſub Clemente VIII. ex Pręsbyterorum primò, Epiſcopus Albanenſis, indè Tuſculanus, & ſub Paulo V. ſucceſſore Portuenſis, & Oſtienſis, ſacrique Collegij Decanus nominatur. Legatus in Vmbria Peruſiam exornauit, vijſque publicis ameniorem reddidit; quarum vna ab Auctore, Pinella Via ad hanc diem dicitur. In ſenectute bona Orbi, & Vrbi ereptus eſt anno ſalutis 1611. Cadauer ſolemni pompa ad liberianam Baſilicam delatum, humili ſepulchro, quod ſibi viuens ante confeſſionem poſuerat ſub hac breui inſcriptione repoſitum.

DOMINICVS CARD. PINELLVS
VIVENS NOVISSIMA COGITANS
SIBI FIERI MANDAVIT.
ANNO IVBILAEI MCCCCCC.
AETATIS LX.
OBIIT ANNO DOMINI MDCXI.
V. ID. AVGVSTI.

Hic cum doctrina clareret Decretalium Opus à Gregorio XIII. incœptum, perfecit.

Tractatum etiam elucubrauit de auctoritate Papæ, qui M. S. legitur in Bibliotheca Vaticana.

Tum Relationes factas in Conſiſtorio ſecreto, coram Paulo Pontifice ſuper vita, & ſanctitate Franciſcę Rom. & Caroli Boromei Cardinalis, Tit. S. Praxedis, Archiepiſcopi Mediolanenſis.

Scripſit

Scripsit etiam literas pro celebratione Officij, ac Missæ de Communi vnius Virginis in festo B. Mariæ de Castello apud Tiphernates, & alias de inuentione corporis S. Placidi, ac Sociorum Martyrum, quas rescripsit in primo Tomo Sanctorum Siculorum, Octauius Caietanus Societatis Iesu.

Cardinalem hunc summis, & meritis laudibus celebrant Guido Panzirolus de claris legum interpretibus, Vbertus Folietta in Elogijs Ligurum, Ferdinãdus Vghellius in Italia sacra, Stephanus Buronus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius in Vita, Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, Michael Abbas Iustinianus in Syllabo Scriptorum ligurum, Paulus de Angelis in descriptione Basilicæ liberianæ, Nos in Athenæis Romano, & Ligustico, alijque plures.



ERNESTVS







RNESTVS BALDELLIVS Perusinus Clericus inter viuos hoc anno salutis humanę 1677. cum studijs vacaret in Seminarij Episcopalis Collegio, Carmen latinum scripsit, ediditque Typis patrijs anno 1671. in laudem Lucę Alberti de Patritijs, renuntiati Episcopi Perusini.

EVANGELISTA de BALLIONIBVS patria Perusinus, professione Minorita de Obseruantia, cui familię, Comitijs apud Sanctam Crucem initis, præficitur, & opera insignia in Dei honorem, cultumque Religionis Christianę patrauit, in Epidauri Ciuitate, vulgò Ragusa, in Dalmatia, & opuscula quædam edidit. Die verò 4. alijs 28. Augusti S. Augustino sacra, diem clausit extremum in prefata Vrbe, cuius funeri non homines tantum, sed Angeli thura præbuerunt.

De hoc tractant Chronicon Ordinis, Felix Ciattus in Elogijs virorum, & Fœminarum Conuentus Perusini, Cęsar Alexius Cent. 2. Elogiorum.

EVANGELISTA TORGNIOLVS Perusinus ex Ordine Montis Oliueti Monachus, à Paulo V. Romano Pontifice Commendator primùm Sancti Spiritus renuntiatus, & Præsul Tiphernas in Vmbria adlectus anno 1616. post Pauli obitum ad Ecclesiam sibi commissam profectus, ibidem

dem mansit ad annum vsque 1630. quo Perusij fato functus, sepultus est apud suos Oliuetanos Monachos. Huius extant Constitutiones editę pro Clericis Dioecesis Tiphernatis.


De hoc tractat Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacrę in Catalogo Antistitum præfatę Ecclesiæ.

EVPHRASIA, seu Eufrosina, vel Eufrasia ALPHANA, malè alij Alpharam cognominant, patria Perusina, Monasterij S. Marię Montis Lucis propè moenia Perusij, Sanctimonialis Clarissa, pia, & erudita, scripsit materna lingua Chronicon prędicti Monasterij, asseruatum M. S. in Bibliotheca S. Isidori de Vrbe, & apud Sanctimoniales Perusinas sui Ordinis.

Meminere tantę mulieris Lucas Vadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, qui fassus etiam est habere apud se prędictum Chronicon; Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię.



FABIVS



F


ABIVS BASTIANINVS Sacerdos Perusinus, qui vitam cum virtute ducit in Patria, hoc anno 1677. olim Clericus in Seminario Episcopali eiusdem Vrbis, Carmen heroicum habuit in Natiuitatem Deiparæ publici iuris factum anno 1666. cum Epigrammatibus in laudem eiusdem Mariæ Virginis; annis verò 1665. 1670. & 1671. alia in commendationem D. Basilij Magni Antistitis Cesareæ in Cappadocia, & in lauream doctoralem Dominici Orsucci Lucensis.

FABIVS CORNEVS Perusinus, Ascanij filius, Fuluij Ducis frater, bonis literis educatus, Mathematicæ, & Philosophiæ studijs, magna ingenij celeritate completis, in Pannoniam, vt rei militari operam daret, se contulit, vbi varijs suæ fortitudinis, animique magnitudinis experimentis, suæque gloriæ fundamentis iactis, ex quibus militares honores promeritus, dum maiora sperat, in Italiam à fratre reuocatus ad generis propagationem, Virginem duxit pernobilem Romanam de Caietanis. In otio coniugali heroicum Poema etrusca lingua scripsit, quo Alexandri Magni acta explicat. E viuis sine prole abijt, sedente in Petri Cathedra Vrbano VIII.

Hunc extulit Cæsar Alexius in suis Elogijs.

FABIVS DANZETTA Perusinus, tenacissimæ me-

moriæ, & exquisita omnium scientiarum cognitione locuples florebat initio seculi decimi septimi ab orbe redempto, cuius anno decimo septimo Perusiæ publici iuris fecit Carmen latinum à se scriptum occasione publicæ disputationis ibidem habitæ à Paulo Racano Tudertino.

FABIVS de PINNA Perusinus, sanguine, & doctrina clarus, Cameræ Apostolicæ Clericus, Vrbium plurium Status Ecclesiastici Prætor, è viuis sublatus est anno salutis 1596. cum scripsisset relationem exactissimam rerum Cameralium, seruatam M. SS. in Tabulario Molis Adrianæ in Vrbe.

De hoc tractat Alexander Balestrinus in tractatu de Gymnasio Perusino.

FABIVS TORRETTVS Perusinus, Cardaneto præceptore, politioribus literis, & Iuris prudentia Ridolphino, & Nonio, præclarissimis Iuris consultis imbutus, eiusdem facultatis postremæ doctoratus lauream magno cum plausu quam citissimé suscepit, & ad docendi munus illicò euectus, opinioni de se conceptæ, optimè respondit, nec non ad tantam egregij Iuris consulti famam euectus est, vt in Florentinæ Rotę Auditorem fuerit accitus; in qua summæ integritatis, altæque doctrinę, laudem, Ferdinandique primi Magni Etruriæ Ducis beneuolentiam, & familiaritatem sibi conciliauit, qui ne tanti viri iacturam faceret, completo Rotæ tempore, Consulum eiusdem Vrbis Auditoratu, Mercatorumque Iudicis dignitate, magnis prouentibus admixtis, & connubialibus vinculis, eumdem apud se detineri voluit. Tantus hic vir scripsit Volumina tria Consiliorum, quorum primum euulgatum est Venetijs anno salutis 1583. secundum Ibidem post triennium anno videlicet 1586. Tertium custoditur M. S. apud plures. Elaborauit etiam Opus, de Clausula Codicillari.

Decessit Florentiæ circa annum post Christum natum 1590. alijs 1595.

De

De hoc tractant Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs.

FABRITIVS NERIVS Perusinus, Prępositus Ecclesiæ Solfagiani, in Comitatu eiusdem Vrbis, adhuc hoc præsenti anno 1677. inter viuos; olim Clericus Seminarij Episcopalis, Anagrammate, & versu elegiaco latino, cecinit laudes D. Victorij de Lancillottis, nobilis Spoletini, Perusiæ Vicarij generalis, & Seminarij Moderatoris; quæ typis eiusdem Ciuitatis euulgauit, publicique iuris fecit, anno á partu Virginis 1653.

FABRITIVS de ODDIS, Comes Perusinus, anno voluentis seculi decimi septimi, à partu Virginis primo supra septuagesimum, cum in bonas artes instrueretur in patrio Seminario Episcopali, in frequenti auditorum consessu, ad laudes D. Basilij Magni percipiendas congregato, Gratiarum actorem, ominum nomine, breui quidem, sed eleganti oratione peregit; quam Typis Episcopalibus euulgatam præ manibus aliquando habui, summaque voluptate perlegi, cum Carmine elegiaco in eiusdem Basilij Magni commendationem.

FEDERICVS CORNEVS Perusinus patria, Dignitate Abbas, Marij filius, Vbaldi auunculi nepos, iuuenis adhuc, dum Romæ esset, initio voluentis seculi decimi septimi à partu Virginis, Poematium scripsit de assumpta in Cælum Virgine à Marco Antonio Bonciario Epist. 63. selectarum commendatum.

FEDERICVS de PINNA Perusinus, doctrina inclitus, eximiarumque virtutum prærogatiua clarebat initio voluentis, seculi, cuius anno decimo septimo in patria excudit Carmen latinum, à se decantatum, occasione publicæ disputationis, habitæ Perusiæ à Paulo Racano, Tudertino.

FELIX ANDREOLVS, alijs Antonius Felix, Archi-

presbyter, & Ciuis Eugubinus, origine Perusinus, ex familia de Maiolis, liberalibus disciplinis, & scientia Iuris ornatissimus, scripsit pro posteris Tractatum de Annona, & Carmina nonnulla.

Vt referunt Thomas Bozius Tom. 1. lib. 22. cap. 22. Iacobus Benius de priuilegijs Iuris Consultorum par 3. priuilegio 34. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriç.

FELIX CIATTVS Perusinus, origine Bictoniensis, siue Victoniensis, à sacris aquis Franciscus nominatus, Perusiæ initio voluentis seculi decimi septimi à Christi natiuitate in lucem datus; à puero sese Deo in Minorum Conuentualium ordine deuouit, in quo Felicis nomine cum veste assumpto, Philosophiam annorum duodecim spatio publicè professus est apud Vrbinum, & Perusium in Vmbria, apud Pisas, & Florentiam in Etruria; Theologiam deindè moralem Venetijs docuit. Inter Academicos Insensatos Perusinos, & Somnolentos Bononienses connumeratus vixit. Prçfuit Prouinciæ primæ sui Ordinis, Sacrisque Concionibus præcipuas Italiæ Vrbes illustrauit. Decessit quinquagenarius die 16. Octobris 1642. Hispelli, & in Ecclesia S. Andreæ ibidem tumulo datus, eius laudibus à P. Io: Baptista Tartalia è Societate Iesu, in Ecclesia S. Francisci Perusina, oratione funebri decantatis.

Scripsit tantus hic vir Italica lingua, Paradoxum historicum, de origine Ecclesiæ Perusinæ, & de primo illius Episcopo; Venetijs editum anno 1634. apud Sarzinam.

Aliud de Perusia, Patria Propertij. Perusiæ 1628.

Tertium de Ænea statua, in agro Perusino inuenta, & in Pinacotheca Magni Ducis Florentiæ asseruata. Ibidem anno 1631.

Composuit etiam patrio Idiomate Historias patrias, ibidem editas anno 1640.

Il Frate

Il Frate Academico .) Perusiæ 1635.
Il Color Bigio .)
De S. Stanislao Episcopo, & Martyre 1632.

Apologiam quoque elaborauit, & Commentaria in fragmenta Berosi Caldęi; & Carmine etrusco typis Patrijs euulgato anno 1637. defleuit obitum Georgij Boreæ nobilis Lugensis.

Reliquit M. SS. alia plura, prælo parata etrusca lingua, nempè.

Librum Rithmicorum Carminum.
Annales Franciscanorum Conuentualium.
Propositiones singulares Scoti, & suas proprias.
Tertium volumen Historiæ Perusinæ.
Latino veró Idiomate.
De sacrosanti Dominici sepulchri gloria, Deque sacra eius militia.
Institutiones Regularium.
De Mystica literarum significatione.
De Minoribus Illustribus Conuentus S. Francisci Perusiæ; cum Titulo, Elogia virorum, & fœminarum in sacro Minorum Conuentualium ordine Illustrium.

Celebrant hunc Felicem, Academici Incogniti Venetiarum; In opere Inscripto; *Le glorie de gl'Incogniti*. Venetijs anno 1647. in 4. euulgato. Lucas Vadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs Clarorum Ciuium Perusinorum.

FELIX RVBEVS Perusinus, Monachus, & Abbas Cisterciensis, vulgò cognominatus Abbas Septimianus, quia triginta, & tribus ãnis Septimiano Cœnobio in Etruria præfuit; quem virum doctum, & grauem docet fuisse Pyerius Salutatus Colutius in nuncupatoria sui libri Epistola de fortuna, & fato illi inscripti. Cum enim Felix, vti habemus, ex Nicolao Bauotio Florentino Abbate, in Septimiana historia, nobilis Perusinus de Patriæ calami-

tatibus, ęrumnisque cum Colutio, quo familiarissimè vtebatur, semel, & sepius fuisset conquęstus, Colutius, quasi solaturus amicum, de fortuna, & fato edidit librum, qui nobis illam Poetarum fortunam, vulgique ludibrium importunè reueheret, leuem scilicet Deam, coecam, & cui plus plerumquè vitiorum affigunt leuissimi homines, quam in malè sano ferremus; quibus nenijs cum diuinam illam, ac infallibilem tollere videretur prouidentiam, auersatus est poetica licentia scriptum librũ Septimianus Felix, castigauitque amicum, opportuniori illum sapientia in summæ mentis contemplationem reducendo; quæ omnia suo arbitrio constituit, quæ naturam condidit; quę rebus causas dedit, easque perpetuò abditissima ratione propagat, docendoque nullum aliud fatum, quam inhęrentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus, nullumque alium casum, fortunamque Christianis hominibus, atque adeò sapientibus viris cognita esse, quam accidentariam causam in ijs, quæ alicuius finis gratia, ex electione, consilioque administrantur; quæ tamen esse fortuna desinit, casusque si Deus ipse spectetur extra cuius prouidentiæ regulam nil temerè, fortuitòque potest accidere. De Felice autem nulla alia inuenitur memoria apud Scriptores; scimus tamen, ex laudato Nicolao Bauotio, excessisse è vita, anno reparati Orbis 1426.

FELIX VERDVCCIOLVS Perusinus, Abbas S.Mariæ de Monte Camplo, Diœcesis Castellaneti in Regno Neapolitano, Protonotarius Apostolicus, Rhtoricæ professor in Academia Perusina, & Moderator Episcopalis Seminarij, Doctor in Collegio Philosophiæ, sacræ Theologiæ, & Medicinæ. Ab Alexandro VII. Romane Potifice Romam vocatus, Collegium Capranicense per annos duos rexit. E vita migrauit Perusiæ anno Christi 1675. ætatis 70. die 31. Iulij. Iacet apud Patres Oratorij S. Philippi Nerij.

Scripsit soluta, vinctaque Orationes plura. Vincta enim

enim latina, laudauit Christinam Alexandram Suecorum Reginam, Paulum Segneri Societatis Iesu sacrum Oratorem, Iosephum Estensem Mustium Abbatem, Cæsarem Alexium Elogiographum Augustæ Perusiæ, Lemmium Rubeum, Systematis Musici auctorem, & Purpuram Federici Columnæ Cardinalis á Clemente X. aceptam: Soluta verò oratione, & literis ad Ioannem Mariam Boream, Georgij Boreæ Lugensis funera celebrauit, Io: Thomæ Gilioli I. C. Perusini. Henrici Fislei, Comitis de Dambrounica, Palatinidę Sendomirensis; Iosephi Diacetij Comitis Casteluillani. Ludouici Alberti. Gasparis Caualle-rij; Comitis Cornelij Oddi; & Benedicti Cardinalis Vbaldi. Quæ omnia diuersis temporibus publici Iuris facta sunt.

Edidit etiam Orationes alias; videlicet, vnam habitam in Synodo Perusino anno 1632. aliam prænotatam, Reginæ eloquentiæ principatus 1639. Tertiam inscriptam, Medicus Orator, 1645. Aliam in laudem Gallorum, sub titulo Proteus, 1647. Anno verò 1649. tum vincta, tum soluta oratione celebrauit Beniaminum Crausen Gedanensem; Et anno 1655. Elogio Christinam Alexandram Sueciæ Reginam, exornauit. Laudauit etiam Elogijs pluribus, euulgatis anno 1646. Petrum, Præsidem Congregationis Cassinensis.

Reliquit Insuper M. SS. Orationes plures, & Poemata multa, atque Epigrammata, dicta in Solemnitatibus Beatæ Mariæ, & S. Basilij Magni, Patronorum Seminarij Episcopalis Perusini, nec non alias in restauratione studiorum habitas, sub titulis.

Belli bona 1643.
Gryphus 1649.
Corona Gryphi 1651.
Insignia Gryphi 1653.
Augurium Gryphi 1655.
Gryphi senectus, & iuuenta 1657.
Ars breuis 1659.

Tandem

Tandem anno 1672. in Vrbe veteri edidit Italicè Relationem Xenodochij magni Perusini, de Misericordia dicti.

Celebrant Felicem Verducciolum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Hieronymus Tetius in Ædibus Barberinis, Boldonus in Epigraphis Io: Baptista Becci Monachus Cassinensis in Elogio.

FERRANTES BALLIONVS, Petri frater, patria Perusinus, Sacerdos celebris, & in patrio Oratorio S. Philippi Nerei, pluries cum laude Prępositus, typis patrijs anno 1645. Carmen etruscum euulgauit in laurea doctorali Io: Baptistæ Lazarini.

FLORAMONTIVS FLORAMONTIVS Perusinus, ornatissimus Adolescens, vir maximi ingenij, cuius excolendi gratia breuia lemmata, veluti argumenta, singulis Epistolis Marci Antonij Bonciarij, libris 12. euulgatis Perusiæ anno 1613. præfixit, & literas lectori earumdem scripsit.

Ab eodem Indices tres concinati sunt, ijsdem Epistolis in sua genera distributis, & addita græcarum vocum expositione latina.

Elaborauit etiam Compendium de ratione conscribendi Epistolas.

FLORAVANTES LANCELLOTTVS Perusinus, Philosophiæ, ac Theologiæ Doctor, eloquentiæ olim Professor in Seminarij Episcopalis patrij Collegio; deindè in publica Academia ad hanc diem, & annum 1677. eiusdem facultatis Doctor, multa edidit. Videlicet, Magnum Basilium Cesareæ Cappadociæ Antistitem, laudatum in Collegio Seminarij Perusini à literarum candidatis anno 1665. Anno verò sequenti laudationem natæ Mariæ, datam in eodem Collegio ab Alumnis; Ab anno autem 1669. ad præsentem, quo hæc de illo narro, scripsit, & euulgauit vincta Oratione tum latina, tum Etrusca, laudes Iosephi Estensis Mustij, Francisci Abbatis, & Equitis Cornelij ex Comitibus Oddis, nec non Dominici Orsucci

Lucensis,

Lucenſis, Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, Io: Baptiſtæ Berti Monachi Siluestrini, & Federici Trenta è Societate Ieſu ſacrorum Oratorum. Anno quoque Chriſti 1671. Lucæ Alberto Epiſcopo Peruſiæ ſuis literis ſacrauit plauſus Diuo Baſilio Magno factos in Collegio Seminarij Peruſini ab Alumnis, Clericis, & Contubernalibus, & anno 1675. illuſtriorem reddidit Purpuram Federici Cardinalis Columnæ; anno verò 1653. euulgauit Elogium latinum de S. Ioachimo, parente B. Mariæ.

FLORENTIVS CHERVBINVS, Sacerdos Orēſis (Orū enim eſt Pagus Territorij Peruſini) adhuc inter viuos hoc anno 1677. Carmine latino, edito Peruſiæ anno 1666. ſterilitatem B. Annæ parentis Deiparæ Virginis Mariæ, commendauit, cum anno præcedenti 1665. faciem Templi D. Virginis Conceptæ apud Patres Oratorij S. Philippi Nerij in Peruſina Vrbe ſimili carminum genere deſcripſiſſet.

FLORENTIVS FALCINELLA Peruſinus, Philoſophiæ, & Theologiæ Doctor non vulgaris; quam poſtremam ſcientiam per annos plures publicè cum plauſu profeſſus eſt in patria Academia; Vixit tamen Muſis pergratus, quare annis noſtri ſeculi decimi ſeptimi à partu Virginis, trigeſimo ſeptimo, & quadrageſimo, mortem Georgij Boreæ nobilis Lugenſis, nec non Ludouici Alberti Peruſini Carmine etruſco deluxit.

FLORENTIVS MARINVS, ſeu de Marinis, Peruſinus, Sebaſtiani Cauſidici, ac Franciſci Abbatis, & Canonici frater, āno poſt Chriſtū natū 1653. Seminarij patrij Epiſcopalis alumnus, D. Marcum Abbatem Gallium, Peruſiæ, Vmbriæque Præſidem, cum academicam eiuſdem Seminarij aulam, præſentię ſuæ lumine colluſtraret, Carmine latino laudauit, eiuſdemque immaturum ab Vrbe Peruſię diſceſſum ſimili defleuit.

FORTVNATVS à Peruſio, cognomento COPPOLVS, ex ordine Minorum Regularis Obſeruantiæ, pietate, &

Doctrina floruit seculo decimo tertio post Virginis partum, & scripsit Consilium circa licitam, & iustam Erectionem Montium Pietatis.

Meminere huius, Fr. Lucas Vadingus de Scriptoribus Ord. Min. Ludouicus Iacobillus de Scrip. Vmbriæ, Io: Vuolfangus, Cæsar Alexius, & Felix Ciattus in suis libris.

FRANCISCVS ADREANVS è Castilione Fusco, Sacerdos adhuc inter viuos, dum hæc de illo hoc anno 1677. narro, Carmine Latino, & Anagrammate in lucem editis anno 1671. Lucæ Alberti di Patritijs laudes celebrauit.

FRANCISCVS de ALPHANIS Perusinus, Bartoli Iuris Consultorum Principis nepos, doctrina illustris, ex Clerico S. Martini in Collibus, Diœcesis Perusiæ à Capitulo Æsino electus Episcopus, à Clemente V. Pontifice Maximo confirmatus, anno salutis 1312. scripsit Bartoli vitam latina lingua, & Constitutiones edidit pro Clericis Æsinis; obijtque anno eiusdem seculi quadragesimo secundo, cum præfuisset Ecclesiæ sibi commissæ per annos triginta; vti habemus ex Ferdinando Vghellio Tomo 1. Italiæ sacræ, atque ex Tabulis Vaticanis.

FRANCISCVS de ANGELIS Perusinus, Philosophię, sacræque Theologiæ Doctor, nec non Protonotarius Apostolicus, scripsit Italicè sermones in commendationem Virginis Mariæ, Typis Romanis euulgatos in 12. anno salutis humanæ 1647. apud Mascardum.

De hoc ttactant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, & Hypolitus Marraccius in Bibliotheca Mariana.

FRANCISCVS BERNARDVS, natus in Pago S. Feliciani in Comitatu Perusino, professione Clericus, anno præsentis seculi primo, & septuagesimo, versu latino D. Basilij Magni illustria facinora expressit.

ERANCISCVS BIGAZZINVS patria Perusinus, Rhetor eloquentissimus, & Poeta magni nominis, cum multorum laudes etrusco Carmine cecinisset, iuuenis adhuc anno salutis humanæ 1553. è viuis ereptus.

Meminit

Meminit huiuſce viri Pompeus Pellini in ſua Hiſtoria.

FRANCISCVS BRVNORIVS Peruſinus, noſtro hoc ſeculo poeſi, & eloquentia clarus, ſcripſit latino Idiomate literas ad Timotheum de Timotheis, eiuſdemque laudes cecinit latino Carmine, edito typis patrijs anno 1648. cum Nomophilachia eiuſdem Timothei, anno verò 1656. ſimili carmine in publica ſupplicatione, delationem Sanctiſſimi Crucifixi S. Mariæ Nouæ exornauit.

FRANCISCVS CANTVCCIVS, alijs Contuccius, Honofrij, & Filenæ Sotiæ, patritiorum Peruſinorum filius, in vtroque Iure laureatus, ex primario Iuris Ciuilis patrio ſuggeſtu, Romam à Gregorio XIII. Pontifice Maximo anno 1573. accitus, locum in Romana Auditorum aula obtinuit. Cum autem tredecim annorum ſpatio, omnium plauſu tanto munere functus in Vrbe fuiſſet, à Sixto huius nominis V. Gregorij ſucceſſore anno 1586. primus ſacræ Lauretanæ Ciuitatis, & Recineti Epiſcopus renuntiatus; illius Prouinciæ diſcordias, longo tempore, multorum ſanguine enutritas, compoſuit. Quare aſſiduis laboribus febrim tam diram concepit, vt ante anni Epiſcopatus complementum, poſt octo tantum ſuæ dignitatis menſes, in almę Virginis Dei Matris conſpectu piam animam expirauerit die 25. Nouembris anno eodem 1586. ætatis ſuæ 50. rariſſimi exempli Epiſcopus, qui breui licet, tanta aggreſſus eſt, quanta vix alius poſt multos annos excogitauit. Reliquit pro Poſteris Deciſiones rotales plures impreſſas inter varias.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus in Annalibus Vmbriæ, & de Scriptoribus eiuſdem Prouinciæ, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra ad Catalogum Epiſcoporum Lauretanorum, & Recinetenſium; Cęſar Alexius in Elogijs Clarorum Ciuium Peruſinorum Cent. 1. Alexander Baleſtrinus in memorijs Peruſinis, & de Gymnaſio eiuſdem Vrbis, & in Vita à ſe deſcripta. Io: Baptiſta Laurus in Epiſt. Cent. 2. Criſp. in Peruſia Auguſta lib. 3.

FRANCISCVS CARMENVS: Vide Io: Franciſcus Carmenus iuferius.

FRANCISCVS COLVMBVS, cognominatus Plato, Philoſophus, & Medicus magni nominis, cui inerat, cum decore oris maieſtate, perfecta rerum omnium philoſophicarum cognitio; ideòque in Platonicis libris erat tam exactè verſatus, vt publicè legendo, vel diſputando Platonis nomen, & doctrinam in ore, atque in ſcriptis ſemper haberet; Cumque eiuſdem effigiem, & mores vndequaque referret, Platonis ſcientiam, in Franciſco reuixiſſe creditum eſt; adeò vt Marcellus II. Summus Pontifex, quo ob inſignem doctrinam familiariſſimè vtebatur, non alio, quam Platonis nomine illum vocare conſueuerit. Quare ſuæ familiæ poſteri in tanti viri memoriam, hoc Platonis cognomento vſi fuerint ſemper: apud quos doctiſſimarum eiuſdem lectionum, & lucubrationum, de re Medica, & philoſophica volumina plura adſeruantur. Hic in Patriam Academiam Simplicium lecturam, & cognitionem omnium primus introduxit. Obijtque anno ſalutis 1553.

Eſt huiuſce mentio apud Alexandrum Baleſtrinum in Memorijs Peruſinis, apud Cæſarem Alexium in Elogijs, Criſpoltum in Peruſia Auguſta lib. 3.

FRANCISCVS COPPETTA de Beccutis Peruſinus, Orator Patriæ ad Cardinalem Vrbini, Vmbriæ Legatum, Poeta magni nominis, ſeculo decimo ſexto poſt Chriſtum natum, cuius tertius ſupra quinquageſimum annum fuit illi poſtremus, cum ſcripſiſſet Carmina etruſca lingua vno volumine, ſub titulo Hexameron; quibus breui facundia grandem Orbis gemmam, & cuncta creata, paruo verborum auro ſtrinxit, & complexus eſt.

Reliquit etiam poſteris eodem idiomate Cantiunculas diuerſas, euulgatas deindè Venetijs anno eiuſdem Seculi Octogeſimo.

Inſuper

Insuper vertit in eamdem linguam, vincta tamen Oratione Psalmos Dauidicos.

Meminere huiusce Poetæ Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta lib. 3. Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum Cent. 1. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Pompeus Pellini in hist.

FRANCISCVS COPPOLI Laureatus in vtroque Iure, quam scientiam publicè per annos plures professus est in patria Academia, Senarum semel, bis Bononiæ Procurator extitit; bis quoque Senator Vrbem rexit; & pro posteris reliquit M. SS. quæ discipulis dictauerat in Scholis. Apud Ducem Vrbinatium olim adseruabatur eiusdem narratio de Vrbe Roma, vti habemus ex Syllabo M. SS. librorum eiusdem Ducis. Hunc aliqui parentem dicunt Iuonis, siuè Ibonis, & B. Cæciliæ Coppolæ.

Est tanti viri mentio apud Alexandrum Balestrinum in suis notitijs de studio Perusino, nec non Cæsarem Alexium in Elogijs, Crispoltum in Iuone lib. 3.

FRANCISCVS CORROMANVS Perusinus in scientijs versatus, quas animi relaxationis ergò aliquandò vt intermitteret, ad Musas diuertebat sibi familiares, ad quarum Lyras Carmine latino publici iuris facto, anno salutis humanæ 1637. Georgij Boreæ nobilis Lugensis obitum defleuit, & anno 1640. parentauit Ludouico Alberto.

FRANCISCVS EVGENIVS Perusinus, adscitus in Societatem Iesu Romæ anno Domini 1593. ætatis 17. absolutis Philosophiæ, ac Theologiæ studijs Neapoli, & perfecta Rethorica, in Iaponiam ad animarum quæstum traiecit anno 1603. relicto Socijs præclaro suæ virtutis exemplo, ex imitatione S. Francisci Xauerij, quippe qui, præter Breuiarium, & scripta sua, nihil Roma secum extulerat, & rogatus vt Perusiam suis vltimum vale dicturus, accederet, negauit, homini à Parentibus iam abstructo, & ani-

& animarum ſaluti pro Chriſto iam addicto, id ex vſu videri. Multa, & grauia perpeſſus eſt vir Apoſtolicus in Iaponia, emiſſa profeſſione votorum quatuor Nangaſachi anno 1617. Indè reuerſus Macaum, non multò poſt ad laborum mercedem videtur emigraſſe.

Scripſit annuas literas è Cocincina, & Macao 1617.

De hoc Natanael Sotuelus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu ex Philippo Allegambe.

FRANCISCVS FLORAMONTIVS Peruſinus Doctor in vtroque Iure, cum olim Rhetoricæ ſtuderet in Seminario Epiſcopali patrio, Idilium Italicum habuit, & Carmen latinum ſcripſit in Natiuitate Deiparæ Virginis Mariæ, typis Peruſinis euulgata anno ſalutis humanæ 1647.

Carmine verò etruſco, edito in lucem anno 1652. Lauream doctoralem exornauit Io: Baptiſtæ Santolini Cæſenatis, & Laurentij Saluiati Abbatis; ſuiſque literis vernacula lingua Italica Duci Saluiato parenti conſecrauit Dafnim cum applauſibus poeticis à ſe in vnum collectis in laurea Laurentij filij. Vitam anno 1676. ducebat in Germania.

FRANCISCVS FREGIVS Peruſinus, Marci Antonij Bonciarij diſcipulus, vitæ ſolitariæ ſobrietatem Carmine latino, edito in patria anno 1606. extulit.

FRANCISCVS ſeu Franciſcus Maria GENTILIS prępoſitus Eccleſiæ Rurali in agro Peruſino Clericus Seminarij Epiſcopalis eiuſdem vrbis, anno ſalutis humanæ 1653. Anagrammate, & verſu latino, typis patrijs euulgato Horatij Monaldi Epiſcopi laudes extulit.

FRANCISCVS GHERIVS de Sotijs Peruſinus Iuris Conſultus, & cauſarum Patronus, in Collegium Doctorum cooptatus anno ſalutis 1629. qui Epiſcopalibus Infulis inſignitus, viuebat in Ciuitate Ceruiæ anno noſtri ſeculi duodequinquageſimo, edidit Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ anno 1644. Indicem Tribunalium, nec non Congregationum, ac reliquorum Congreſſuum Vrbis.

Cum

Cum ante nouennium euulgasset typis patrijs Responsi noni Timothei de Timotheis ad Perusinam Intrusionis confirmationem.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, & Ferdinandus Vghellius in Italia sacra.

FRANCISCVS GRATIANVS, Gratia Dei filius, Perusinus ex Archipresbytero Cathedralis renuntiatus Patriæ Episcopus die 19. mensis Octobris anno salutis 1638. confirmatur à Benedicto XII. anno 5. Pontificatus 13. Cal. Martij, Christi 1339. qui totam propemodum Cathedralem suam, pietatis ergo instaurauit, & pro Clericis suis leges scripsit. Vixit in huiusce Ecclesiæ regimine vsque ad annum 1353. quo defunctus est.

Tractant de hoc Præsule Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Antonio de Gratianis, Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacræ, in Catalogo Episcoporum Perusinorum, ex Registro Vaticano.

FRANCISCVS de GVILELMIS Perusinus, Eques auratus, Iuris vtriusque Doctor, in Collegium cooptatus anno 1634. Scriptis suis euulgatis in Patria annis 1635. & 1637. confirmauit responsum decimum quintum Timothei, de Timotheis in Perusina Expensarum, & Tertium Iuris Repertorij.

FRANCISCVS HERCVLANVS Perusinus, origine è Panicale, Oppido Territorij Perusini, Iuris Consultus sua ætate celebris, perdifficiles patriæ negotiorum ambages magna prosperitate direxit, Consilijsque suis auctoritatem, & gloriam Magistratus summoperè auxit. In deplorantis postea Patriæ sinu, annis, & gloriæ maturus occubuit, cum in lucem publicam emisisset tractatus plures, nempè

De Attentatis lite pendente. Venetijs in 8. 1573.
De Negatiua probanda) Ibidem sub eadem forma
De Appellationibus) anno 1569. apud Io: An-
De cautione non offendendi) dream Valuassorem.

Tres

Tres recensiti tractatus, De negatiua probanda vnus; alter de Appellationibus, & attentatis, tertius de cautione non offendendi, ab aliquibus tribuuntur, sed malè, Vincentio Herculano.

Est Francisci Herculani mentio, apud Io: Baptistam Zilettum in Indice Iuris Consultorum; apud Pompeum Pellinum, Cæsarem Crispoltum in suis historijs, Alexium in Elogijs, Carolum Cartharium in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, in Vincentio eiusdem agnominis; Gregorium Draudium par. 1. Bibliothecæ, Ludouicum Iacobillum de Script. Vmbriæ, Alexandrum Balestrinum in memorijs Perusinis.

FRANCISCVS LAMBARDVS Iuris vtriusque laureatus, cooptatus in Collegium Doctorum anno 1619. Aduocatus Perusinus, Eques Auratus, & Episcopus Verulanus; anno nostri seculi quinto supra quadragesimum, Voto responsiuo Timothei de Timotheis de celebratione Missarum plura addidit, edita cum ipso Voto typis Patrijs.

FRANCISCVS MARIA AMICVS patria Perusinus, anno voluentis seculi decimi septimi, à Partu Virginis trigesimo septimo, Carmine etrusco defleuit obitum Georgij Boreæ nobilis Lugensis, & simili anno 1628. lauream doctoralem exornauit Fr. Aloysij Ciambany Melitensis, Ordinis Hierosolymitani.

FRANCISCVS MARIA CALIDONIVS Perusinus, Iuris vtriusque Doctor eiusdemque facultatis publicus Professor in Patrio Gymnasio, Academicus Insensatus, cuius Academiæ hoc anno 1677. principatum tenet; varia edidit Carmine, & prosa etrusca, Musis non inuitis; & nonnulla ad Ius spectantia: Anno igitur nostri seculi tertio supra trigesimum, Carmine etrusco lauream doctoralem Horatij Fagnani Ariminensis, annis deindè immediatè sequentibus nuptias inter Tiberium de Vbaldis, & Todescam Montesperellam, atque responsa Timothei de Timotheis, nec non lauream Iosephi Estensis Mustij, &

Centuriam

Centuriam primam Elogiorum Cæſaris Alexij celebrauit, Deluxitque obitum Georgij Boreæ noblis Lugenſis, & Ludouici Alberti Peruſini. Eodem Carminum genere annis 1643. extulit Adonis ſimulacrum à Venere in dextero percuſſum brachio; opus Alexandri Algardi Artificis noſtra ætate clariſſimi 1652. laureas Laurētij Abbatis Saluiati Florentini, Io: Baptiſtæ Santolini Cæſenatis: 1672. Eloquentiam D. Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, ſacrique Oratoris in Cathedrali Peruſina, anno 1675. Purpuram Federici Cardinalis Columnæ à Clemente X. acceptam; & demum Anno 1645. ſuis literis vernacula lingua Italica Angelo Pio ſacrauit Poematia diuerſorum, decantata in laurea doctorali Io: Baptiſtæ Lazarini à ſe in vnum collecta, & euulgata Typis Auguſtis: Et poſt biennium ijſdem Typis publicæ luci dedit Syntaxim prælectionum Rub. ff. de Off. eius l. 1. ff. de Off. eius l. Diem functo ff. De Off. Aſſeſ.

FRANCISCVS MARIA CAPRA, dictus á nonnullis Franciſcus Maria Benedicti Capra, Patria Peruſinus, Iuris vtriuſque Doctor, vincta, ſolutaque Oratione, vtraque lingua edidit multa. Videlicet Orationem in Natalem Deiparæ à ſe dictam, & euulgatam Peruſiæ anno 1644. ſeu 1646. Carmine verò etruſco, Dictum illud, Cælorum Regnum vim patitur, & violenti rapiunt illud, explicauit; Et alijs ſimilibus laudauit poſt obitum Marcum Antonium Eugenium iuniorem, & Antonium Baptiſtam Dionyſium, Ducem Militum in Creta; nec non lauream doctoralem Abbatis Ioſephi Eſtenſis Muſtij; Monachatum Lauiniæ Raneriæ, & Valentiæ Virginiæ Valentis. inſuper Eloquentiam D. Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, ſacrique Oratoris in Cathadrali Peruſina, & ſeceſſum Peruſia Neapolim verſus Franciſci Andreæ.

Meminere Franciſci Mariæ huiuſce, adhuc hoc anno ſalutis humanæ 1677. inter viuos connumerati, Petrus

Alua Minorita in ſua Militia, & Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana.

FRANCISCVS MARIA de FERRANTIBVS è Fratta, oppido agri Peruſini, Clericus in Seminario Epiſcopali eiuſdem Vrbis, verſu latino, publicæ luci Typis Peruſinis commiſſo anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi poſt partum Virginis, primò ſupra ſeptuageſimum, Valentis Imperatoris mortem in ſtabulo deſcripſit.

FRANCISCVS MARIA FROLLERIVS, honeſto quidem loco in territorio Peruſino natus, Peruſiæ educatus, Iuriſque laurea ornatus Romam petijt, vt cauſarum agitatione locupletiorem fortunam ſibi ſtrueret. Qua in Vrbe Peruſini Ruſtici lepidiſſimam perſonam induens in Comicis fabulis, Scipioni Burgheſio Cardinali, Pauli V. Nepoti adeò gratus euaſit, vt multis, honorificiſque eum muneribus, & Præturis, cohoneſtauerit. Sub Gregorio XV. Burgo præfuit, Prætoris munus in Lucenſi Republica exercuit, ad Ianuenſium Rotam Criminalem vocatus, oblatum munus ob infirmitates corporis adminiſtrare non valuit; Quare Romam ſecedens in pace quieuit. Poſteris tradens Carminum etruſcorum Volumina duo.

FRANCISCVS MARIA de LVNA Peruſinus Caroli filius, de quo ſuperius, cum Rhetoricæ vacaret anno 1671. verſu latino cecinit laudes D. Baſilij Magni Epiſcopi Ceſareæ, & anno ſequenti illas Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, ſacri Oratoris in patria Cathedrali cecinit. Vitam viuit hoc anno 1677. ſtudijs literarum intentus.

FRANCISCVS MARIA SANTHERIVS, patria Peruſinus, Philoſophiæ, ac ſacræ Theologiæ laureatus, Sacerdos à ſacello Cathedralis, adhuc præſenti anno inter viuos, olim Seminarij Epiſcopalis Alumnus ſcripſit, editque in lucem typis patrijs anno 1666. Carmen in laudē Deiparę, cū anno præcedenti ibidem Valentis Imperaroris decretum de Baſilij Magni relegatione metricè explicaſſet.

FRAN-

FRANCISCVS MARIA TARTALIA, Sacerdos Perusinus, adhuc inter viuos hoc currenti anno 1677. post Christum natum; cum inter Clericos Seminarij Episcopalis Perusini humanitatem appeteret, Carmen latinum scripsit, ediditque ex typographia Episcopali apud Angelum Laurentium anno 1666. in laudem Deiparæ semper Virginis Mariæ.

FRANCISCVS MARINVS Perusinus, nostra ætate Canonicus Cathedralis, & Abbas S. Thomæ Pilæ; Doctor in vtroque iure, publicus Professor Instituti in Patria Academia, sacris initiatus, cum Clericus vitam duceret in Seminarij Episcopalis Collegio, anno 1665. Elogium latinum in commendationem D. Basilij Magni euulgauit typis augustis, & anno proximè sequenti Carmine item latino pulchritudines B. Mariæ semper Virginis extulit.

FRANCISCVS MARIVS è Villa Mansionis, Sacerdos, Philosophiæ, sacræque Theologiæ laureatus, inter viuos hoc anno 1677. cum iuuenis studijs humanitatis deditus, degeret in Seminario Episcopali Perusino anno voluentis seculi decimi septimi à partu Virginis quinto, & sexagesimo, Elogio latino D. Basilium Magnum Episcopum Cesareæ laudauit, & anno sequenti versu item latino cecinit laudes B. Mariæ semper Virginis: quæ omnia typis Perusinis euulgata ijsdem annis inuenies.

FRANCISCVS MARTINELLVS Perusinus, Constantij frater, Hieronymi Patruus, Academicus Insensatus. in Pisano Gymnasio studiorum suorum lauream consequutus, eximiam in pertractandis negotijs prudentiam exhibuit dum vixit. Huic in Ethica, & Poetica versato, cum ab Duce Niuernensi, vita, salus, & honor Retellensis Ducis filij sui, maximæ spei adolescentis, tradita fuissent, tale, maximi momenti negotium, tanta prudentia, & sagacitate pertractauit, vt ad optatum exitum perduxerit. Mortuo autem Vincentio huius nominis secundo, Mantuæ Duce, & Carolo Niuernensi subrogato, non

ſolum à ſecretis munus, quod ãtea exercuerat retinuit, ſed etiam Mantuæ, & Montisferrati Ducis Conſiliarius, & totius dictionis Præfectus electus eſt: Quibus in muneribus, graſſante vndiquè dira lue, anno ſalutis humanæ 1630. eius tactus feritate occubuit.

Huiuſce Carminũ etruſcorum volumen vidi, Ferdinando Gonzagæ Duci Mantuæ, & Montisferrati nuncupatum, editumque Venetijs anno eiuſdem ſeculi vndeuigeſimo, ſub titulo *Abozzi Poetici*, & continet

Venere volgare.
Venere Celeſte.
Soggetti panegirici.
Affetti lugubri.
Penſieri fantaſtici.
Complimenti.

Scripſit etiam aliud opus metricum ſub titulo, *la Muſa eſule*, Venetijs publici iuris factum. Eiuſdem volumina plura literarum M. SS. extare plures affirmant, in tabulario Mantuano.

De hoc tractat Cæſar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Peruſinorum.

FRANCISCVS MATVRANTIVS, affinis Iacobi Antiquarij, patria Peruſinus, literarum Græcarum, latinarumque Profeſſor in Patrio Gymnaſio, ſeculo decimo ſexto à Chriſti natiuitate, ſuadente Iacobo affine aggreſſus eſt res à Peruſinis preclarè geſtas conſcribere, adfuit à ſecretis Patriæ, ediditque librum Venetijs anno 1612. de componendis Carminibus.

Scripſit etiam Commentaria, ſeu enarrationes doctas ſuper Rhetoricam Ciceronis ad Herennium.

Item in Philippicas Ciceronis, eiuſdemque Paradoxa, & ſuper Officijs, & Tuſculanis.

Orationem de Laudibus Peruſiæ.

Præfationem, & Additiones ad Conſilia Cornei.

Anno 1502. Adriani 1. Ballionij, cognomento Morgãtis laudes

laudes enarrauit in funere, apud Ædem D. Francisci.

Reliquit M.SS. memorias Patriæ.

E vita migrauit anno salutis 1518. alijs 1512. tanto totius Augustæ Patriæ dolore, vt publica oratione eius iacturam deplorauerit Christophorus Saxns.

Celebrant Maturantium Io: Baptista Laurus Epist. 86. Cent. 2. Pompeus Pellini, & Felix Citatus in hist. Perusina, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Paulus Merula in descriptione Italiæ, Marcus Antonius Bonciarius in præfatione Epistolarum suarum, Crispoltus, & Alexius Cent. 2. Elogiorum.

FRANCISCVS MASSOLINVS Perusinus D. Francisci Assisinatis charitatem in brutas etiam animãtes commendauit Carmine latino, patrijs typis edito, anno voluentis seculi decimi septimi, sexto supra sexagesimum.

FRANCISCVS MONTEMELINVS, ex Comitibus Reschij, Patria Perusinus, in militia spectatus, & sua ætate cognitus; vir ad virtutem, dignitatem, & gloriam natus, dum rei militaris imperium gereret in arce Molis Adrianæ, sub Paulo III. Pontifice, scripsit, ediditque in lucem, typis Venetis, anno salutis 1548. Discursum Italicum, circa munitionem Vrbis leoninæ, nuncupatum Octauio Farnesio, Parmæ, ac Placentiæ Duci, & S.R.E. Signifero.

FRANCISCVS PERILIVS Perusinus, multis nominibus colendus; nam solerti ingenio, prudentia singulari, sermonis gratia, morum comitate, ac dicendi gratia clarebat initio seculi decimi septimi, à partu Virginis; cuius anno septimo supra decimum, typis patrijs euulgauit Carmen latinum, scriptum occasione publicæ disputationis habitæ Perusiæ à Paulo Racano Tudertino.

FRANCISCVS de PINNA Perusinus, suscepta doctoratus laurea, in patria Academia Ius Ciuile professus est; Rotæ deindè Maceratensis, & Gregorij XIII. Beneficio

etiam Romanæ Auditóribus adſcriptus, antequam deficeret primus annus, ſæuo peſtiferæ febris afflante Aquilone anno Chriſti 1592. alijs 1596. non ſine virorum omnium doctrina præſtantium lachrymis, è vita in Vrbe migrauit. Iacet ad Sanctam Mariam ſupra Mineruam. Reliquit pro Poſteris Deciſiones Rotales plures, & nonnullas informationes pro conſecratione Sanctorum. Librum etiam compoſuit de Familijs nobilibus Europæ, cum earumdem Inſignibus. Hic, vt ferunt, M. S. adſeruatur in Vrbe apud Ducem Lantem.

Eſt huiuſce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, Alexandrum Baleſtrinum de Gymnaſio Peruſino, Cæſarem Alexium in Elogijs Cent. 2. Laurum in Epiſt. 12. Cent. 2. Criſpoltum lib. 3.

FRANCISCVS PLATO Peruſinus, Medicus, & Philoſophus magni nominis, vide ſuperius Franciſcus Columbus.

FRANCISCVS PODIANVS Peruſinus, viuebat initio voluentis ſeculi decimi ſeptimi à partu Virginis, quo Comędias plures ſcripſit, quarum vnam ſe habuiſſe præ manibus fatetur Scipio Tolomæus ſuis literis ad illum miſſis, illamque laudat breuitate, argumento, diſpoſitione, & inuentione. An autem hæc alia ſit ab illa, quam vidi impreſſam ſub titulo, *I fidi Amanti*, prorſus ignoro. Vidi aliam ſub titulo, *Gli Schiaui d'Amore*, editam Peruſię apud Academicos Auguſtos anno 1607. Fuluio Corneo, Caſtilionis Marchioni, nuncupatam.

FRANCISCVS PVTTI Peruſinus, olim Seminarij Epiſcopalis Alumnus, publicus Grammaticæ in Gymnaſio patrio aliquando profeſſor, adhuc hoc anno 1677. inter viuos, Muſis perfamiliaris, ab anno 1665. ad præſentem quo viuimus Italicè, & latinè ſcripſit Carmen in laudem D. Baſilij Magni Epiſcopi Ceſareæ in Capadocia, & aliud in Natiuitate Deiparæ ſemper Virginis; Metro verò etruſco in laureis doctoralibus cecinit laudes Dominici

Galletti,

Galletti, Bernardi Moſcheni, Dominici Orſuccij Lucenſis, Io: Mariæ Bottini, Ioſephi Bruſchi, Simeonis Cæſaris Seriacopi, ac Franciſci Silueſtri, Vincentij Cirocchij, Hieronymi Eliſei, & Angeli Marcelleſij, Fulginatenſium. Anno autem 1673. & ſequentibus idilium ſcripſit, & euulgauit in nuptijs Scipionis, & Pauli Æmilij Mōti Sperellorum cum Portia, & Eliſabetha de Ranerijs. Summis etiam laudibus extulit Purpuram Federici Cardinalis Columnæ, Diſceſſum Peruſia Neapolim Franciſci Andreę, Eloquentiam Fr. Bartholomei Blanchi Minoris Conuentualis, nec non D. Maurij Abbatis Oliuetani, Io: Baptiſtę Berti Monachi Silueſtrini, ac Federici Trenta é Societate Ieſu in Cathedrali Peruſina Sac. Oratorū, & Aſcyſteriatum Vincētiæ Manſuetæ, ac Cæciliæ Antonianæ, & Martiæ Floramontię, atque elationem ad Præſidis ſupremi munus in Congreg. Caſſinenſi. Domini Stephani Lenzi Romani.

FRANCISCVS SACCHINVS, natus in Diœceſi Peruſina, à puero ſeſe Deo deuouit in Societate Ieſu, in qua pietate, & doctrina claruit. Talis igitur Vir egregiè pius, & doctus; Rhetoricam primùm, magno Vrbis plauſu in Collegio Romano cum docuiſſet publicè, cumque in rebus ſui Ord. verſatiſsimus eſſet, cuius hiſtoriæ poſt Nicolaum Orlandinum condendæ, cum aliquandiù operam nauaſſet ſuam, Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali à ſecretis per ſeptennium fuit; quo in munere deceſſit Romæ die 16. Decembris, anno ſalutis humanæ 1625. ætatis 55. Societatis 37. S. Frāciſci Borgiæ vixit ſtudioſiſſimus imitator, in paupertatis, atque humilitatis amore, obedientiæ religioſiſſimè addictus, temporis perparcus, carnis egregius domitor, Cultor inſignis Diuinæ Euchariſtiæ.

Tantus hic vir ſcripſit Orationem in funere Io: Franciſci Aldobrandini, quam Romę publicè dixit anno 1621.

Vitam B. Stanislai Koſtka Societatis Ieſu, tum Italicè, tum latinè, Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1612. in 16.

Libellum,

Libellum, de ratione libros cum profectu legendi, & Orationem de vitanda moribus noxia lectione. Ingolstadij rypis Ederianis in 16. 1614.

Historiam Societatis Iesu Partes quatuor; quarum primam, inscriptam Lainius edidit in fol. Antuerpiæ typis Nutij anno 1620. & Coloniæ in 4. per Antonium Hieratum anno sequenti 1621.

Aliȩ tres partes prodierunt Romæ diuersis temporibus, vna prænotata Borgia, anno 1649. altera Mercurialis 1652. & tertia Aquauiua 1661.

Proemialem insuper epistolam præfixit primæ parti eiusdem historiȩ Societatis Iesu á Nicolao Orlandino conscriptæ, & in secunda eiusdem historiæ editione addidit tractatum, cuius sit auctoritatis quod in Caietani Thienȩi vita, de S. Ignatio traditur à Io: Baptista Castaldo, instituisse ipsum, vt in Theatinorum ordinem admitteretur.

Scripsit etiam de vita, & rebus gestis Petri Canisij libros 3. Ingolstadij typis Ederianis in 4. anno 1614.

Protrepticon ad Magistros Scolarum Inferiorum Societat. Iesu. Parænesim ad eosdē, quibus addidit vitā S. Paulini, ab Heriberto Rosuucido eiusdem Ordinis Sacerdote Italicé vulgatam. } Dilīgȩ apud Iacobū Sermodi in 12. 1626.

Item Epistolam de vtilitate benè legendi ad mensam Mediolani in 12. typis Archiepiscopalibus.

Modum vtiliter studendi, qui latinè, & italicè prodijt.

Orationes tres de Passione Domini, quas dixit coram Clemente VIII. anno 1603. & Paulo V. annis 1611. & 1617. quæ publici iuris deindè factæ sunt typis Romanis anno 1640. in 12.

Reliquit etiam M. SS. Commentaria super Philosophiam, & sacram Theologiam.

Eiusdem literas ad Marcum Antonium Bonciarium euulgatas inuenies anno 1613. cum illis eiusdem Bonciarij.

Memi-

Meminere Francisci nostri Philippus Allegambe, & Natanael Sotuellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2.

FRANCISCVS SCIRI Perusinus, Canonicus Cathedralis, Musis perfamiliaris vixit hoc nostro seculo decimo septimo post Christum natum, supremumque diem obijt 2. Augusti 1666. & iacet in Æde D. Francisco sacra apud Maiores suæ gentis. Dum vixit anno 1634. Carmine etrusco, euulgato in Patria, extulit nuptias Tiberij de Vbaldis, & Todeschæ Montisperellæ, annis 1637. & 1640. defleuit obitus Georgij Boreæ nobilis Lugensis, nec non Ludouici Alberti; alio verò euulgato, anno 1643. Promethei statuam ab Alexandro Algardo elaboratam. demum anno 1645. cecinit laudes Timothei de Timotheis, & commendauit nuptias Comitis Francisci de Oddis, & Artemisiæ Bontempi.

FRANCISCVS SIGNORELLVS Perusinus, eruditione, Latinæque linguæ puritate clarebat initio voluentis seculi decimi septimi ab Orbe redempto. Huius extant literæ ad Io: Baptistam Laurum datæ latina lingua, publici iuris factæ cum illis Lauri; qui Epistola 34. Cent. 2. apud se habuisse binas eiusdem politissimas herclè, & varijs elegantiæ luminibus respersas, ad Hieronymum patruum, & Abbatem Signorellum vnam, alteram ad Illustrissimum Comitem à Monte vetere missas, fatetur. Publici iuris sunt huiusce Carmina latina, scripta in occasione publicæ disputationis, quam habuit Perusiæ anno salutis 1617. Paulus Racanus Tudertinus.

FRANCISCVS TIMOTHEVS Sacerdos Perusinus, doctrina clarus, nostro hoc seculo, Summaria confecit, & Indices locorum, ac sententiarum locupletissimos elaborauit in Necrophiliam Timothei de Timotheis de celebratione Missarum, editos Perusiæ in 8. anno 1645. apud

hæredes Petri Thomasij cum ipsa Necrophilia; & Responsum de prætensa simulatione, nec non Orationem Italicam in laudem SS. Firminæ, & Olympiadis in translatione Sacrorum Cinerum earumdem; anno autem sequenti 1646. suis literis latina lingua Horatio Monaldo, Episcopo Perusino sacrauit laudati Timothei de Timotheis Consilium, in causa Perusina Decimarum.

FRANCISCVS TRAMONTANA Perusinus, Otdinis Capuccinorum Religiosus, Musis pergratus, nostra ætate edidit Italicè Opusculum, sub titulo, *La Sacra Cetra*.

FRANCISCVS de VBALDIS Perusinus, Baldi magni nominis Iuris periti genitor, Medicus doctissimus, literisque plurimis ornatissimus, scripsit multa in re Medica, quæ adhuc latent in tenebris.

De hoc Pompeus Pellini in historia Perusiæ.

FRANCISCVS de VBALDIS, Baldi filius, superioris Nepos, Iuris Consultus Perusinus, vir maximi ingenij, altissimique animi, lector primarius in Patria primum, deindè in Ticinensi Academia, Vrbis veteris Prætor, & inter Aduocatos Consistoriales anno salutis nostræ 1407. cooptatus, quem Gregorius XII. Pontifex Maximus, pronomine Magistri nuncupare solebat, scripsit, ediditque nonnulla Consilia, seu Responsa, cum illis Parentis impressa.

De hoc Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta, Tabulæ Vaticanæ sub Gregorio XII. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Ludouicus Iacobilius de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elog.

FRANCISCVS de VBALDIS Perusinus, alius à superioribus, auunculus Benedicti de Vbaldis S. R. E. Cardinalis, primis annis, humanioribus literis, ac liberalibus disciplinis, non illiberaliter eruditus, mox non tam lustrata, quam illustrata philosophia, Iuris prudentiam publicè professus est; in Patria Academia primùm, deindè in Messanensi, demum in Auenionensi, ex qua à Paulo V.

Pontifice

Pontifice Maximo die 25. Octobris anno 1610. Rotæ Romanæ Iudicibus adſcriptus, miro ingenij acumine, eximio latinæ linguæ candore, æqua iudicij lance ſemper lites diremit, cuius ſententias immortalitatis memoria, & cedro dignas ad omnem hominum memoriam, imprimendas typis euulgari iuſſit Vrbanus VIII. Summus Pontifex, & anno 1656. cum illis Benedicti Nepotis, & adnotationibus Roſati Torelli, iterum in publicam lucem datę ſunt, vt indicauimus ſuperius in Benedicto Cardinali de Vbaldis. Deceſſit Romæ die 17. Martij anno Chriſti 1626. ætatis 72. cum euulgaſſet Orationem à ſe habitam Auenione, & Deciſiones Rotales. eiuſdem epiſtolas ad Marcum Antonium Bonciarium euulgatas inuenies cum illis Bonciarij.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Baleſtrinus de Gymnaſio Peruſino, Cæſar Alexius in Elogijs, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium ad Petrum de Vbaldis, Criſpoltus in Peruſia Auguſta lib. 3.

FRANCISCVS de VBALDIS Comitis Io: Baptiſtæ filius, patria Peruſinus, ſtudijs Rhetoricæ anno 1675. vacans, verſu latino, & Anagrammate Io: Baptiſtæ Berti Romani, Monachi Silueſtrini in Peruſina Cathedrali tempore aduentus, & anno 1677. P. Federici Trenta ſacrorum Oratorum, laudes explicauit. Vitam ducit hoc anno 1677. Philoſophiæ ſtudio intentus.

FRANCISCVS VIBIVS Peruſinus, Poeta vtraque lingua latina, & etruſca clarebat initio voluẽtis ſeculi decimi ſeptimi à partu Virginis, quo varia ſcripſit, cuius Odem Marcus Antonius Bonciarius commendat ſuis literis, inter ſelectas recenſitis, & Carmen etruſcum exſcribit.

FRANCISCVS VIRILIS Peruſinus Doctor vtriuſque Iuris, & Iuris prudentiæ Profeſſor in Patria Academia, adhuc hoc præſenti anno 1677. inter viuos, Carmine latino typis Peruſinis euulgato anno 1670. cecinit laudes

Dominici Orſuccij Lucenſis; cum laurea doctorali ornaretur.

FRANCISCVS VITVS, ſeu de Vitis, natus in Pago S. Viti in territorio Peruſino, Seminarij eiuſdem Vrbis Clericus, ſcipſir, ediditque Peruſiæ annno 1647. Carmen in Natiuitate Deiparæ, & alio eiuſdem puellulæ faſciolas laudauit. Annis vero 1653. & 1656. Horatium Monaldum, Peruſiæ Epiſcopum Carmine latino laudauit, & Chriſtum ſirientem expreſſit. Vitam ducebat in Aula Romana anno ſeculi decimi ſeptimi ſexto ſupra ſeptuageſimum.

FRIGERIVS Peruſinus, è Cluſina, anno ſalutis 1246. ab Innocentio IV. ad Peruſinam tranſlatus eſt Eccleſiam, extat eiuſdem Pontificis epiſtola de hac tranſlatione à ſe facta, ad Archipresbyterum, & Capitulum Peruſinum; Tranſtulit hic Præſul è S. Stephani Templo, in nouam D. Laurentio ſacram Cathedralem Corpus S. Herculani Epiſcopi, illudque ſub maiori ara decentiſſimè condidit. Interfuit cum Epiſcopis, Florentino, Aretino, Feſulano, Aſſiſinate, Typhernate, & Vrbinate conſecrationi Montis Aluerni, vbi D. Franciſcus recens fuerat ſacris ſtigmatibus inſignitus. Excepit Peruſiæ ſua ætate Vrbanum IV. & Clementem IV. Summos Pontifices. Tantus hic Epiſcopus ſcripſit tranſlationis reliquiarum S. Herculani hiſtoriam, ac deceſſit Peruſiæ anno 1254.

De hoc tractant Ferdinandus Vghellius Tom. 1. Italiæ ſacræ in ſerie Epiſcoporum Peruſinorum, & Tom. 3. in Catalogo Epiſcoporũ Cluſinorũ, Cæſar Alexius in Elogijs.

FVLGENTIVS MELIORVTIVS Peruſinus, ſuis literis latina lingua exaratis publiciq; iuris factis typis patrijs anno 1637. ad Cæſarem Boream nobilem Lugenſem datis, Georgij eiuſdem agnominis nepotis obitum condolet.

FVLVIS ANSIDEVS Peruſinus, Iuris vtriuſque Doctor, Eccleſiæque Cathedralis patriæ Canonicus, defunctus

ctus die 6. Ianuarij anno salutis 1667. qui iacet apud Eremitas S. Augustini, anno eiusdem seculi quinto supra quadragesimum superaddidit plura de suo, Voto responsiuo de celebratione Missarum edito à Timotheo de Timotheis.

FVLVIVS CONSTANTINVS inter Perusinos Iuris peritus doctissimus, omnique doctrina, nec non virtute ornatissimus, Tobiæ Nonij discipulus, Collegiatorum numero adscriptus, magistralem patrij Gymnasij Cathedram summa cum laude, summoque auditorum fructu conscendit, ad quorum vtilitatem adeò fuit semper propensus, vt lectiones Institutorum per quadriennium à se exaratas, & publicè explicatas, super Institutiones Imperiales Iustiniani, vulgò ediderit anno 1566. Venetijs, cum interpretationibus in nonnullos Institutionum titulos Tobiæ Nonij præceptoris sui, magna suæ doctrinæ fama, & gloriæ propagatione. Cum autem consilijs, candidisque moribus semper profuisset, licet annis immaturus, meritis tamen plurimis ornatus, migrauit è vita anno ab Orbe redempto 1596.

Præter lectiones indicatas, scripsit etiam erudita Consilia, vt referunt Ioannes Vuolfangus, & Zilettus in Indice Iuris Consultorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs.

FVLVIVS CORNEVS patria Perusinus, Iacobæ Montiæ ac Iulij III. Pont. Rom. sororis & Ferocis Ducis filius, Ascanij viri in militari disciplina inter Italicos sua ætate celeberrimi frater, 13. Calendas Decembris anno 1517. natus, ab adolescentia Melitensium equestrem ordinem professus est, Iulio III patruo non magis necessitudine sanguinis, quam suauissimis moribus, ac virtutibus charus, ab eo Pontificatus initio, die scilicet quinta Maij anno salutis 1550. ex Archipresbytero Perusinæ Ecclesiæ, Episcopus primò eiusdem Vrbis, ac paulò post

Presbyter

Presbyter Cardinalis, titulo S. Mariæ in via, ſeu vt alij ſcribunt S. Marcelli renuntiatus, Picenique legatione inſignitus, Aſculum, Reate, Nurſiam, Montem leonem, & Caſciam, in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarius eodem tempore rexit. Florentiam deindè ad Coſmum Medicem, Etruriæ Ducem mittitur ad res Senenſes componendas: Spoletinam poſtea Eccleſiam, dimiſſa Peruſina anno 1553. regendam ſuſcepit, cuius poſſeſſione à Paulo IV. ſpoliatus eſt. Gratia autem, & auctoritate, qua apud Iulium patruum valebat, Patriæ ſuæ Magiſtratus poteſtas, qua á Paulo III. deſtitutus fuerat, vt reſtitueretur obtinuit. Romæ poſtea die lunæ, annum agens ſextum ſupra ſexageſimum 2. Martij anno ſalutis 1583. Epiſcopus Portuenſis, ſupremo deſungitur die, & in S. Petri de Monte aureo Templo, apud Minores obſeruantes in Antonij Cardinalis Montani ſacello ſepelitur, ſub ſequenti Epigraphe

D. O. M.

FVLVIVS CORNEVS
EPISCOPVS PORTVENSIS,
CARD. PERVSINVS,
SACELLVM HOC AB ANTONIO
DE MONTE ERECTVM,
ET
A IVLIO III. PONT. MAX.
AVVNCVLO SVO EXORNATVM,
IN SVI CORPORIS SEPVLTVRAM ELIGENS,
ANNVO PERPETVO REDDITV
PRO ORNAMENTIS ALTARIS
SVBMINISTRANDIS
DVOBVSQVE ANNIVERSARIIS,
PRO SVA, ET EIVSDEM ANTONII
DE MONTE

ANIMA

ANIMA CELEBRANDIS.
OBIIT DIE II. MARTII MDLXXXIII.
AETATIS SVAE ANNO LXVI.

Post cuius obitum vnus é Societate Iesu ad Fuluij memoriam inter superstites celebrandam in exequiarum iustis, funebrem orationem habuit. Patres enim Societatis semper vnicè dilexerat in vita, amicoque sinu fouerat. Auctor fuit Collegij Perusini; Seminarium in eadem Vrbe instituit, & ad corrigendos Cleri mores Statuta, & Constitutiones Synodales scripsit, ediditque Perusiæ in Officina Andreæ Brixiani anno 1556.

De tanto Cardinali tractant Auctarij Ciaconij, Io: Baptista Laurus in historia M. S. Perusiæ, Filiuccius in Elogijs, Nicolaus Orlandinus, & Franciscus Sacchinus in historijs Societatis Iesu; Horatius Tursellinus in historia Lauretana; Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Auberyus in Vita Gallicè descripta, Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta, Ianus Vitalis in Carmine, Paulus Sadolettus, & Iulius Peruscus in Epistolis, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. I.

FVLVIVS CORRADVS Perusinus, Clericus olim Seminarij Episcopalis patrij, & discipulus Marci Antonij Bonciarij, Musis pergratus, metricè scripsit argumenta in Seraphidos, & libros de Gerardo, fratre S. Bernardi Abbatis Claræuallensis, conuerso ad Christum. Insuper in eumdem Seraphicum Patrem Franciscum, Carmen typis patrijs euulgauit anno salutis humanæ 1606.

FVLVIVS EVGENIVS Iuris Consultus Perusinus, in Patria Academia Ciuilis Iuris Interpres peritissimus, anno seculi decimi sexti a Christo nato septimo supra octogesimum Perusiæ apud Petrum Paulum Orlandum edidit Opusculum, sub titulo, Duo tituli, qui Iuris Tyronibus magis sunt necessarij.

De verborum, & rerum significatione ex Pandectis.

De

De Regulis Iuris, ex Pandectis, Decretalibus, & Sexto, cum postillis, emendationibus, ac notis, ex antiquis collectis, & denuò additis.

FVLVIVS MARIOTTELLVS vir ornatissimus Perusiæ Ciuitatis Ciuis, præstanti sapientia, Bonciario duce, Poeticæ, Rhetoricæ, politiorum literarum studio perfecto, Philosophiæ arcana ingenij acumine tam feliciter penetrauit, vt ea duce disciplinas omnes, artesque liberales non solum didicerit, sed perfectè docuerit. Librum enim à se conscriptum edidit, Neopediam dictum, siue nouam in discendis methodi rationem super elementa, & scibilium series, super Grammaticam, Geometricam, Arithmeticam, Astronomiam, Cosmographiam, Musicam, Logicam, Rhetoricam, Historiam, Poesim, Medicinam, Theologiam, De natura vniuersi, De Metheora, De homine, De Iuris prudentia, De arte militari, & de fine, seu de vsu, aut praxi omnium discendorum. Quod Opus in Vrbani VIII. creatione ingentis letitię exiguum monumentum, euulgatum Romę anno 1624. in 4. typis Mascardi. Additis præterea nominibus Auctorum aliquot, qui á S. R. E. non improbati sunt; de singulis præstantioribus artibus, ac disciplinis vberius tractantes, possunt cuique facilè in promptu esse.

Scripsit etiam Catalogum Episcoporum Perusinorum à fundatione Ecclesię ad annum 1625. Vidi eiusdem literas italicas, scriptas ad Cęsarem Crispoltum, Principem Insensatorum quæ seruantur M. SS. apud Patres Societatis Iesu in Collegio Perusino, ex legato Dionysij Crispolti; & typis patrijs anno 1628. apud Marcum Naccarinum publicè iuris fecit Discursum de Bibliotheca Prosperi Podiani.

Meminit huius Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacræ, in serie Episcoporum Perusinorum.

FVLVIVS PAVLVCCIVS, seu Paulutius Perusinus, Protono-

Protonotarius Apostolicus, Pauli V. & Gregorij XV. à cubiculo, doctrina, eruditioneque clarus; Venetus, Vrbeuetanus, & Perusinus Proepiscopus, Prætor Lauretanus, Archidiaconus in patria Cathedrali S. Laurentij, qui è viuis abiens anno seculi decimi septimi post Christum natum, vigesimo septimo, conditus est in eadem Cathedrali sub hac Inscriptione.


FVLVIO PAVLVTIO
IN TEMPLO HOC PRIMARIO
ARCHIDIACONATVM,
LAVRETI PRAEFECTVRAM
VRBIS VETERIS, VENETIARVM, PERVSIAE
IN ALMA VRBE
S. MARIAE TRANSTYBERIM
VICARIA MVNIA CVM DECORE HABITA,
CVM FIDE OBITA,
ET CLARAS VIRORVM,
CIVITATVMQVE PRINCIPVM
DIGNITATES
VMBRAE SOMNIVM SERIO SENTIENS,
ET
ADVERSVS SVAVE VENENVM,
NON SEMEL SIBI INTIMO
SVMMORVM PONTIFICVM PAVLI V.
ET GREGORII XV.
CVBICVLARIO,
AB ROMANA AVLA PROPINATVM,
VIVO SE MORTVIS FIRMANS
ANTIDOTO,
DEPOSITARIO IVRE CLAVDERET,
IN ANTE SOLVTVM STRVXIT,
MENTE AD ILLVM,
QVI COMPRHENDI NEQVIT, ERECTA
ANNO DOMINI MDCXXVII.

AETATIS SVAE LXXVII.
CONSTANTINVS ARCHIDIACONVS
PATRVO.
PARENTI BENE DE SE MERITO,
BENEMOERENS PARENTAT.

Scripſit noſter Fuluius Dialogos, & Epiſtolas plures, quarum illæ ad Io: Baptiſtam Laurum publici iuris factæ ſunt typis Colonienſibus anno 1624. cum illis eiuſdem Lauri.

De hoc cum laude tractant Cæſar Alexius in Elogijs Cent. 2. Alexander Beleſtrinus de Gymnaſio Peruſino.





G



GALEATIVS ALEXIVS Perusinus, Philosophus, & Mathematicus, Reipublicæ Genuensis Machinator bellicus, & Architectus, quam Vrbem, nec non Romam, Mediolanum, aliasque Italiæ Ciuitates fabricis multis ad libellam, & normam erectis mirificè exornauit. Obijtque circiter annum salutis 1572. cum scripsisset Commentariũ in Vetruuium.

Est huiusce mentio apud Alexandrum Balestrinum in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, apud Georgium Vasarium in Vita, Pellinum in hist. Crispoltum, Philippum Albertum, Alexium in Elogijs Cent. 2.

GALEATIVS de VBALDIS Perusinus, Bonciario præceptore politioribus literis imbutus, Pisis primùm, tum in patrio Gymnasio legalis disciplinæ diligentem nauauit operam; Doctoris laurea ornatus in Academia Perusina publicus legum interpres, Magistratus Orator ad Romanum Pontificem typis, euulgauit Alloquiorum libros tres, quibus Orbi vniuerso explicauit eloquentiam, eruditionemque suam, qua munitus dum vixit, incessit. E vita migrauit sub Gregorio XV. Pontifice, iuuentutis annos vix egressus.

De hoc Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs.

GALEOTTVS ODDVS Perusinus, Sfortiæ in omniũ disciplinarum genere eruditissimi, filius, Commendatarius S. Stephani, Poeticæ, Philosophiæ, Mathematicęque studijs sedulam nauauit operam. Prælectiones plurimas mirifico sententiarum apparatu refertissimas, in publicis Academiæ conuentibus, magna audientium frequentia, & admiratione habuit. Comicas fabulas Italicas non minus lepidè, quam eruditè conscripsit. nempè vnam sub titulo, *Il Gisippo*, typis patrijs euulgatam. Aliam cum Inscriptione *La Griselda*. M. S. apud plures.

Eiusdem discursum Italica lingua à se habitum Romæ in Academia Mauritij Cardinalis Sabaudi, in illud, Vnusquisque est suæ fortunæ faber, publicæ luci commissum inuenies cum alijs in collectione Discursuum habitorum in eadem Academia; Demum dum à pertractandis Patrię negotijs, tantisper quiescit, quietem nanciscitur sempiternam.

De hoc Cæsar Alexius in Elogijs.

GALIFFVS BACIALLA patria Perusinus, summo ingenio præditus, legum benè peritus, scriptis consignauit Repertoria legalia plura, & lectiones eruditissimas, adeò vt legum studiosi maximum indè fructum referre consueuerint, fuit ingenio summoperé perspicaci, ac subtili, abditosque legum sensus facili quodam modo aperire discipulis consueuit, adeò vt subtilis Doctor cognomento diceretur; In legendo autem tam vtilis, & fructuosus extitit, & ab auditoribus suis tam vnicè adamatus, vt ad senectutem vergens, podagra, eiusque doloribus Gymnasium frequentandi, Cathedramque conscendendi impeditus, ab ijsdem auditoribus suis, ipsa brachiorum vi, è domo ad Gymnasium perductus, & in Cathedram ex qua eos suæ doctrinæ fructibus depascebat, identidem translatus fuerit.

De hoc Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum.

GARO-

GAROFANVS de GAROFANIS Perusinus, ex Iuris prudentiæ fontibus hausit nocentibus ponarum aptandarum scientiam, quam non solum in Patrio Gymnasio publicè docuit, sed in Capitolio Romano, & apud Genuenses Iudex pluribus annis, magna cum laude exercuit; quibus in muneribus aurum pro se magnum collegit, Seueriorisque Iudicis notam sibi comparauit. ea enim Iustitiæ calamitas est, vt ab omnibus exoptata, nullibi hospitium inueniat; Et qui eius Iura ministrat, seueritatis notam ferè semper incurrit. Inter igitur reorum crimina, interque diuersa tormentorum genera, comicas fabulas, & Carmina plura etrusco Idiomate perscripsit.

De hoc Cæsar Alexius in Elogijs.

GASPAR BALLOTTOLVS Perusinus Iuris vtriusque Doctor, Humanarum literarum diligentissimus, assiduusque dum vixit, cultor, vixit enim nostra ætate, abijtque è viuis ante annum septuagesimum voluentis seculi decimi septimi à partu Virginis, cum scripsisset etrusca Carmina plura in commendationem Alexandri Algardi statuarum artificis insignis, & Iosephi Estensis Mustij; eodem Carminum genere anno 1656. publicam Sanctissimi Crucifixi supplicationem, peractam Perusiæ, extulit, & defleuit obitum Ludouici Alberti Perusini.

GASPAR BARTOCCETTVS, Sacerdos Perusinus, anno nostri seculi decimi septimi post orbem redemptum, quarto supra septuagesimum literas scripsit Italicas Monialibus S. Agnetis, quibus aderat á sacris confessionibus, illisque nuncupauit Scalas animæ euulgatas à Petro Baptista Minorita ex obseruantia S. Francisci.

GASPAR Perusinus, dignitate Abbas, á Martino III. vulgó V. anno repatati Orbis 1421. promotus ad Episcopatum Fulginatensem, nondum inauguratus, cum vsque ad annum 1423. Episcopi nomen retinuisset, vltrò nondum obitum munus, detulit ad Pontificem, vt illud cuicumque voluisset, posset conferre. Vixit igitur suis

studijs

ſtudijs intentus, & ſcripſit de Sphoera Opuſculum, vti habemus ex Tabulis Vaticanis.

Hunc inter Epiſcopos Fulginei recenſet Ferdinandus Vghellius Tomo 1 Italiæ ſacræ.

GASPAR Peruſinus, Ordinis Prædicatorum, vir memoriæ tenaciſſimæ, ſummoque ingenio præditus, Magiſter in ſacra Theologia, á ſtudijs in Cęnobio patrio Patrum Dominicanorum, è viuis abijt Florentiæ anno noſtri ſeculi decimi ſeptimi, vndecimo, cum ſcripſiſſet in Euangelia totius anni ſermones, & Conciones Quadrageſimales, & Apologiam pro Fr. Socinate Præceptore ſuo.

Meminere huius Cæſar Criſpoltus in ſua Peruſia, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Fontana in Catalogo Scriptorum Prædicatorum Prouinciæ Romanæ

GASPAR de ROSSI à Peruſio, Iuris Conſultus ſua ætate celebris, Abbas Eremi, profeſſor Iuris Canonici in patria Academia, interfuit Concilio Conſtantienſi vti Orator Prouinciæ Burdegalenſis, Nationiſque Italæ. In quo Concilio electus Commiſſarius ad comprobandos articulos in abdicatione Pōtificatus facta á Ioanne XXII.& Patrum etiam iuſſu Ladislaum Regem, & regnum Poloniæ, Rutenos, ac Morauos, alioſque ad concordiam adduxit, & auerſos inter ſe ſua induſtria compoſuit, eidemque Concilio ſubſcripſit. Hunc tandem renuntiatum volunt aliqui Archiepiſcopum Sipontinum.

Tantus hic vir edidit de beneficiorum reſeruationibus, & varia Conſilia euulgata inter tractatus diuerſos Iuris Conſultorum nonnullorum, ſub nomine Gaſparis de Peruſio.

De hoc tractant Io: Vuolfangus, & Io: Baptiſta Zilettus de Illuſtribus Iuris Conſultis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Abrahamus Bzouius Tom. 15. Annal. Eccleſ. Alexander Baleſtrinus de ſtudio Peruſino, Cæſar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Peruſinorum; de eodem eſt mentio in 2. Tomo Cōciliorum Generalium.

GENTILIS GENTILIS Peruſinus publicus profeſſor Medi-

Medicinæ in Patrio Gymnaſio, Ioannis XXI. Pontificis Maximi Medicus, ſcripſit de Febribus Tractatum.

Alium de Peſte.

Et Commentatus eſt libros omnes Auicennæ.

De hoc meminit Alexander Baleſtrinus in ſuo tractatu de Gymnaſio Peruſino.

GOTTIFREDVS de BALLEONIBVS, Petri filius, Alexandri frater natu maior, patria Peruſinus, anno 1677. Carmine latino laudauit efficaciam P. Federici Trenta, conciones quadrageſimales habentis ad Populum Peruſiæ in Cathedrali eodem anno.

GRATIANVS Monachus natione Tuſcus, Patria ex aliquibus Cluſinus, ex alijs Peruſinus, anno á partu Virginis 1251. iuſſu Innocentij huius nominis IV. Romani Pontificis ſcripſit Decretalia.

Vt refert Felix Ciattus lib. 10. Peruſiæ Pontificiæ.

GVIDOBALDVS BORBONIVS, è Marchionibus Mōtis S. Mariæ, Raynerij Comitis Montis Barotij filius, inter primarios Ciues Peruſinos connumeratus ad virtutem, ſcientiaſque natus, Mathematica ſummè inſtructus. edidit latinè Theoricam Planisferij.

Opticem.

Mecanicas.

Commentaria in Æquilibrantia Archimedis.

Problemata Aſtronomica.

Tractatum de Cochlea apta ad eleuandas aquas, & alia.

Quæ omnia in vulgi Italici ſermonem vertit, & euulgauit Vincentius Pigafetta Vicentinus.

Obijt circa annum ſalutis 1575.

Meminere tanti viri Cæſar Criſpoltus in ſua Peruſia Augu ſta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Eugenius Gamorrinus Monachus Caſſinenſis in hiſtoria

GVIDVS RIDOLFINVS Peruſinus, quo eloquentiorem ætas illa non vidit, vir enim fuit tenaciſſimæ memoriæ, & exquiſita omnium ſcientiarum cognitione locu-

ples,

ples, viuebat initio voluentis seculi, cuius anno decimo septimo, typis patrijs communi luci commisit latinum poematium, à se scriptum, occasione publicæ disputationis, habitæ Perusiæ à Paulo Racano Tudertino.

GVIDVS SENSI Bernardini filius, Ludouici frater, Patria Perusinus, Federici senioris Cornelij S. R. E. Cardinalis Veneti à Secretis, eruditione, linguæque etruscæ proprietate clarus, reliquit pro posteris Volumina plura literarum, Venetijs apud hæredes Cardinalis M. SS. custodita.

De hoc tractat Octauius Lancellottus in Discursu de Raniero Sensi, edito Perusiæ anno Domini 1653.

GVIDVS SIGNORELLVS Perusinus, Minorita, Bartoli eximij Iuris Consulti in Theologia, & in Mathematicis præceptor, & in spiritualibus Dux, de quo hæc ipsemet Bartolus habet; Fr. Guido de Perusio, magnus Theologus, vniuersalis in omnibus, cui mens fuerat, & erat in Geometria Magister; Et paulò post, multa spiritualia gaudia ex collationibus spiritualibus secum habui. Tantus hic vir scriptis cosignauit plura in re Theologica, & Mathematica.

De hoc tractant Octauius Lancellottus in Bartoli vita, Felix Ciattus in Elogijs.

GVILELMVS de GVILELMIS, seu de Buonguglielmis dictus, patria Perusinus, Iuris vtriusque doctor, græcis, latinisque literis instructissimus, quem Bartolus Iuris peritorum antesignanus, in suum Generum elegit, quemque in suis commentarijs Doctorem solemnem appellauit; & Angelus Aretinus, Ancheranus, alijque insigniores Doctores summis laudibus celebrarunt, & ob Iustitiam optimè per eum administratam, in Præturis Vrbium Italiæ præcipuarum maximè conspicuus. Florentinæ demum Reipublicæ adeò fuit gratiosus, vt ab ea non solum Ciuitate donatus, sed etiam in funere, sequenti sepulchrali Inscriptione decoratus fuerit.

SEPVL-

SEPVLCHRVM HOC
GVLIELMI DE BVONGVLIELMIS,
CELLOLI FILIVS,
PATRITII PERVSINI,
IVRIS CONSVLTI PRAECLARISSIMI,
QVI OB PRAECLARA
EIVS IN REMP. FLORENTINAM,
VNIVERSAMQVE ITALIAM MERITA,
A FLORENTINIS
ANNO DOMINI MCCCLXXVI.
CIVITATE DONATVS,
ET
AMPLISSIMA HONORIS INSIGNIA
CONSEQVVTVS,
TANDEM IN HAC,
QVAM PROPRIA VIRTVTE NATVS EST,
PATRIA, HONESTISSIME
OBIIT ANNO SALVTIS MCCCLXXXIV.
SALVSTIO FILIO,
EX QVA IPSE FLORVERAT
IVRIS PRVDENTIA
PRO INGENTI PATRIMONIO RELICTA
SALVSTIVS HILARIONIS FILIVS,
MOERENTI CONSANGVINEO
RESTAVRANDVM CVRAVIT
AMNO DOMINI MDCIV.

Meminit tanti viri Pompeus Pellini in ſua hiſtoria Peruſiæ, nec non Cæſar Alexius in Elogijs.

GVILELMVS PONTANVS, gente Peruſina natus ex Matheo, prius quam Ius ciuile attingeret, Dialecticæ, ac Philoſopiæ præceptis imbutus eſt, ad Iuris prudentiam deindè ſe contulit, quam publicè per annos quinque ſupra quadraginta in patria Academia, Auditorum frequentia profeſſus eſt. Aliquandò Bononiam Patriæ nomine

profectus, tam humaniter à Pontifice Clemente huius nominis VII. exceptus est, vt eius precibus commotus, Rotæ Perusiæ Tribunal, ad Ciuitatis, totiusque Prouinciæ Vmbriæ, causas dirimendas, consenserit. Legatione quoque functus est eiusdem Patriæ nomine ad Alexandrum Mediceum, & ad Cardinalem Vrbini, Legatos Vmbriæ. Ex hac mortali, ad immortalem migrauit vitam Perusiæ anno Domini 1555. ætatis suæ 77. conditus ibidem apud Patres Dominicanos cum edidisset volumen super 1. & 2. ff. nou. & super 1. & 2. Infortiati, & Lecturas, Venetijs anno 1541.

De hoc tractant Ioannes Vuolfangus, Guido Pancirolus lib. 2. de claris legum Interpretibus, Crispoltus in Perusia Augusta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Paulus Merula in descript. Italiæ, Pellini in sua hist. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, ad Ludouicum Pontanũ.


GVLIELMVS SALVSTIVS patria Perusinus, Bartoli gener, doctrina clarus, & Laureatus celeberrimus, floruit ætate ipsius Bartoli, cuius Consilia præ manibus multorum ferebantur, vt referunt.

Angelus Aretinus, Ancaranus, nec non Alexander Balestrinus de studio Perusino, Io. Paulus Lancellottus in vita Bartoli.



HECTOR







ECTOR TORRETTVS Perusinus studio humanarum literarum intentus in Seminarij Episcopalis patriæ Collegio, Carmine latino, ibidem anno redemptionis humanæ 1671. publicæ luci commisso, præconia D. Basilij Magni Episcopi Cesareæ in Cappadocia cecinit.

HERCVLANVS BLANCHINVS Perusinus, Canonicus Cathedralis patriæ adscriptus, in cuius Eccesiæ seruitio vitam viuit hoc anno 1677. suis literis materno idiomate scriptis, & euulgatis anno 1672. in Typographia Episcopali apud Laurentium Cianum, Orbi opus Italicum aperuit sub titulo, *Affetti ossequiosi delle Muse di Perugia, nella partenza del Sig. Francesco d'Andrea Nobile Napolitano.*

HERCVLES BALLEONIVS Perusinus, anno á partu Virginis 1511. renuntiatus Episcopus Vrbeuetanus, decessit anno 1520 cum scripsisset versu heroico plures Sanctorum vitas, quæ extabant M. SS. in Bibliotheca Ducis Vrbini.

Meminere huius Guicciardinus in historia, & Ferdinandus Vghellius Parte 2. Tomi 1. Italiæ sacræ, inter Episcopos Vrbeuetanos.

HIERONYMVS ALBERTVS Perusinus, vtriusq; Iuris

Doctor, Philoſophus, Aſtronomus, & Mathematicus magni nominis, Io: Hieronymi Cardinalis Lomellini à ſecretis, Muſis familiaris, anno 1665. Carminibus latinis laudes cecinit Pauli Segneri Societatis Ieſu Concionatoris in Principe Laurentiano Templo Peruſino, & anno 1669. illas Cornelij de Oddis, Herculis filij; Exornauit etiam Purpuram Federici Cardinalis Columnæ, & Gryphum inſigne Vrbis. E vita poſtmodum migrauit in Patria die 15. Aprilis anno 1675.

HIERONIMVS ALPHANVS Peruſinus, vtriuſque Iuris Laureatus, in Doctorum Collegium cooptatus die 3. Octobris, anno voluentis ſeculi vndetrigeſimo, Carmine latino mortem Georgij Boreæ, nobilis Lugenſis defleuit anno verò eiuſdem ſeculi ſexto ſupra ſexageſimum Syſtema Muſicum Lemmij de Rubeis, vulgò Roſſi, anno 70. lauream Dominici Orſucij Lucenſis commendauit, anno 1628. illam Fr. Aloyſij Ciambany Melitenſis, Ordinis Hieroſolymitani; & anno 1617. typis patrijs euulgauit Carmen ſimile, à ſe ſcriptum, occaſione publicæ diſputationis, habitæ Peruſiæ á Paulo Racano Tudertino.

HIERONYMVS AMICI, patria Peruſinus, in vtroque iure laurea doctorali donatus, anno noſtri ſeculi ſeptimo ſupra ſeptuageſimum, verſu etruſco, publicæ luci commiſſo, laudauit P. Federicum Trenta, reſtauratorem cultus B. Mariæ die Sabbati in Cathedrali Peruſina S. Laurentio ſacra.

HIERONYMVS BALDELLIVS Peruſinus, diuini cultus perquam ſtudioſus, doctrina, & virtute conſpicuus, anno noſtri ſeculi ſeptimo ſupra decimum typis patrijs publici iuris fecit Carmen latinum à ſe ſcriptum occaſione publicæ diſputationis habitæ à Paulo Racano Tudertino.

HIERONIMVS BARNABEVS Peruſinus, Congregationis Oratorij de Vrbe Sacerdos, præſtanti ingenio, ſummaque eloquentia præditus, latina lingua ſcripſit ſtilo eleganti Vitam Cæſaris Cardinalis Baronij, Apoſtolicæ Sedis Biblio-

Bibliothecarij, typis Romanis apud Mascardum anno 1651. in 4. euulgatam. Typis verò patrijs anno 1637. ediderat Carmen latinum in obitu Geogij Boreæ nobilis Lugensis: Scriptis etiam alia cosignauit, quæ M. SS. apud Patres Oratorij de Vrbe adseruantur. Obijt in patria die 18. Iulij anno 1662. iacet apud Patres Oratorij Perusini.

Est nostri Hieronymi mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

HIERONYMVS BIGAZZINVS senior, Francisci, & Bernardinæ Ballionæ filius, vulgò il Vecchietto, Coccorani Comes, Patria Perusinus, vir eruditissimus, Sideralis scientiæ consultus, & astrologicè doctus, ac Mathematicus magni nominis, & Poeta non vulgaris, florebat initio seculi decimi sexti post Christum natum, ediditque pro annis 1523. & 1524. Prognostica, nec non Poemata varia. Viuere desijt anno eiusdem seculi secundo supra septuagesimum.

De hoc tractant Felix Ciattus, & Cæsar Crispoltus in suis historijs Perusinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Pellinus in hist. eiusdem Vrbis. Alexius in Elogijs.

HIRONYMVS BIGAZZINVS iunior, senioris pronepos, Comes Coccorani, patria Perusinus, in vtroque Iure Doctor, Historicus, & antiquitatis studiosissimus, Posteris plura ingenij sui erudita monumenta reliquit, inter quæ tria volumina, Consiliorum Legalium vnum, alterum de Patria Propertij Poetę, tertium Poeticam Horatij Venusini, versibus descriptam.

Scripsit etiam metricè Columneidam super familiam Romanam, antiquam, & nobilem de Columna, Opus varium, & eruditum.

Item Centurias de Patria.

Paradoxa varia.

Conclusiones morales, contra errores populares non cognitos.

De

De Familijs patritijs patrijs.

In Propertij Carmina Commentarium, & Poema inscriptum, Propertianum Carmen.

Fato cessit mense Iulij 1658. ætatis suæ tertio supra octogesimum.

Celebrant tantum virum Hieronymus Tetius in Ædibus Barberinis, Felix Ciattus in sua Perusia, Ludouicus Iacobillus de Sriptoribus Vmbriæ, Alexius in Elogijs.

HIERONYMVS CALCOGRAPHVS Perusinus, suis literis latina lingua exaratis, & euulgatis Perusiæ anno 1523. apud Hieronymum Francisci Baldassarris de Cartholarijs, sacrauit Syluio S. R. E. Presbytero Cardinali Cortonesi, Titulo S. Laurentij in Lucina Volumen secundum reformati, emendatique nouiter Iuris, Ciuitatis, Populique Perusini: Quod Opus, egregium sanè, & verè aureum continet ciuilium causarum materiam, & ordinem. Idem anno 1528. suis literis latina lingua sacrauit Gentili Balleoneo, armorum Duci, Statutorum Vrbis Augustæ volumen, & Domino Armellino Medices Tit. S. Mariæ Transtyberim, & S. Callisti Presbytero, Prouinciæ Matchiæ de latere Lagato, S. D. N. Clementis Papæ VII. Camerario, Volumen tertium Statutorum Perusiæ; nec non Quartum Malatestæ Balleonio, Venetæ militiæ Duci strenuissimo, & Mariotto Ferrario, ac Petro Paulo SerPetri Ioannis de Consulibus, Perusinæ Communitatis Artium Prioribus.

HIERONIMVS CARTVLARIVS Perusinus, Musarum sectator studiosissimus, eruditissimo ingenio præditus, & Poeta etruscis carminibus absolutissimus, typis patrijs anno ab Orbe redempto 1525. publici iuris fecit Amoris venationem; quod Opus suis literis italicis Helenæ Vrsinæ Patritiae Romanæ dedicauit; alijsque similibus Mariettæ Alphanæ Perusinæ sacrauit D. Ioannis Chrisostami de reparatione peccatoris italicè redditum.

Meminit huius Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbrię.

HIERO-

HIERONYMVS CIBBO seu Cibbus, Causidicus Perusinus, Poeta sua ætate clarus, vir tenacissimæ memoriæ, & exquisita omnium scientiarum cognitione locuples, viuebat initio seculi decimi sexti à partu Virginis, quo Carmen latinum scripsit in commendationem Griphi, Perusiæ stemmatis, illique, nec non Alphano de Alphanis, Perusiæ, Vmbriæque Quæstori dicauit Volumen primum Statutorum Perusinorum, publici iuris factum Perusiæ anno eiusdem seculi duodetrigesimo, à se, & Mariotto Boncambio, Decemuirum, & amplissimi Magistratus ope, restauratum; cui præfixit suas literas ad lectorem.

HIERONYMVS COLVMBVS, alijs Columbinus Perusinus, sacræ Theologiæ Professor, edidit Bononiæ apud hæredes Ioannis Bussi anno 1619. in 4. in Sacram Christi Natiuitatem, Disquisitionem Theologicam; quo nam pacto Planetæ, & sidera Domino famulentur.

Quo anno habebat etiam typis paratos de Angelica, & Humana Hierarchia libros 8.

De regimine Ecclesiæ Dei libros duos.

In Cantica Canticorum metricam expositionem ad Vrbanum VIII. Pont. Max.

Dauidis Regis Psalterium Carminibus explicatum.

Et de Episcopis Perusinis, Opus.

Celebrant hunc Hyeronymum Leo Allatius in Apibus Vrbanis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

HIERONYMVS FROLLERIVS Perusinus, teste Pellino Conciuium gesta magno labore collegit, atque in librum vnum congessit.

De hoc præter Pellinum tractat Cæsar Alexius in Elogijs.

HIERONYMVS FVMAGIOLI, Perusinus, Academicus Insensatus, eloquentia, grauitate, honore, florentissimus Ciuis, vixit nostro seculo, & scripsit Italicè Idillium, prænotatum Atteone, typis patrijs publici iuris

factum

factum ex Typographia Augusta ; anno salutis humanæ 1620.

HIERONYMVS de GALLIS Perusinus, patrij Archiuij Præfectus vitam viuit hoc anno salutis 1677. antiquitatis studiosus; qui publici Archiuium composuit, per alphabetum ordinauit, multisque antiquis chartis ditauit, eiusdemque Apographum, seu Repertorium, summa diligentia confecit; & Tabulas tum nouorum, cum veterum Tabellionum omnium, typis impressas, à se collectas in vsum publicum, & posterorum commodum in eo reposuit, exposuitque. Extant huiusce literæ ad Augustæ Perusiæ Decemuiros gratulatoriæ: de ordinato Archiuio, formis Perusinis excusæ anno 1673.

HIERONYMVS GRATIANVS Perusinus, á consilijs Cæsaris Ducis Æteſtini Mutinensis, & Francisci I. à secretis, post lauream in vtroque Iure scripsit Italicè Cleopatram Poema.

Granatæ, Vrbis primariæ Hispaniæ meridionalis expugnationem.

Gloriæ speculum Panegyricum.

La Calisto Panegyricum.

Herculem Gallicum.

Relationes diuersas.

Cromuelum Tragediam.

Memorias historicas.

Viuebat anno voluentis seculi decimi septimi secundo supra septuagesimum. Est huiusce mentio apud Academicos Gelatos Illustres in 4. Bononiæ euulgatos eodem anno.

HIERONYMVS GREGORIVS Perusinus procurante Carolo de Comitibus Romano, Perusiæ, Vmbriæque Gubernatore, vna cum alijs collegit, typisque patrijs anno 1595. euulgauit Comitinas Constitutiones, continentes varia Decreta, & Constitutiones diuersorum, qui Augustæ Perusiæ gubernio, præfuerunt.

HIERO-

HIERONYMVS GVILELMVS ortu Perusinus, origine Venetus Ordinis Prædicatorum, in Theologiæ studijs magister; Episcopus Emonius à Iulio III. Romano Pontifice renuntiatus, in Tridentina Synodo religiosæ doctrinæ specimen dedit singulare, & pro posteris reliquit Volumen de Operibus sex dierum.

De quo Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta, Cæsar Alexius Cent. 2. Elog. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Chronicon Dominicanorum.

HIERONYMVS MANCINVS Perusinus Iuris vtriusque Doct. & Professor vtriusq; iuris publicus in patria Academia, annis nostri seculi trigesimo septimo, & quadragesimo, mortem Georgij Boreæ nobilis Lugensis, nec non Ludouici Alberti Perusini, Carmine etrusco defleuit, & die 5, Maij anno sexto supra septuagesimum, iam senex, viam vniuersæ carnis ingressus est.

HIERONIMVS MARTINELLVS Constantij filius, Francisci nepos, patria Perusinus, Academicus Insensasatus, confecto Philososophiæ, ac Theologiæ studio anno à Christi natiuitate 1660. dum ex vniuersa Philosophia Theses expositas propugnaret in Collegio Perusino Societatis Iesu, Melos Dithyrambicum Cæsari Cardinali Facchenetto exhibuit, titulo, Repercussum Gloriæ Simulacrum, Musarum concentibus exhibitum. Anno verò 1669 Cornelij Oddi Equitis Calatrauæ laudes etrusco carmine cecinit, & anno 1670. Rosalbæ Eugeniæ, perpetuæ religioni addictæ; annis autem 1672. Victoriam Felicem Balestrieri Anconitanam in Cœnobio Auximano, S Benuenuto sacro, & Valentiam Virgineam Valenti in Cœnobio S. Crucis Trebiensis Deo dicatam, nec non D. Maurum Baronium Abbatem Oliuetanum, sacrum Oratorem simili carmine commendauit, & anno sequenti parentauit Antonio Baptistæ Dionysio Duci Militum, extincto in Insula Cretæ dum fortiter pugnaret contra Turcas, demum,

annis 1575. & 1676. purpuram Federici Cardinalis Columnæ, & lauream doctoralem in Iure obtentam à Carolo de Honuphrijs Fulginatensi, extulit, Vitam viuit in patria in florenti ætate.

HIERONYMVS MASSERIVS Perusinus, Bernardini frater, à puero admissus in Societatem Iesu, docuit in ea per annos aliquot Grammaticam; confecto autem Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ studio, valetudinis causa, redijt ad propria; sed citó mortalitatem exuit, nam die 17. Mensis Februarij anno 1675. viam vniuersæ carnis egressus, conditus est in patria Ecclesia, Diuo Augustino, Ecclesiæ Doctori, sacra.

Hic antequam Societati Iesu adhiberetur, anno 1640. Carminibus latinis, typis Augustis excusis, Ludouico Alberto parentauit.

HIERONYMVS MORELLVS Perusinus, iam anno 1676. extinctus, olim Seminarij Episcopalis patrij alumnus, scripsit Carmen in Natiuitate Deiparæ, typis Perusinis euulgatum anno 1647.

HIERONIMVS de ODDIS Perusinus, Philosophiæ, ac Theologiæ Magister, in vtroque iure Doctor, vtriusque Signaturæ Referendarius, Reatinus Prætor, in Romanæ aulæ iudicijs versatissimus, legumque peritissimus, è viuis abijt Romæ in viridi ætate, sedente in Petri Cathedra Paulo huius nominis V. anno nostræ salutis 1621.

Extant tanti viri Consilia plura in Iure Canonico.

Meminit Hieronymi huiusce Alexander Balestrinus in tractatu de Gymnasio Perusino.

HIERONYMVS PERVSINVS Ordinis Minorum, familiæ de Vbaldis adiunctus, supra viginti annis professus est inter suos Philosophiam in patria, & per annos duodecim in Pisana Academia, qua in Vrbe anno salutis humanæ 1555. è vita migrauit, posteris tradens plura M.SS.

in re philoſophica, & Commentarium iu Ariſtotelem.

De hoc tractant Alexander Baleſtrinus in Opuſculo de Gymnaſio Peruſino, Cæſar Criſpoltus in ſua Peruſia Auguſta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

HIERONYMVS ROBERTVS, patria Peruſinus, Philoſophię laureatus, in ſacra Theologia Magiſter, & Aſtrologus magni nominis, inter Franciſcanos Conuentuales Theologiam per annos plures in patria Accademia profeſſus eſt. Plura ſui Ordinis Cœnobia, & Diui Franciſci Prouinciam laudabiliter adminiſtrauit. Tabulas de formalitatibus, & de Ente, aliaſque doctiſſimas lucubrationes edidit; quibus ſe ipſum, & Patriam mirum in modum illuſtriorem reddidit. Demum ſenio confectus, mortis ſuæ diem prænoſcens, ſanctè vt vixerat, mortuus eſt. Fuerat Scoti eximius alumnus, Ideò Scotum meruit laudatorem.

Celebrant talem virum Cæſar Alexius in ſuis Elogijs, & Felix Ciattus in ſuis.

HIERONYMVS RVSCELLIVS iunior, patria Peruſinus, alius à ſeniori patria Viterbienſi, viro doctrina pręſtanti, qui plura edidit, á puerò vt variarum diſciplinarum, animique tranquillitatis luctum conſequeretur, in Monachorum Congregationis Caſſinenſis Clauſtra ſe abdidit, vbi doctrina, & magna vitæ probitate, ad varia ſui Ordinis munia euectus, tanta prudentiæ laude illa adminiſtrauit, vt non ſolum Abbas, & Prouinciarum Viſitator, ſed ter Præſidens totius Ordinis Generalis, fuerit omnium approbatione renuntiatus, tantuſque eius optimæ adminiſtrationis odor vndique circumfuſus eſt, vt ad prudentiſſimum Ferdinandum huius nominis I. Magnum Etruriæ Ducem peruenerit, eumque requiſierit pro Hoſpitalingo, vt vocant, quę dignitas Florentiæ poſt Archiepiſcopum primaria eſt; & Clemens VIII. Pontifex Maximus pro ſuę conſcientię arbitro, & pro Hoſpitali magno

S. Spiritus in Romanum Commendatarium vocauerit, á quibus ille modestię, & humilitatis fręno se cohibens, tantarum dignitatum pondus recusauit. Magnus Astrologus, Philosophus, ac Theologus, præcognita sui obitus die, diuinis se muniens Ecclesiæ Sacramentis, placidè mortem, quasi septuagenarius obiuit, anno salutis 1604.

Tantus hic vir Horologia plura Solaria, Verticalia, Horizontalia, Annullaria confecit; Instrumenta multa pro Mathematicis excogitauit, regulasque ad eorumdem vsum scripsit.

Reliquit etiam M. SS. diuersa, Cosmographis, Arithmeticis, & Mathematicis perutilia.

De hoc tractant Cæsar Alexius Cent. 1. Elogiorum Ciuium Perusinorũ, Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta.

HIERONYMVS cognomento TETIVS, á monte Perusiæ proximo, qui elata fronte sese nubibus inserit, cuius possessio Tadæi Principis Barberini benificentia ad Hieronymum huius cognominis postremum redideraτ, Patria Perusinus, Marci Antonij Bonciarij discipulus, Aulę Antonij Cardinalis Barberini Vrbani VIII. nepotis addictus, dignitate Comes, Ædificium ab ipso Cardinali Antonio in Quirinali erectum, ad sui, amicorumque desiderium leniendum eleganter descripsit, quæue ad easdem ædes spectant de Cortonensis Petri picturis in Regalis Aulæ fornice, narratione eleganti latij sermone expressit; adiecto auctario, alijs scilicet scriptiunculis, quibus, & Andreæ Sacchij, & Andreæ Camasæi nobilissima, & propè diuina opera exprimit. Tale opus in fol. anno nostri seculi secundo supra quadragesimum apud Mascardum Romę publici Iuris factum, & sub titulo, Ædes Barberinę ad Quirinalem.

Eiusdem Carmen latinum in sacras Fores à Clemente VIII. Pontifice Maximo patefactas, inuenies euulgatum Perusiæ anno 1606. cum Hieropylo Bonciarij.

Meminere Comitis Hieronymi Tetij Marcus Antonius Bonciarius in Epistolis, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. in Benedicto eiusdem agnominis.

HIERONYMVS de VBALDIS, vide superius Hieronymus Perusinus.

HIERONIMVS VERMIGLIOLVS, seu de Vermigliolis Perusinus, publicus in patrio Gymnasio Medicinæ professor, scripsit multas Quęstiones medicinales, & notas in Galenum, & Hippocratem, quæ extabant M. SS. in Bibliotheca Ducis Vrbini, vti habemus ex Indice M. SS.

Est tanti viri mentio apud Christophorum Saxum in oratione de laudibus Perusię, nec non apud Cæsarem Alexium in Elogijs, & Pompeum Pellinum in historia Perusina.

HIERONIMVS VIDONVS Perusinus, Academicus Insensatus, suis literis typis patrijs euulgatis anno nostri seculi tertio, Bonifacio Cardinali Beuilaquæ, Legato Vmbrię sacrauit Discursum Leandri Bouarini de Motu.

HIERONYMVS VITVS, seu de Vitis, è Pago S. Viti in territorio Perusino, Seminarij Episcopalis Clericus, Horatij Monaldi Perusię Episcopi laudes, Carmine latino, Perusinis typis anno 1644. edito, cecinit.

HIPPOLYTVS CORNEVS, seu Cornęus patria Perusinus, ex Archidiacono Cathedralis à Iulio III. Pontifice Maximo adlectus est Episcopus patrię Ciuitatis anno á Christi natiuitate 1553. Hic Patrum Societatis Iesu Templo fundamentalem lapidem iecit, Capuccinasque Sanctimoniales in suam Vrbem introduxit, ijsque foeminis, quę veterum libidinis per seriam poenitentiam abiurassent, locum colendę castitatis ibidem assignauit, ipsoque Ecclesiam Perusinam administrante Coenobium charitatis, pauperum puellarum ędificari est coeptum; quod breui ex piorum hominum eleemosynis incrementum accepit; quibus omnibus domesticas leges scripsit, & Statuta ad regu-

regularem vitam firmandam ; assignauit. Pro Clericis quoque suæ Diœcesis Constitutiones edidit, decessitque die 15. Mensis Februarij anno salutis 1564. post obitum tumulatus in Cathedrali ad Sacellum S.Stephano sacrum, sub sequenti Epigraphe.

D. O. M.

HIPPOLYTO CORNÆO
EPISCOPO PERVSINO
FVLVIVS CORNAEVS S. R. E.
CARDINALIS
BON. MEMORIAE FECIT.
VIXIT ANN. LV. RESEDIT ANN. XI.
VETERIS SANCTITATIS
EXEMPLVM.

De hoc Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacræ in Antistitum Perusinorum serie.

HIPPOLITVS PANTOCCIVS, seu Fantoccius Perusinus patria, professione Sacerdos inter Minores Regularis Obseruantię, eruditus Poeta, Orator primi nominis, & Astronomicarum rerum peritia ita polluit, vt nulli par, cunctis superior creditus fuerit, massimè cum edidisset in lucem Grittiadam, ad Andream Grittum Venetiarum Principem.

Et Feltriadem ad Guidum Vbaldum Feltrij, & Vrbini Ducem.

Panegyricon ad Rodulphum Pium Carpensem S. R. E. Cardinalem.

Demum Gratulationem ad D. Marcum.

De hoc Lucas Vadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Antonius

tonius Posseuinus in Bibliotheca, Felix Ciattus in Elogijs.

HONOPHRIVS BARTOLINVS, Baldi nouelli genitor, quem aliqui, sed per errorem Patruum dicunt, florebat Iuris prudentię scientia anno reparati Orbis 1450. quo à Ladislao Rege Neapolim vocatus, inter Consiliarios regios illicò connumerarus est; ea enim erat doctrinę, & prudentię fama, Orbi vniuerso notus. Huius Consilia plura, & responsa publici Iuris sunt. Scripsit etiam in 1. & 2. Codicis. Hoc Opus ex Vuolfango extabat M. SS. in Bibliotheca Antonij Augustini.

Pręter laudatum Vuolfangum meminere Honuphrij Bartolini Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Bartholomęus Socinus Cons. 153. Vol. 2. Io: Baptista Zilettus de Iuris consultis Illustribus, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Cęsar Alexius in Elogijs, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Baldo filio.

HONVPHRIVS COPPOLVS patria Perusinus, vt iuuentutem optimis literis in patrio Gymnasio obfirmatam, arctiori vitę disciplina cohiberet in D. Francisci familiam, in eam videlicet, quę Capuccinorum cognomento vocatur, se recepit, in qua ieiunijs, cilicijs, assiduaque diuinarum rerum contemplatione, breui, facilèque ad magnam vitę probitatem peruenit. Ad Sanctorum verò memoriam propagandam adeò fuit propensus, vt diù, noctùque summis vigilijs laborauit, vt Beatorum Perusinorum, Sanctorumque omnium gesta in vnum congereret, quod opus summo labore virilitatis, & senectutis parte, in eo consumpta, perfecisset, antequam in lucem ederetur, Auctor è viuis in Cęlum ascendit.

De hoc tractat Cęsar Alexius in Elogijs.

HORATIVS CARDANETTVS Perusinus, in ijs artibus quæ ab humanitate nomen trahunt, & in facultate Oratoria, nec non in Græca lingua, ac Poesi versatus, claruit

ruit seculo præterito; cuius anno quinto, alijs septimo supra octogesimum è viuis abijt.

Huic viro, post Christophori Saxi eximij Oratoris obitum Cathedram Rethoricę, communi omnium approbatione Perusini crediderunt.

Reliquit pro posteris Orationem habitam á se in funere Ascanij Cornei, & aliam in laudem Vincentij Herculani Episcopi Perusini; ambas publici Iuris factas, primam anno 1570. alteram 1586.

Sunt in omnium manibus eiusdem Epistolę vnico volumine comprehensę, quarum aliquæ editæ sunt in lucem cum illis Marci Antonij Bonciarij. scripsit quoque Carmina plura latino, & etrusco Idiomate, inter quæ est vnum euulgatum Perusię anno 1603. in volumine Leandri Bouarini, & aliud anno 1602. Romæ cum Poematijs Philippi Alberti.

Vertit in maternam linguam Ciceronis librum de Amicitia.

Alias eiusdem Lucubrationes Balthassar Ansideus heres veluti gemmas prætiosas seruauit, illasque in Bibliotheca Vaticana, cuius erat Custos reposuisse crediderim.

De hoc Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs M. Antonius Bonciarius in Epistolis.

HORATIVS FERRETTVS, Comes Perusinus, inter viuos hoc præsenti anno 1677. olim, anno videlicet salutis nostræ 1653. Carmine latino, typis patrijs euulgato, illud Cant. 2. Fulcite me floribus, stipate me malis, in commendationem natæ Deiparę, explicauit.

HORATIVS MONALDVS senior Perusinus, Benedicti de Vbaldis S. R. E. Cardinalis germanus frater, Eugubinus primùm, deindè Patriæ Antistes, inter Academicos Incognitos Venetiarum, & Perusinos Insensatos cooptatus, his Princeps præfuit, obijtque in Patria die 6.

Decem-

Decembris anno ſalutis 1656. cum edidiſſet volumen ſermonum, habitorum applaudentibus omnibus, tum Romæ, tum Peruſiæ.

Eiuſdem Synodus Peruſina, cum Oratione Paſtorali in ea à ſe habita, anno 1649. typis patrijs euulgata eſt ex Typographia Camerali, & Epiſcopali apud hæredes Angeli Bartoli, & Angelum Laurentium anno 1652.

Celebrant Horatium Monaldum Epiſcopum, Loredanus in Elogijs Academicorum Incognitorum, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, in ſerie Epiſcoporum Eugubinorum, & Peruſinorum, Ludouicus Iacobillus de Sciptoribus Vmbriæ.

HORATIVS MONALDVS iunior, ſeniorjs pronepos, Rodulphi filius, Benedicti iunioris frater natu minor, Rhetoricis ſtudijs adhuc hoc anno 1677. intentus, Carmine latino, gentilitium ſtemma, quod totum rubet, P. Federici Trenta, ſacri Oratoris laudauit.

HORATIVS MONTEMELINVS Peruſinus, veteranorum Militum Dux, Muſis pergratus, noſtra ætate lauream doctoralem Abbatis Ioſephi Eſtenſis Muſtij, Carmine etruſco publici iuris facto, exornauit.

HORATIVS SALVATORIVS, patria Peruſinus, Clericus Seminarij Epiſcopalis, Carmine latino, in lucem edito, anno noſtri ſeculi quinquageſimo tertio, gentilitium ſtemma Fuluij Cornei Cardinalis, Seminarij eiuſdem fundatoris, deſcripſit. Vitam hoc anno 1677. viuit Romæ, domeſticis rebus intentus.

HORATIVS SALVI Peruſinus, literarum humanarum profeſſor præclariſſimus, Carmen etruſcum ſcripſit ad Leandrum Bouarinum in lucem editum typis patrijs anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi ab Orbe redempto, tertio, in volumine eiuſdem Bouarini.

HORATITS VVETTVS Peruſinus, vtriuſque Iuris Doctor, Caroli de quo ſuperius, frater, noſtri ſeculi initio adhuc iuuenis publicè in patria Academia Iuris pru-

dentiam professus cum laude est; se exercuit etiam in Poesi, & in studio antiquitatis: Quare eiusdem seculi anno septimo supra trigesimum, Carmine Etrusco typis patrijs euulgato, obitum Georgij Boreæ nobilis Lugensis deluxit; lauream doctoralem Io: Baptistæ Pasquæ exornauit. Ipse verò terram reliquit post dictum annum.

De hoc tractat Felix Ciattus in sua historia Perusina.

HVGOLINVS VIBIVS, seu de Monte Vibiano, Episcopus Perusinus. Vide Vgolinus inferius.



IACOBVS



I



IACOBVS ALEXANDRI Perusinus, nostra ætate Musis deditus, Carmine etrusco typis patrijs euulgato anno 1673. parentauit Antonio Baptistæ Dionysio, Militum Duci, extincto in propugnatione Cretæ Ciuitatis contra Turcas.

IACOBVS ANTIQVARIVS patria Perusinus, inter nobiliores bonarum literarum sapientes summi nominis celebritate conspicuus, Romæ primùm à Baptista Cardinali Sabello ab epistolis sibi adscitus, deindè Mediolani Ioannis Galeaccij, ac Ludouici Sfortię cognominati, Morus, Mediolanensium Ducum à secretis, eloquentia claruit initio seculi decimi quinti post Christum natum, quo res à Perusinis præclarè gestas conscribere aggressus est. Causatus tamen ætatem, laboribus apud Sfortianos suos factam, incœptum opus prætermisit: hæsit tantummodo in quibusdam Commentariolis, quorum pleraque neque absoluit, neque publicauit. Edidit tamen Volumen vnum Epistolarum, & aliud Orationum, & Epigrammatum, in doctrinæ suæ, & prudentiæ monumentum.

Ludouico Duce Mediolanensi deindè fortunæ bonis omnibus spoliato, & in Galliam in carcerem transmisso Galli Mediolano potiti, Antiquarium nostrum eiusdem status moderatorem venerati sunt; adeò summa fides,

& virtus etiam apud hostes venerationis sibi vendicauit locum. Idem cum senuisset in Patriam reuersus Clericali dignitate insignitus inter egregia per eum acta Collegium Gregorianum vulgò, *la Sapienza vecchia*, dictum, diuitijs locupletauit, quibus studentium numerus ab suis nepotibus proponendis augeretur.

De hoc cum laude meminère Pompeus Pellini in historia Perusina, Alexander Balestrinus in memorijs, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Io: Baptista Laurus Epist. 86. Cent. 2. Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Paulus Merula in descriptione Italiæ, Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta.

IACOBVS BONCAMBIVS Perusinus Ordinis Minorum Conuentualium, ab Innocentio IV. Romano Pontifice renuntiatus Bononiensis Antistes, anno salutis humanæ 1244. Ecclesiam sibi commissam pluribus annis sincera integritate rexit; ad extremam tandem vergens senectutem sanctè moriens, meritorum gradibus ad Cælos ascendit, cum composuisset Opuscula duo; Philosophicum vnum, alterum Theologicum, quæ M. SS. asseruantur Assisij in Cœnobio sui ordinis, cum Concionum volumine.

De hoc Crispoltus in sua Perusia Augusta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Felix Ciattus ibidem.

IACOBVS de BONRIPOSIS, alijs de Bontempis Perusinus, Prior Monasterij S. Laurentij de Monte Periolo, Innocentij VII. familiaris à quo anno 1405. Nonis Octobris renuntiatus Episcopus Æsinus primò, tum Narniensis, Constantiensi Concilio intefuit, legiturque ascitus testis in testamento Cardinalis Landulphi Maramaldi. Anno verò 1418. ex Æsino, Interamensis, seu Narniensis Antistes, euulgatus; cuius tempore cum Corpus S. Floriani M. inuentum esset, historiam talis inuentionis descripsit, & euulgauit.

Meminit

Meminit Iacobi Ferdinandus Vhgellius Tomo 1. Italiæ sacræ, in Catalogo Antistitum Æsinorum, & Narniensium.

IACOBVS COPPOLI, vulgò cognominatus *il Buon Conte*, Theologus magni nominis, & prius, in B. Ægidium sociorum S. Francisci Assisinatis bene affectus, cui amplum solum largè donauit ad fabricam Ecclesiæ, & Cœnobij de Monte dicti apud Perusiæ mœnia, ipsius B. Ægidij vitam materna lingua descripsit.

De hoc Pompeus Pellini in historia Perusiæ, Cæsar Alexius in Elogijs.

IACOBVS FRACASSINVS, Philosophię Doctor Perusinus, Musis tamen persamiliaris, anno voluentis seculi decimi septimi, trigesimo septimo, latino carmine laudes cecinit Timothei de Timotheis, Auctoris Iuris propugnaculi.

IACOBVS GRISALDVS Iuris Consultus Perusinus, & Poeta magni nominis claruit initio voluentis seculi decimi septimi, cuius anno quarto supra vigesimum è viuis abijt, sacris ordinibus, post vxoris mortem, initiatus, cum scripsisset, edidissetque typis patrijs apud Vincentium Columbinum anno 1605. Italicè Tragædiam vnam pręnotatam Orasto, & alteram Tronta. Item Constantinum Magnum, seu Maxentium euersum, Poema Heroicum de Sanctissimę Crucis inuentione, & alia carmina diuersa.

Celebrant, & meritò hunc Iacobum Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs, Crispoltus lib. 3. Perusiæ Augustę.

IACOBVS de ODDIS, alijs Oddus Perusinus, renuentibus parentibus à puero D. Francisci vestem induit, & inter Minores solidæ virtutis specimen magnum dedit ieiunijs, cilicijs, & assiduo diuinarum rerum studio, ita vt magnus Philosophus, & Theologus euaserit.

Scripsit,

Scripſit, & publicæ luci commiſſit Opus ſub titulo Speculum Ordinis, vulgò *la Franceſchina*, materna lingua, aſſeruatum M. SS. tamen in Cænobijs S. Mariæ Angelorum apud Aſiſſium, & S. Franciſci de Monte Peruſiæ. Exarauit etiam lucubrationes alias circa philoſophiam, & Theologiam, & in ſenectute bona diem vltimum obiuit in Domino.

De hoc tractant Toſſignanus, & Lucas Vadingus in Annalibus Minorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæſar Alexius, & Felix Ciattus in Elogijs.

IACOBVS ODDVS Peruſinus, Comes Antognollæ, Archidiaconus patriæ Cathedralis, & Vicarius Capitularis, Marci Antonij Epiſcopi Peruſini frater, ſcipſit vernacula lingua Italica Vitam Mariæ è Tipherno, Tertiariæ Ordinis Seruorum B. Mariæ, illamque edidit Peruſiæ in 4. anno 1669. Huiuſce literas latina lingua ad Paulum Racanum Tudertinum datas, excuſas apud Typographos Auguſtos anno 1617. inuenies. E vita migrauit in patria ſenio confectus die 23 Octobris 1675. Iacet in Eccleſia eiuſdem Vrbis S. Auguſtino ſacra, apud Maiores.

IACOBVS de Peruſio, Eremita S. Auguſtini á Clemente VI. anno ſalutis humanæ 1352. inter Epiſcopos Tarracinenſes connumeratus, (Tarracina in antiquo latio litorali, quod hoc tempore Romanam Campaniam vocamus, à Pontinis paludibus non procul, ſita eſt) ſcripſit in quatuor libros ſententiarum Opus.

Eſt huiuſce mentio apud Ferdinandum Vghellium Tomo 1. Italiæ ſacræ parte 2. in Catalogo Antiſtitum Tarracinenſium.

IACOBVS à patria cognominatus Peruſinus, alius à ſuperiori; Theologus magni nominis inter Patres Prædicatores, quorum in Ordine á puero ſeſe diuino famulatui deuouerat, à Romano Pontifice renuntiatus Epiſcopus Narnienſis in Vmbria, circa annum ſalutis humanæ

1407

1407. scripsit Chronicon suæ Ecclesię, vti habemus ex Tabulis Vaticanis.

Meminit huius Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacræ in Catalogo Antistitum eiusdem Ecclesiæ.

IACOBVS Perusinus à Valdeuia cognominatus, scripsit de sacra ratione concionandi Opus, euulgatum Antuerpiæ apud Petrum Bellottum anno salutis humanæ 1598.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię.

IACOBVS PODIANVS Perusinus, Academicus Insensatus, Musis perfamiliaris scripsit vtraque lingua etrusca, & latina versus diuersos, præsertim in laurea doctorali Bartholomæi Stephanij, publici iuris factos Perusij anno 1629. per Thomasios, & Naccarinos in 8. & in 16.

FR. IACOBVS RAYNVTII de Alexijs, alijs Castelbonus, Perusinus, Magister in sacra Theologia apud Patres Prędicatores, ab Honorio IV. Romano Pontifice doctrina, qua pollebat, morumque sanctimonia renuntiatus Antistes Florentinus vix ad quadraginta dies præfuit, & sepultus apud suos Prædicatores reliquit in posterorum commodum sermones perutiles, & prædicabiles, adseruatos M. SS. apud Patres sui Ordinis tum Perusiæ, tum in Foro Cornelij.

Meminere huius Fernandez in sua Concertatione Prædicatoria, Fontana in Catalogo Scriptorum Prouinciæ Romanę Ordinis Prędicatorum, Antonius Lusitanus in sua Bibliotheca, Io: Michael Pio, Crispoltus, Botonus, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus, ac de Sanctis, & Beatis Vmbrię, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de studio eiusdem Vrbis, Cæsar Alexius in Elogijs, Ferdinandus Vghellius Tomo 3. Italię sacrę.

IACOBVS SENSI Perusinus, Guidi, & Ludouici nepos, publicus vtriusque iuris professor in Academia Messanensi, quo in munere in viridi adhuc ętate mortem subijt, & reliquit pro posteris Lecturas, Messanę summo

studio

ſtudio, diligentiaque M. SS. adſeruatas.

Eſt huiuſce Iacobi mentio apud Octauium Lancellottum in Diſcurſu Italico de Rainere Senſi, admiſſo in Collegium Mercaturę anno 1662.

IACOBVS TANZINI Peruſinus, vtriuſque Iuris Conſultiſſimus, Ioannis Petruccij, Montisperelli coęuus, Regum Neapolitanorum à Conſilijs, poſteris tradidit Conſiliorum Volumen.

De hoc Pompeus Pellini in hiſtoria Peruſię.

* IACOBVS TITVS patria Peruſinus, dignitate Sacerdos, Philoſophię, ſacręque Theologię laureatus, qui adhuc hoc anno 1677. inter viuos cum virtute viuit, cum ſtudijs humanarum literarum in Seminarij Epiſcopalis Patrij Collegio conuiueret, Carmine latino publici iuris facto anno 1666. Peruſię, Deiparę Virginis Marię laudes cecinit; cum anno pręcedenti illas D. Baſilij Magni Epiſcopi Ceſareæ in Cappadocia explicaſſet.

IBO, ſeu Iuo, vel Iuus COPPOLA, aut de Coppolis, Rogerij aui nepos, patria Peruſinus, poſt optimarum literarum ſtudia, & poſt lauream Doctoralem, Iuris prudentiam in Gymnaſio Peruſino primùm, mox in Romana Academia, ditiſſimo Mineruali profeſſus eſt. Hinc ad Pręturam Florentię, Bononię, Senarum aſcendit; poſtea Senator Vrbis renuntiatus eſt, & inter Aduocatos Conſiſtoriales ab anno 1433. cum honore ſedit: Nicolai Picinini in maximis negotijs Conſiliarius, honorificis Patrię Legationibus magna felicitate perfunctus, exiſtimationi ſuę magnum attulit incrementum. Hunc aliqui Franciſci Coppoli Iuris peritiſſimi filium, & Cæcilię fratrem dicunt, & ad Senatoris Vrbis dignitatem bis, doctrinę, qua pollebat, ergò promotum volunt, & publicę luci commiſiſſe lecturas in 1. ff. vet. & nou. Apud Antonium Auguſtinum erant, ex Ioanne Vuolfango huiuſce auctoris lecturę in ff. vet. & in Codicem, nec non tractatus aliqui M.SS. cũ Cõmentarijs in leges Codicis, & Digeſtorum.

Senio

Senio confectus Perusiæ diem suum obiuit anno salutis humanæ 1441. & magno funere in D. Francisci Æde tumulatus, sub his versibus, quos refert Franciscus Suuertius, inter delicias Orbis.

Hunc Vrbs, & Viduæ, miseri nunc flete Clientes
En iacet hic vester Iure peritus Ibo.
Post decus emeritæ post tot benefacta, senectæ
Impia Sanguineæ præmia mortis habet.
Oceanum frustra fugimus, Martemque cruentum
Si rapit imbelles mors violenta togas.

De hoc præter laudatum Vuolfangum, & Suuertium, tractant Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Cæsar Alexius Cent. 2. Elogiorum, Crispoltus in sua Perusia Augusta, Corneus in Consilijs, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Paulus Merula in Descript. Italiæ, Pellinus in historia Perusina, Felix Ciattus.

IGNATIVS DANTIVS, seu Dantes Perusinus, optimis literis institutus, in Diui Dominici familiam ingressus, Philosophię, sacræque Theologię, nec non alijs studijs incumbens, in Mathematicis adeò excelluit, vt à Cosmo I. magno Etruriæ Duce Florentiam vocatus, illi Sphęram, & Ptolomęum explicauit, eamdemque facultatem, vti etiam Geographiam, & Cosmographiam publicè docuit; & magna auditorum frequentia in Bononiensi Academia professus est. Post hæc in Patriam reuersus, eius, & totius Ditionis æneam Tabulam, æquis mensuris, & Pagorum, Castrorumque interuallis formauit. Tanta viri fama ad Summi Pontificis Gregorij XIII. aures perlata, Romam vt vocaretur effecit, cui Tabularum formandarum, ac pingendarum Vaticanę Pinacothecę prouincia demandata est. exactoque Regionum, Prouinciarumque

interuallo, & mensura, iuxta geometricas dimensiones opus illud formauit, tanta omnium admiratione, vt Gregorius ipse tanti viri virtutem absque dignitate delitescere nefas esse ducens, illicò eum Alateranum Episcopum apud Hernicos in Latio constituerit, & Sixtus V. Gregorij successor, egregias nostri Ignatij virtutes optimè noscens, Romam eum redire iussit. Sed dum ille, vt Summi Pontificis pareret iussis, Romano se itinere parat, viridi adhuc ætate, anno post Christum natum 1586. die 19. Octobris, cęleste compleuit; Lucubrationibus varijs eruditissimis exaratis; sepultusque apud Ecclesiam, quam per annos aliquot sanctissimè, prudentissimèque rexerat.

Ediderat Florentiæ anno 1569. tractatum pro vsu, & fabrica Astrolabij.

Adnotationes in Sphæram Ioannis de Sacro Bosco, & in Astrolabium, ac Planisferium vniuersale.

Sphæram Mundi in quinque Tabulas.

Item Italicè Opticem Euclidis, & Eliodori Larissei.

Et Commentarium in duas regulas Iacobi Barozzi.

De hoc tractant cum laude Razzius, Piò, Alidossius, Vghellius, Crispoltus, Alexius Cent. 1. Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Pellinus in hist. Perusiæ.

INNOCEMTIVS VII. Pontifex Maximus, ante Pontificatum Cosmas, vel Cosmatus Melioratus dictus, patria Sulmonensis, origine Perusinus, Meliorati enim, Perusia anno reparati Orbis Christiani 1371. in exilium acti à Popularibus, Sulmonam accessere, eximiæ indolis adolescens, doctoratus lauream assequutus, & clericali veste indutus, inter Barensis Archiepiscopi familiares adscitus est. Cum autem Archiepiscopus ad Petri Cathedram ascendisset, Vrbanus VI. appellatus, inter primarios aulę Pontificiæ Cubicularios Cosmatum habuit, qui morum suauitate, doctrinæque excellentia Pontificis amorem ita

aucupatus eſt, vt eum non ſolum Cameræ Apoſtolicæ Clericum, & Epiſcopum Bononienſem, ſed & Archiepiſcopum Rauennæ, & Theſaurarium, ac Vice Cancellarium renuntiauerit. At è viuis paulò poſt ſublato Vrbano, à Bonifacio huius nominis IX. ſucceſſore, Præsbyter Cardinalis S. Crucis nominatus, Epiſtolas plures ad diuerſos ſcripſit. Poſt Bonifacij verò obitum in eius locum ſuffectus, dictus eſt Innocentius huius nominis VII. quam dignitatem per annos duos, dieſque 21. ſuſtinuit, & ex officio Conſtitutiones Apoſtolicas edidit. Migrauit è vita 6. Nouembris die, anno 1406. & ſepultus in Vaticano ſub hac Epigraphe.

INNOCENTIVS VII.
PONT. MAX.

Cum neglecti eius Sepulchri memoria pœnè interijſſet Nicolaus V. Pontifex Maximus reſtitui curauit.

De hoc Innocentio tractant Carolus Sigonius, & Ferdinandus Vghellius de Epiſcopis Bononienſibus, Marraccius in Pont. Marianis, Hieronymus Rubeus in hiſt. Rauennæ, Henricus Spondanus in Annal. Eccleſ. Andreas Duſchenius, Ciacconius cum Auctarijs, Panuinius in Vita, Cæſar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Peruſinorum Cent. 2. & reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt, eorumdeque vitas compilarunt.

INNOCENTIVS Peruſinus á Patria cognominatus, Eremita S. Auguſtini, Magiſter in ſacra Theologia, ſuis literis latina lingua exaratis, publicæque luci commiſſis anno 1606. typis patrijs, Angelo Rocchæ, Apoſtolici Sacrarij Præfecto, & Epiſcopo Tagaſtenſi nuncupauit Marci Antonij Bonciarij Orationem, habitam in parentalibus Thadæi, olim Prioris Generalis Eremitarum Sancti Auguſtini.

IOANNES ALEXIVS, Antonij filius, Patria Perusinus in vtroque Iure laureatus, Magistratus Perusini imperio, patria Statuta, cum Paulo Saluuccio reparauit. Extant eiusdem literæ ad Magistratum de hac re datæ, & Proemium præfixum libro 4. Statutorum.

Meminere huius Alexander Balestrinus de studio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum.

IOANNES ANDREAS ANGELINVS Buontempi Perusinus, Musicæ peritus, apud Ioannem Gregorium, huius nominis secundum Ducem Saxoniæ, primùm cantus moderator, deindè affectator, scripsit Italicè Historiam Hungaricæ rebellionis, ediditque anno à partu Virginis 1672. Oresdæ quæ est Vrbs Germaniæ, Misniæ Primaria, apud Albim fluuium, à quo duas in partes secatur, Ducis Electoris Saxoniæ sedes, inter Pragam ad meridiem 16. & Vitembergam ab Boream 13. Leucis.

IOANNES ANDREAS BALLEONIVS Perusinus, filius Ioannis, ex Priore sancti Sepulchri ab Eugenio IV. Romano Pontifice, renuntiatus 1. Idus Martij, anno salutis 1435. Patriæ Antistes, Monachos S. Iustinæ, Ordinis S. Benedicti in Abbatiam S. Petri de Perusia introduxit, Cluniaceensibus eiectis, Monasteriumque S. Florentij, quod Cistercienses deseruerant, Fratribus Seruitis attribuit. Decessit die 24. Mensis Octobris, anno Domini 1449. sepultusque in Cathedrali, propè principem portam, vbi cum sequentibus carminibus eius spectatur effigies.

Hec breuis illustri Balleonea ab origine cretum
Andream tegit vrna grauem veneranda Ioannem
Ingenti virtute virum, qui iure sacrorum
Doctor Pontificum, & testis surgentibus anctor

Laurenti

Laurenti Ecclesiæ Perusinus Præsul, & ingens
Antistes vixit, nunc alta pace quiescit.

Scripsit leges pro Clericis Perusinis, & multa in iure Canonico.

Est huiusce mentio apud Ferdinandum Vghellium. Tomo 1. Italiæ sacræ in serie Antistitum Perusinorum.

IO: ANDREAS CICCARELLVS, patria Perusinus, in sacra Theologia laureatus, Pręposirus Ecclesiæ ruralis in Territorio Perusino, vitam viuit honestam hoc pręsenti anno 1677. Hic Clericus Seminarij Episcopalis, Carmine latino in lucem edito anno 1654. gentilitium stemma Fuluij Cornei S. R. E. Cardinalis descripsit.

IO: ANGELVS GVIDARELLVS Perusinus Sacerdos, olim Seminarij Episcopalis Alumnus, Philosophię, sacręque Theologię doctor, literarum humanarum hoc præsenti anno 1677. in eodem Seminario professor; Marci Antonij Oddi Episcopi Perusini anno 1665. laudes Epigrammate expressit; anno verò sequenti orationem habuit in Natiuitate Deiparæ, & Elogium scripsit in commendationem Iacobi Oddi in Æde maxima D. Laurentio sacra Archidiaconi. Ode autem publici iuris facta anno 1672. & anno 1677. Epigrammate D. Mauri Baronij Abbatis Oliuetani, ac Federici Trenta è Societ. Iesu sacrorum Oratorum prærogatiuas recensuit, & heroico carmine laureas Doctorales Dominici Orsuccij Lucensis, & Caroli de Honuphrijs Fulginatensis exornauit, vti etiam Purpuram Federici Cardinalis Columnæ, & discessum Perusia Francisci Andreæ Neapolitani.

IO: ANTONIVS CAMPANVS, vide superius Antonius Campanus.

IO: ANTONIVS CAPELLETTVS Perusinus, Musicus in Sacello Pontificis Romani, adhuc inter viuos, hoc præsenti anno 1677. Clericus Seminarij Episcopalis patrij, B. Mariæ infantulæ castitatem, & charitatem,

Carmine

Carmine latino, publici iuris facto anno 1653. extulit.

IO: ANTONIVS FRIGERIVS, ſeu de Frigerijs Peruſinus Carmine latino Pauli Segneri Concionatoris in Principe Laurentiano templo Peruſino, tẽpore quadrageſimali laudes an. 1665. cecinit, & verſu etruſco publici iuris facto anno 1673. parentauit Antonio Baptiſtæ Dionyſio, militum Duci, extincto in defenſione Vrbis Cretæ contra Turcas.

IO: ANTONIVS de LAVDATIS Clericus Peruſinus, cum Rhetoricæ ſtuderet in patrij Seminarij Epiſcopalis Collegio, verſu latino euulgato anno 1671. cecinit laudes D. Baſilij Magni Epiſcopi Ceſareæ in Cappadocia.

IO: ANTONIVS MONALDVS Peruſinus, Franciſci de Vbaldis Romanæ Rotæ Iudicis nepos, Benedicti S.R.E. Cardinalis, & Horatij Epiſcopi Eugubini primùm, mox Peruſini, frater, ſuis literis latina lingua inſcriptis, Antonio Barberino Cardinali Camerario, poſt Auunculi, & fratris obitum nuncupauit Deciſionum eorumdem Tomum primùm, euulgatum Peruſię in fol. anno 1659. ex Typographia Camerali, & Epiſcopali apud Bartolos, & Angelum Laurentium, ſub titulo Deciſiones Vbaldæ.

IO: BAPTISTA ALPHANVS, alijs Nuccius, Sentini natus, & Peruſiæ bonis literis eruditus, Bartoli Iuris Conſulti clariſſimi gener, Nellæ filiæ vir, Iuris vtriuſque Doctor, clarebat anno ſalutis 1446. quo tractatum de Arbitris, & Compromiſſis, in 13. libros diuiſum ſcripſit, typis euulgatum inter tractatus Diuerſorum.

Scripſit etiam Reſponſorum Volumen.

Celebrant tantum virum Io: Baptiſta Zilettus, & Guido Panciroluis de claris Legum Interpretibus, Cęſar Alexius in Elogijs, Alexander Balſtrinus in memorijs, & de ſtudio Peruſino, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Pellinus in hiſt. Peruſię, Io: Paulus Lancellottus in Vita Bartoli.

IO: BAPTISTA ARTEMIVS Peruſinus, Marci Antonij Bonciarij diſcipulus, Seminarij Epiſcopalis alumnus, in fu-

in funere Preceptoris,in Templo S. Laurentij, in frequenti consessu orauit latiné, quam Orationem funebrem typis patrijs anno 1616. euulgatam, Neapolioni Comitolo Episcopo consecrauit.

Idem collegit in vnum elucubrationes diuersorum, elaboratas vtraque lingua, latina scilicet, & etrusca in obitu eiusdem Bonciarij, edidirque ibidem eodem anno, prefixis suis literis ad lectorem.

IO: BAPTISTA BAFFVS origine Curinaltensis, professione Medicus, Luculli genitor, Baffi de Baffis auus, in Perusino Gymnasio Medicæ praxis loco primario Professor, anno ab Orbe redempto 1593. Perusiæ in Ædibus Petri Iacobi Petrutij edidit Orationes duas latino idiomate, in quarum altera de rei medicæ maiestate, in alia de hominis præstantia differuit; ante prælectiones publicé Perusiæ habitas eodem anno, quas suis literis Iulio Sclafinato Protonotario Apostolico, ac vtriusque Signaturæ Referendario Apostolico, Perusiæ, ac totius Vmbriæ Gubernatori, nuncupauit.

Scripsit etiam libellum, quo docet nullo pacto Astrologiam Medico vsui fore, nec non solum Medico rationali, verum etiam neque Methodico, aut Empirico, nec Paracelsistis, aut Chimistis Medicis.

Item libros plures de sustentanda valetudine aduersus podagram.

De aquis, & de morbis oculorum.

Et libros nouem de Febribus prænotatos.

Quæ lucubrationes licet supremam manum receperint ab ipso Auctore, vt ipsemet fatetur in suis literis ad quinque Viros Almi Gymnasij Perusini Moderatores, publici iuris factæ non sunt. E viuis abijt Perusiæ anno à partu Virginis 1596.

IO: BAPTISTA BARTOLINVS, vide inferius Io: Baptista Leonellus.

IO: BAPTISTA BECCIVS è Castelione ad Lacum Trasu-

Trasumenum, Monachus Cassinas, anno nostri seculi decimi septimi à partu Virginis, sexto supra quinquagesimum, Crucem Christi, triumphum esse amoris, elogio explicauit, edito Perusiæ cum relatione publicæ supplicationis in laudata Vrbe, eodem tempore celebratæ.

IO: BAPTISTA BENNIVS è Corciano, Oppido territorij Perusini, Sacerdos bonæ famæ, ante annum voluentis seculi sextum supra septuagesimum defunctus, cum inter Clericos Seminarij Episcopalis Perusini studijs humanarum literarum intentus vitam ageret, Carminibus latinis publici iuris factis anno 1665. & 1666. D. Basilium Magnum Episcopum Cæsareæ in Cappadocia duodennem, proficiscentem Athenas descripsit, & pulchritudines Virginis Mariæ commendauit.

IO: BAPTISTA CAPORALIS, vulgò Bicti, Patria Perusinus, Pictor, Poeta, Architectus, & Mathematicus illustris seculo decimo sexto á partu Virginis commentatus est Vitruuium de Architectura. Quod Opus primùm Perusiæ in fol. anno 1531. deindè Bononiæ 1536. typis publicis euulgatum est etrusco Idiomate.

Scripsit etiam lepidè, & doctè, varijs salibus aspersa carmina, quorum volumen in propatulo editum, illum insignem Poetam, & Pictorem diuulgauit.

Obfirmato tamen ingenio Mathematicis studijs, tam exactè incubuit, vt summo ingenij acumine ad benè rectèque firmandas, muniendasque arces, documenta plurima adinuenerit.

De hoc tractant Felix Ciattus in hist. Perusiæ, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs, & de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Crispoltus lib. 3.

IO: BAPTISTA DANTIVS Perusinus, cognomento Dedalus, Mathematicis studijs, ingenijque acumine præter multa, quæ in hac facultate scriptis suis elucidauit, consolidauitque, alarum remigium debita corpori suo propor-

proportione composuit, illoque ad bene volandum apta-to, pluries eiusdem in Lacu Trasumeno periculum fecit quod cum optimè ad eius voluntatem respondisset, de eo publicè Perusiæ experiri constituit; ad quod cum magnus summorum Virorum cætus conuenisset ad solemnes nuptias sororis Io: Pauli Ballionis, quæ Bartholomęo Aluiano nupserat, cumque frequens populus iam ad spectaculum in platea adesset; ecce tibi ex altiori Ciuitatis parte ex improuiso ingenti sibilo per aera volantem Dantium pennis varijs inuolutum, & magno alarum remigio supra plateam transeuntem, non sine admiratione aspexit. Inter hæc ferro, quo ala sinistra regebatur perfracto, cum vnius alæ auxilio non ita sufficienter corporis molem in aere sustentare valeret, supra tectum S. Mariæ cadens. crus offendit, quod mox valetudine confirmatum Chirurgorum opera vidit. Venetias indè vocatus dum Mathematicem publicè florentissima in Vrbe profiteretur, nondum quadragenarius dira febri correptus euolauit in Cælum.

Meminere huius Cęsar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum, Cent. 2. Crispoltus in Perusia Augusta.

IO: BAPTISTA DIONYSIVS Perusinus, cuius ingenij mirifica elegantia commendarur à Marco Antonio Mureto, & Francisco Bencio Societatis Iesu, nec non á Marco Antonio Bonciario, scripsit literas plures ad diuersos, quæ in lucem publicam datæ cum illis Bonciarij sunt.

IO: BAPTISTA FREGIVS Perusinus, Marci Antonij Bonciarij senioris discipulus, Musis pergratus, anno voluentis seculi decimi septimi post Christum natum, sexto Solitudinem, quasi morum integerrimorum magistram, Carmine latino prædicauit.

IO: BAPTISTA GIORGETTVS Perusinus multis nominibus colendus, Musis perfamiliaris, anno voluentis seculi septimo supra decimum, Poematium latinum contexuit, ediditque typis patrijs in commendationem pu-

blicæ diſputationis quam habuit Peruſiæ Paullus Racanus Tudertinus.

IO: BAPTISTA GIRALDVS patria Peruſinus, Poeta magni nominis, ad Lyram etruſcam cecinit geſta Conſtantini Magni Imperatoris contra Maxentium.

De hoc Felix Ciattus in ſua Peruſia lib. 7.

IO: BAPTISTA GIVGI Peruſinus, Cuſtodum vnus Societatis Sanctiſſimi Crucifixi, erectæ apud Seruitas, ad S. Mariam nouam, ſuis literis Italica lingua, typis patrijs in lucem editis anno 1656. Io: Lucido Palumbaræ Peruſiæ, Vmbriæque Prætori ſacrauit relationem publicæ ſupplicationis eodem anno, eadem in Vrbe peractæ.

IO: BAPTISTA GRATIANVS Peruſinus, Seminarij Epiſcopalis alumnus, vincta, ſolutaque oratione laudes D.Baſilij Magni explicauit anno á Chriſti natiuitate 1671.

IO: BAPTISTA LAVRVS Peruſinus, Iulij filius Io: Pauli frater, Chriſtophori Equitis Hieroſolymitani nepos, eruditione, latinęque linguæ candore clarus. Poeta non infimę notę, Vrbani VIII. Pontificis Maximi Cubicularius, Sacro Cardinalium Conſiſtorio à ſecretis, eorumdemque Tabularius, Canonicus S. Marię Tranſtyberim, Protonotarius Apoſtolicus, Philoſophię, Aſtrologiæ, ac ſacræ Theologię Doctor, caſtigati iudicij, doctrinæ, ac facundiæ ſingularis; à puero Pauli San Vitalis Epiſcopi Spoletani, Neapolionis Comitoli Peruſię Antiſtitis, & Pompei Cardinalis Arigonij hortatu in Seminario Peruſino literarias primas exercitationes excoluit. Artium deindè liberalium exacto feliciſſimè curriculo, in Patrio Gymnaſio eaſdem profeſſus eſt cum plauſu; Septenio poſt cum ad Aulicos defeciſſet in Cardinalis Lantes, Epiſcopi Tudertini familiam admiſſus eſt, tum à ſecretis Francisco Cardinali Barberino adfuit.

E vita migrauit Romę anno Chriſti 1629. ætatis ſuę 49. nondum expleto.

Scripſit Epiſtolarum Selectarum Centurias duas, quas

Romæ

Romę primùm anno 1621.euulgauit, cum Epitaphiorum collectione; deindè anno 1624. Coloniæ Agrippinę apud Ioannem Kinkium. Has concinnas quidem, viuidas, & flosculis, siue sententiarum, siue verborum elegantissimè respersas non modo Itali nostri, sed exterę quoque nationes quocumque scientiarum genere excultę ad miraculum vsque suspexere. Centurię primę Ode eiusdem pręfigitur de Sanctissimo D. N. Vrbano ad Augustam Perusiam, & Poematium ad Marcum Antonium Bonciarium in obitum clarissimi viri Iusti Lypsij, seculi nostri Phęnicis. Ibidem legitur Carmine exametro Adulationis Icon.

Scripsit etiam vitam S. Romanę Virginis, latino stylo, ex codice Italo M. SS. quę claruit temporibus Constantini Imperatoris, cum Siluester Romanę Ecclesię pręesset.

Item Chronisticam Vrbis Næniam, in Pauli V. Burghesij Pontificis Maximi obitum: Ediderat etiam in eiusdem Pontificatus auspicia, Poematium, & Nepotem Cardinalem renuntiatum, Musis non planè dormientibus consalutauerat: Illustriora quoque Burghesianorum delibauerat: In his Braccianensem aquam in poeticum Cratera exceperat, Lyricumque scripserat: Romæ editum anno 1612. & Sacellum Exquilinum Musarum coloribus, & pennicillo quam eleganter repinxerat; Nec non Nuptias Marci Antonij Burghesij cum Camilla Vrsina poetica Sylua illustrauerat.

Publici prætera Iuris eiusdem Auctoris opera sunt, nempè.

Ad Lucernam Hymnus.

Epitaphia diuersa, Romæ anno 1622.

Poemata Ibidem annis 1623. & 1625. typis Andreæ Phæi.

Theatri Romani Orchestra, seu Dialogus de viris sui æui doctrina illustribus, Romæ 1618. opera, & industria Iusti Lypsij in lucem edita; Cum qua eiusdem auctoris Titanopæia, siue de fabricatione calcis liber euulgatus,

eroico Carmine descriptus, cum Epistola ad Cæsarem Gherardum I. V. C. anno 1621. renuntiatum S. R. E. Cardinalem; quod opus de fabricatione Calcis iterum typis Romanis anno 1624. cum eiusdem Poematibus in publicam lucem emissum.

Coloniæ verò Agrippinæ anno 1626. apud Ioannem Kinkium publici Iuris factus huius Auctoris Commentarius de Annullo pronubo Deiparæ Virginis, qui Perusiæ religiosissimè adseruatur, ad Franciscum Spataphoram, Principem Maleti, Rocellæ Marchionem inscriptus. Cum his Commentarijs in eadem Vrbe, sub eodem euulgatum Opusculum, seu Epistola de Hugone, Etruriæ Marchione, & Iuditta eius vxore, & testimonia, Elogiaque illustrium virorum de eodem Annulo pronubo.

Anno autem 1624. Romæ ex Typographia eiusdem Andreæ Phæi in lucem prodierunt nostri Lauri Poemata, seu Syluarum libri tres.

Titanopæia, siue de fabricatione Calcis liber vnus, cum Ioannis Thomæ Gilioli Phisica allegoria.

De victoria S. Leonis Magni Pontificis primi aduersus Attilam, libri tres sub titulo Leonidos Perusiæ 1606.

Neodida, & Rana Neroniana.

Ægiptias, hoc est vita S. Mariæ Ægiptiacæ libris tribus edita in lucem Perusiæ 1604. per Vincentium Columbanum.

Epigrammatum liber vnicus.

Perusia seruata, siue S. Petri Abbatis cum Ottone I. Imperatore congressus.

De pio obitu Alexandri Cardinalis Farnesij Carmen, typis Romanis euulgatum anno 1626. & pro eodem Alexandro tumulus.

Tudertinam historiam scribere aliquandò aggressus est, vt ipsemet fatetur Epistola ad Cyriacum Roccium Prolegatum Ferrariæ missa. Hæc M.S. adseruatur apud Io: Paulum Laurum Balestrinum Nepotem, & hæredem, apud

quem

quem etiam vidi M. S. antiquæ Ciuitatis Tadini in Vmbria historiam.

Collegit insuper, & in volumen redegit Epigrammata, & Poemata plura in cor S. Caroli Boromæi Mediolano Romam aduectum, & Marcello Cardinali Lanto Patrono M. SS. obtulit; quæ antequam typis euulgarentur cuiusdam nebulonis opera igne consumpta sunt.

Elaborauit etiam de Sancto Augustino Ecclesiæ Doctore Carmen.

Item Chronicon Perusinum, seu Historiam Perusiæ Augustæ, vti habemus ex literis Horatij Cardinalis Lancellotti, nec non historiam de Episcopis Perusinis. Et Narsetem tragicomædiam, ex Epist. 50. Cent. 2. sub titulo, Narses, seu libertas Italiæ restituta.

Confecit quoque Commentariolum de aulica venatione, ex Epist. 65. Cent. 1. & Epist. 70. Cent. 2.

Vidi M. SS. apud laudatum hæredem Opusculum de Viris illustribus, qui ante 300. annos in sacro S. R. E. Cardinalium Collegio Secretarij munere functi sunt. Et Alderę Vrbis Thraciæ in ora maris Ægei, inter ostia Nessi, & Hebri fluuiorum, excidium in triumphum Murium, & Ranarum, tribus libris heroicis versibus descriptum.

Prouinciale omnium Ecclesiarum Orbis, seu Cathedralium Sedium de quibus in amplissimo Senatu coram Summo Pontifice referri consueuit, Origines, & incrementa. Hoc opus adseruatur M. S. in tabulario Cardinalium in Vrbe.

Celebrant tantum virum Hyppolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana, Franciscus Signorellus in Epistolis, Franciscus Suuertius in Carmine, Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta, Cæsar Alexius Cent. 2. Elogiorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

IO: BAPTISTA LAZARINVS patria Perusinus, in vtroque Iure laureatus, Laureti Antonij, de quo inferius genitor, Præsulum multorum, in varijs Dominij Eccle-

siastici

siastici Vrbibus, vicarius, hoc anno 1676. Vrbeuetani Prætoris à causis, ab anno 1643. ad currentem 1676. Carmine etrusco commendauit Veneris statuam marmoream, elaboratam ab Alexandro Algardo, nec non Comitem Claudium Marazzanum, publicum, & generalem Curatorem, pestilentię tempore apud Centumcellas, & Purpuram Federici Cardinalis Columnæ. Laureas quoque doctorales extulit Iosephi Estensis Mustij, & Laurentij Saluiati Abbatum; defleuitque obitum Marci Antonij Eugenij iunioris, Aduocati aulę Consistorialis.

IO: BAPTISTA LEONELLVS Perusinus ob insignem legalis facultatis peritiam in familiam Bartolinam adoptatus, tam in Iure Canonico legendo, ac docendo, quam in scribendo eximiæ se doctrinæ virum præbuit, & tantorum virorum familiæ adoptione non indignus; quare cum publicè Iuris pruden tiam professus esset per annos plurimos in Patrio Gymnasio, edidit Commentarium in Bullam Pij V. Pontificis Maximi de Societate Officiorum in 4. Perusiæ 1592. per Petrum Paulum Orlandum.

Et de Præcedentia hominis. Ibidem 1601. in 4. apud Petrum Iacobum Petrutium.

Commentatus etiam est Institutionem Canonicam Lancellotti.

Et in arctum collegit Ius Diuinum, & Humanum.

Scripsit etiam Glossas ad reformationem Statutorum Ciuitatis Perusię, ibidemque edidit anno 1600. & super Bulla Pij V. de Censibus. Ibidem 1671.

Aliæ eiusdem literariæ lucubrationes, Responsorumque volumina, & Cōsiliorum in hæredum manibus olim erant.

De hoc tractant cum laude Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cęsar Alexius in Elogijs.

IO: BAPTISTA de NINIS Perusinus, maioris Ecclesiæ Canonicus, Iuris vtriusque Doctor, & Canonici in

patria

patria Academia publicus interpres ; pro voto responsiuo Timothei de Timotheis de celebratione Missarum scriptum edidit anno salutis 1645. scripsit etiam testimonio Patrum Godefridi Henschenij, & Danielis Papebrochij, e Societate Iesu, in vitis Sanctotum mensis Aprilis die 23. in vita B. Ægidij, Commentariolum de Sanctis Perusinis.

IO: BAPTISTA NVCCIVS, vide superius Io: Baptista Alfanus.

IO: BAPTISTA PAVLVTIVS à sacris aquis Scipio nominatus, patria Perusinus, bonis literis in ipsa Patria educatus, fratrum exemplo militiam aliquando professus est; Sed seculi illecebris despectis ad Capuccinorum Claustra confugit, in quibus cum nomine, mores in melius mutauit, seque in Philosophię, ac Theologię studijs exercuit, donec innatam Concionandi propensionem explere potuerit; quo in munere potiores Italię Cathedras conscendens, magno Christianæ pietatis incremento, plausum tantum, ac fructum consequutus est, vt in Patrię Cathedrali Ecclesia Concionator electus anno nostri seculi duodetrigesimo tantum in populo ad pietatem commotionem fecerit, vt non solum viros, sed Fęminas etiam nobilis induxerit, vt nudis pedibus & velata facie, funibus collo alligatis binę ad orandum in laudatam Ecclesiam venerint.

Hic natura impellente ad poesim, Carmina tanta scripsit, vt volumina plura componerent, si simul ederentur; Edidit tamen Thebaidis Poema. ex quo non solum eius ingenij acumen, sed summa eiusdem pietas, atque religio dignosci ab omnibus facilè potest.

Est huius mentio apud Cęsarem Alexium in Elogijs.

IO: BAPTISTA de Perusio Capuccinus, cognomento TRAMONTANA, materna lingua edidit vitam B. Felicis Capuccini, in 8. Romę ex typographia Reuerendę

Camerę

Camerę Apoſtolicę anno 1625. cuius etiam virtutes vin-ĉta oratione etruſca laudauit.

Compoſuit etiam Cantiunculas diuerſas ſpirituales, eodem idiomate.

Et Carmine etruſco explicauit viſionem habitam in translatione reliquiarum SS. Herculani Martyris, Petri Abbatis, & Beuinatis Confeſſoris, facta Peruſię die 17. Maij anno ſalutis humanę 1609. publicæ luci commiſſam anno ſequenti.

De hoc tractant Leo Allatius in Apibus Vrbanis, Lucas Vuadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię.

IO: BAPTISTA ROSELLIVS, Peruſinus in ſacra Theologia laureatus, Rhetoricę publicus profeſſor, vitam viuit honeſtam, ſtudijs intentus, hoc pręſenti anno 1677. Olim hic Seminarij Epiſcopalis patrij Clericus, Anagrammate, & Carmine latino, publici iuris factis anno 1653. laudes Horatij Monaldi, Præſulis Peruſini extulit.

IO: BAPTISTA de STAFFA Peruſinus, ſuis literis vernacula lingua italica, editis Peruſiæ anno à partu Virginis 1633. apud Petrum Thomaſſi, Io: Iacobo Paſquæ ſacrauit literarias lucubrationes diuerſorum, ſcriptas in laurea doctorali Io: Franciſci Paſquæ.

IO: BARTHOLOMÆVS DVRANTES Peruſinus, Cantiuncula etruſca typis Peruſinis euulgata anno ſalutis humanæ 1673. funus celebrauit Duci Antonio Baptiſtæ Dionyſio, extincto in Creta, dum contra Turcas vrbem illam defenderet.

IO: BENEDICTVS COPPOLVS, laureatus Peruſinus, Sacerdos noſtra ætate Oratorij Romani à S. Philippo Nerio inſtituti, anno ſalutis humanæ 1653. ſcripſit, & typis patrijs euulgauit Hendecaſyllabon ad Sanctos Angelos, ſacras Deiparæ cunas inuiſentes.

IO: BERNARDINVS BRVSCVS Peruſinus in literis verſatus, noſtra ætate, anno videlicet 1675. typis patrijs

Carmen

Carmen latinum edidit in commendationem Io: Baptistæ Berti Romani, Monachi Siluestrini, sacri Oratoris tempore aduentus in Cathedrali eiusdem Vrbis.

IO: BERNARDINVS MORANDVS, natus Nouicomi, in Insubria, Philosophiæ, Medicinæ, ac sacrę Theologiæ Doctor, Perusinis Ciuibus adscriptus, ab anno euolentis seculi decimi septimi à partu Virginis quarto supra sexagesimum ad præsentem, quo sacerdotio prędítus, Coeremonijs sacris præest in Cathedrali, in Augusto lycęo Logicam primùm, mox Philosophiam moralem publicè professus est, & in Seminarij Collegio Clericos in Philosophia, atque in Theologia erudijt, ediditque in lucem ex typographia Episcopali sacrum Ecclesiæ Perusinæ Calendarium ab anno 1662. ad 1677.

IO: BERNARDINVS RASTELLVS seu Rastellius patria Perusinus, professione Medicus, Mathematicæ studiosissimus, Græcarum literarum scientia ornatus, Medicinam in Gymnasio Perusino per annos plures professus, edidit de varietate temporum Opus, nec non Orationes elegantes, & Relationem Translationis Corporis S. Gregorij Nazianzeni à Gregorio XIII. Pontifice factæ.

Descripsit etiam Italicè funus factum in morte Ascanij Cornei, Castelionis Marchionis, Inuictissimi Ducis.

Galenum quoque interpretatus est.

Vidi eiusdem literas latina lingua editas Perusiæ anno 1578. cum duabus Orationibus Ranaldi Ridolfij.

Diem suum Perusiæ obiuit, Iacet in Ecclesia S. Dominici.

Est huiusce mentio apud Marcum Antonium Maltempi in historia sui temporis, apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, nec non Alexandrum Balestrinum de Gymnasio Perusiæ, & Alexium in Elogijs.

IO: BERNARDINVS RASTELLI, alius à Superiori, librorum impressor Perusinus, suis literis, italica lingua editis, anno 1574. Serenissimæ Reginæ, Ioannæ Austriacæ, Magnæ Ducissæ Tusciæ, sacrauit Sphoeram Ioannis

á ſacro Boſco, in ſermonem vulgarem italicum conuerſam á Petro Vincentio Dante ex Rinaldis.

IO: CAROLVS BARTOLELLVS, patria Peruſinus, olim Seminarij Epiſcopalis Clericus, pulchritudinem Deiparę, ex Cant. 6. Pulchra vt luna, latino Carmine, publici iuris facto, anno ſalutis 1653. deſcripſit. Vitam viuit hoc præſenti anno 1677.

IO: CLEMENS BOTTVS MAZZVS Peruſinus, Sacerdos Oratorij S. Philippi Nerei, cum olim ſtudijs Rhethoricæ intentus vitam ageret in Seminarij Epiſcopalis Collegio, ſcripſit Carmen latinum in laudem Deiparæ natæ, edidítque typis patrijs anno voluentis ſeculi ſexto ſupra ſexageſimum; cum anno præcedenti, & primo ſupra ſeptuageſimum Carmen, & Elogium euulgaſſet ijſdem typis in commendationem D. Baſilij Magni, Epiſcopi Ceſareæ in Cappadocia; Ad Lyram verò etruſcam, annis 1670. & 1672. lauream doctoralem Dominici Orluccij Lucenſis, & diſceſſum Peruſia Franciſci Andreæ Neapolitani exornauit; nec non Aſcyſteriatum Cæciliç Antonianę, & eloquentiam D. Mauri Baronij Abbatis Oliuetani. Poſt hęc die 20. Nouembris 1676. mortem ſubiens, conditus in Eccleſia laudati Oratorij.

IOANNES, alijs Ioannes Baptiſta CORRADVS patria Peruſinus, profeſſione Dominicanus, in ſacra Theologia Magiſter, quam ſcientiam per annos plures apud ſui Ordinis Religioſos profeſſus eſt; migrauitque é vita in Cœnobio S. Dominici Peruſiæ anno ſalutis 1606.

Edidit duo Volumina de Theologia morali: videlicet Reſponſa ad cuiuſcumque pœnè generis caſuum conſcientiæ; & Quæſita 400. pro examinandis qui ad animarum curam, vel confeſſiones audiendas promouendi ſunt: Quæ volumina primò Peruſiæ 1596. ſecundò prodierunt in lucem auctiora anno 1598. Venetijs; quibus acceſſit compendium de Cambijs, & quædam priuilegia Mendicantium.

Scripſit

Scripſit etiam tractatum de Indulgentijs, euulgatum Camerini in Vmbria anno 1583. & de Oratione Opuſculum, cum expoſitione Orationis Dominicalis.

Meminere huius Alexander Baleſtrinus in Memorijs, & de Gymnaſio Peruſino, Gozzeus, & Io: Michael Pio de Viris illuſtribus Ordinis Prędicatorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

IOANNES DANZETTA Doctor Peruſinus, & Profeſſor Iuris prudentiæ in patria Academia, ſcriptis conſignauit Lecturas, & Conſilia plura, vt habemus ex Alexandro Baleſtrino de Academijs Peruſinis.

IOANNES FEDANTIOLA, ſeu Fedentiola, Peruſinus, Ordinis Minorum, Commiſſarius Generalis Terrę Sanctæ, in ſacra Theologia Magiſter, edidit Opuſculum, ſeu Deſcriptionem Terræ Sanctę, cum Indice omnium eiuſdem regionis locorum: Hoc opus M. S. tamen cuſtoditur in Bibliotheca Gutaroli, apud religioſos viros ſui Ordinis.

Tractant de hoc Lucas Vadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, Ludouicus Iacobillus de illis Vmbriæ, Toſſignanus in Chronico Ordinis.

IOANNES FRANCISCVS Peruſinus Camenus, à Camenis Muſis cognominatus, Eques, ac Poeta laureatus, Muſas enim habuit propitias, & familiares, literas humaniores profeſſus eſt per annos plures cum laude in patria Academia, pro poſteris relinquens volumen vnum elegantiſſimum Epiſtolarum, & aliud Carminum latinorum tanta dulcedine, & maieſtate conſperſum, vt non ſolum Poetarum lauream, ſed Equeſtris Ordinis dignitatem omnium approbatione, & plauſu fuerit conſequutus. Vidi eiuſdem ſyluam encomiatticam ſimul, & Euchariſticam in lucem editam Peruſiæ anno 1532. cum Elogijs, & Orationibus; nec non Dialogos, quorum primus, Theophanes inſcriptus, eſt de Deo, de Trinitate, de Prędeſtinatione, de Fato, alijſque rebus ſacris. In ſecundo,

ſub Critodemi titulo, de legibus diſputatur. In tertio, qui vocatur Archidectes, vtriuſque Philoſophiæ, Medicinę, totiuſque Matheſeos floſculi colliguntur. in quarto, qui Muſęus appellatur, Grammatices, Poeticæ, Rhetorices, Coſmographiæ, Agriculturæ, Architectonices, Rei militaris, & cœtera id genus, minimè vulgata, & maximè frugifera, feliciter differuntur.

Vincta verò oratione ſcripſit, ediditque Carmen heroicum in aduentu Pauli III. Pontificis Maximi Peruſium ſub titulo Syluula. Cui Pontifici, alio ſimili carmine Patriam ſupplicem repræſentauit.

Euulgauit etiam Bucolica, ideſt Eglogam, quæ Paulus inſcribitur; & aliam Grimana, Tertiam Marinus, Marino Grimano S. R. E. Cardinali, Peruſiæ, Vmbriæque legato ſacram. Quartam quæ Tiberina inſcribitur; Quintam, quæ Genius; Sextam, Alphanus, Alphano Peruſino, Quęſtori Pontificio, inſcriptam. Septimam, cui titulus eſt, Sicilia, Octauam, Coſmira, dictam; Nonam ad Bernardinum Caſtellar, Pontificem Caſalenſem, Peruſiæ, Vmbriæque Prolegatum, ſub Titulo B. Barba ideſt Iuſtus. Decimam, Pomariolum, dictam in nuptijs Fauſtini ac Nymphemes.

Celebrant, & meritò tantum virum Alexander Baleſtrinus in ſuis memorijs, & de Gymnaſio Peruſino, Criſpoltus in Peruſia Auguſta, Felix Ciattus in hiſt. eiuſdem Vrbis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæſar Alexius in Elogijs Cent. 2. Pompeus Pellini in hiſtoria Peruſina.

IOANNES GEORGIVS LVCILLVS patria Peruſinus, in ſcientijs pluribus verſatus, Poeta non infimæ notæ, anno ab Orbe redempto 1350. Carmine etruſco expoſuit publicæ luci vnionem artis, cum natura.

De quo Horatius Auicenna in hiſtoria Cinguli, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię.

IOANNES IACOBVS RICCIVS Peruſinus Muſis familiaris,

miliaris, etruſcam Cantionem ſcripſit in obitu Marci Antonij Bonciarij ſenioris, ex typographia Auguſta anno à partu Virginis 1616. euulgatam.

IOANNES MARIA BOTTINI Peruſinus, Rector Eccleſiæ Parochialis Sanctorum Stephani, & Blaſij, Orationem latina lingua dixit, in dimittenda Synodo nonis Septembribus 1662. habitam ſub Marco Antonio Oddo Epiſcopo, typiſq; Auguſtis eodem anno euulgatam. Vidi eiuſdem carmina, ijſdem formis publici iuris facta.

IOANNES MARIA PAVLVCCIVS THOMASONIVS Peruſinus, Ordinis Prædicatorum Magiſter, doctrina clarus floruit ſeculo præterito, quo ſcripſit de Annulo pronubo B. Mariæ, Peruſiæ ſanctè, religioseque adſeruato, Cantiunculam italicam, in lucem datam anno ſalutis humanæ 1581. & de eodem Annullo Opus typis Peruſinis euulgatum, voluentis ſeculi anno octauo.

De hoc Hyppolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

IOANNES MARIA VERMIGLIOLVS de Vermigliolis aliás Vermigliolus de Vermigliolis, ex Siluio Ioãnis Mariæ de Vermigliolis, & Hortẽſia Hieronymi de Villanis de Peruſio filius, die 15. Nou. anno 1570. natus, clarus Iuris Conſultus Peruſinus, cum diù in Patria de Iure reſpondiſſet, Bononienſis Legationis Auditoratum ab anno 1605. ad longum tempus geſſit. Romæ deindè inter primarios Cauſarum patronos adſcriptus, ab Vrbano VIII. iuſſus Auditoris Cameræ Apoſtolicæ locum tenentem agere, laborioſum id nimis ſibi fore cum arbitraretur, ab eodem Pontifice, volens, libenſque Cameræ Apoſtolicæ Aduocatus conſtitutus eſt, & paulò poſt inter Conſiſtoriales cooptatus; inter illos ſedit ad annum 1657. quo iam ſenex è viuis abijt.

Tantus hic vir 500. Conſilia Criminalia anno 1647. & anno 1651. Conſiliorum Ciuilium Volumen typis Romanis euulgauit.

Huius Carmen latinum in laudem Cornelij Benincasæ, Iuris consulti Perusini, euulgatum leges Perusię, anno 1590. cum prælectionibus eiusdem Cornelij.

Eiusdem responsa leguntur in Volumine 2. Consiliorum Farinacij Cons. 160. 184. & 280.

Reliquit M. SS. decem, & octo Consiliorum Volumina, quę si aliquando in lucem prodibunt, & Auctoris, Patrięque nomen, famamque mirificè exornabunt.

Mortis memor dum viueret in Ecclesia semper Virginis Marię de Pace Romę Sepulchrum sibi extruxit, vbi literatum marmor, quod in eiusdem Templi pariete pręminet ad legendum, ita proloquitur.

D. O. M.

IO. MARIA VERMIGLIOLVS
DE VERMIGLIOLIS PERVSINVS
SACRAE CONSISTORIALIS AVLAE
ADVOCATVS,
ET COLLEGII V. I. C. PERVSIAE
DECANVS;
ASSIGNATIS HVIC ECCLESIAE LOCIS
DECEM MONTIS,
SVB ONERE EX ILLORVM
ANNVO REDDITV
MISSAE TRES IN PERPETVVM
CELEBRANDI
AD ALTARE PRIVILEGIATVM
HEBDOMADIS SINGVLIS
PRO SALVTE SVA,
ET SVORVM,
IVXTA INSTRVMENTVM EX ACTIS
SEBASTIANI CAESIS CARDINALIS
VICARII NOTARII.

DIE

DIE VII. DECEMBRIS MDCXLIV.
VIVENS POSVIT.

Meminere tanti viri Paulus de Rubeis in ſuis Reſolutionibus, Cohelius, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæſar Alexius in Elogijs.

IO: MATHÆVS MARTELLVS Peruſinus, Laureatus in vtroque Iure, Rotę Florentinę, Lucenſis, ac Genuenſis Iudex, é viuis abijt anno pręteriti ſeculi primò ſupra nonageſimum, cum ſcripſiſſet plura in ſcientia quam profitebatur, & Conſilia multa poſteris tradidiſſet.

De hoc Alexander Baleſtrinus tractat de Gymnaſio Peruſino.

IO: NICOLAVS LVCIDORVS, ſiue de Vinciolis patria Peruſinus, vtriuſque iuris peritia exornatiſſimus, edidit Peruſię apud Hęredes Angeli Bartoli, & Angelum Laurentium anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi duodequinquageſimo, Opus de illegitimis Clericorum, & Regularium iuxta Bullam Pij V. Pontificis contra eoſdem editam.

Eſt huiuſce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbrię.

IOANNES OLIVA Peruſinus, Archiepiſcopus Theatinus edidit Conſtitutiones, & leges pro Clericis ſubditis, & Synodum ſcripſit, vt habet Alexander Baleſtrinus in ſuis memorijs Peruſinis.

IO: PAVLVS LANCELLOTTVS Peruſinus, Roberti frater, cui ob eximiam doctrinam à Paulo IV. Romano Pontifice impoſitum fuit immenſa illa Sanctorum Patrum, Conciliorumque placita, nec non Summorum Pontificum ſanctiones in quatuor libros colligere, vt eſſent totius Iuris Canonici quaſi prima eleementa; Inſtitutioneſque Canonicas vocauit, quæ in Aula Romana à viris clariſſimis Innocentij IX. iuſſu recognitæ, vehe-

mentèr-

menterque probatæ in lucem prodierunt, tanta Auctoris gloria, vt Lancellottus Perusinus Trebonianus vocaretur. ad quem audiendum è remotis vsque regionibus Transalpinis plurimi Perusium aduenere, qui tanti viri scientiam admirati publicum testimonium de eo in Patriam reuersi, dum vitam vixère, reddidere.

Tantus hic vir Tractatus plures edidit, vnum de Regulis Iuris, alterum de Substitutionibus, alium de Comparatione Vtriusque Iuris.

Insuper Breuiarium Prætorium, & Curiale, & de Decurionibus, euulgatum Lugduni anno 1540. & Venetijs 1563.

Item libros 4. Institutionum Iuris Canonici vna cum Glossis, & Interpretationibus, primò Venetijs anno 1570. deindè anno sequenti Lugduni, Romæ 1573. & Antuerpię cum notis Hieronymi Clari Iuris Consulti celeberrimi.

His addidit tres libros partituum, quibus tuetur causam, cur tales Institutiones conscripserit:

Eiusdem vidi publici Iuris factas Disputationes circa cautiones de non offendendo, ac plures Epistolas, inter quas illa est ad Bernardinum Alfanum iuniorem, Iuris Consultum magni nominis, euulgata cum Collectaneis eiusdem Alfani, Venetijs anno 1605. typis Iacobi Antonij Somaschi in 8. Extant ab eodem Auctore poeticę Lucubrationes, quæ præclarè eius ingenij præstantiam illustriorem faciunt.

Scripsit præterea libro vno Vitam Bartoli, vt habet Marcus Antonius Bonciarius in Oratione funebri Bernardini Alfani, & Apologiam in defensionem Bartoli, & Baldi, typis Perusinis publicæ luci commissam anno 1576.

Octogenarius magno Patriæ, Peritorumque dolore è viuis abijt, anno salutis humanæ 1589 seu 1590. aut 1591. magno funere conditus est in sacra Diui Francisci Æde, sub tali Epigraphe quam sibi viuens scripsit, & Horatius filius posuit.

Qui

D. O. M.

Qui fuerim, aut quid viuens egerim fortè si quæris!
Hominem scito fuisse me, quem parandis fluxæ vitæ
Commodis intentum, nec opinantem Mors oppressit.
Tu si sapis aliena stultitia ad tuum compendium vtere;
Idem enim te citò manet casus. Quamdiù vixerim,
Quaue morte obierim, nec eg o diuinare potui, nec
tua interest scire.

Celebrant Io: Paulum hunc Io: Baptista Laurus Epistola ad Leandrum Galganettum, Cęsar Alexius in suis Elogijs Cent. 1. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in Memorijs, & de Academijs Perusinis, Pellini in sua historia, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium ad Scipionem Lancellottum, Cęsar Crispoltus in sua Perusia Augusta lib. 3.

IO: PAVLVS MARTINELLVS Perusinus, Ludouici, de quo inferius, frater, iam denatus, nostro hoc seculo scripsit, euulgauitque Carmen etruscum in laudem, commendationemque Cæsaris Cardinalis Facchenetti, & in consecratione Valentiæ Virginiæ Valentis, facta in Coenobio S. Crucis Trebiensis.

IO: PAVLVS MENICONVS, Cæsaris filius, Marci Antonij, Hierosolymitani Commendatarij, de quo inferius, frater, patria Perusinus, professione Ecclesiasticus, Cathedralis patriæ Archidiaconus, prudentia, & pietate clarus, anno voluentis seculi, septimo supra septuagesimum collegit literarias diuersorum lucubrationes, elaboratas in commendationem P. Federici Trenta Societatis

Iesu sacri Oratoris in sua Cathedrali quadragenarij ieiunij tempore anni 1677. suisque literis vernacula lingua Iacobo Cardinali Rospigliosi sacrauit, ediditque sub titulo, *Il giubilo delle Muse ne gl'applausi alla sacra, & erudita eloquenza del P. Federico Trenta della Compagnia di Giesù Predicatore in Perugia*.

IO: PAVLVS PODIANVS Perusinus, initio voluentis seculi decimi septimi ab Orbe redempto, literis, & virtute conspicuus, inter alia monumenta literaria, quę posteris transfudit est latinum Carmen in stemma Cardinalis Tiberij Muti Romani, typis Perusinis excusum anno eiusdem seculi septimo supra decimum, apud typographos Augustos; & anno 1612. alia plura in commendationem D. Ioannis Iacobi, Baronis in Konigsegg, Canonici Coloniensis, Salisberiensis, & Augustani, publicè iuris vtriusque theses propugnantis Perusiæ: in cuius laudem pręter carmina etiam Anagrammata plura congessit.

IO: PAVLVS SOTIVS Perusinus, literarum humanarum in patrio Seminario Episcopali Professor eloquentissimus, & eruditissimus, qui habuit auditorem, & discipulum Marcum Antonium Bonciarium, scripsit Orationes plures, & Carmina multa in Commendationem Deiparę semper Virginis, & aliorum Sanctorum; Laudes quoque cecinit Carmine latino Conciuium multorum, ipsiusque Perusiæ Augustæ.

Hæ lucubrationes luce dignissimæ latent in tenebris.

IOANNES Perusinus Monachus S. Benedicti, pietate, & doctrina illustris, florebat initio seculi decimi sexti ab Orbe redempto, quo Terram Sanctam inuisit, deque ea Opusculum elucubrauit, asseruatum M. S. in Bibliotheca Guttaroli.

De hoc Vossius de historicis latinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

IOANNES PETRVCCIVS MONTESPERELLVS Perusinus Socer, & Pręceptor Philippi Cornei, & Magister

Soccini

Soccini ſenioris Senenſis, ac Ludouici Pontani, in Gymnaſio Peruſino Iuris Lector primarius, eximio ingenij acumine, profundaque doctrina mirificé effulſit, nam politioribus literis imbutus, Philoſophię ſtudijs ingenium viuidum tam perſpicaciter acuit, & excitauit, vt veram legum Philoſophiam, breui temporis ſpatio optimè tenuerit, earumque laurea doctorali ſuſcepta è publico ſuggeſtu hanc eamdem legalem facultatem magno audientium fructu, & plauſu docuerit. Huius conſilio, & opera varijs, & ſummis legationibus apud Principes viros, & Summos Pontifices feliciter ipſa Peruſia vſa eſt, E vita exceſſit menſe Februarij anno ab Orbe redempto 1464. Bononiæ, conſtituta ex aſſe hærede vnica filia, quam Philipho Corneo deſponſauerat.

Scripſit noſter Ioannes Conſiliorum volumen, editum in lucem Lugduni in fol. anno à partu Virginis 1584.

Super totum Ius Ciuile, & Canonicum.

Reliquit M. SS. varios tractatus, Commentaria in leges diuerſas, Reſponſiones, Reportata, & Quæſtiones, extantes in Bibliotheca Bononienſi, & apud Hæredes Antonij Auguſtini, Fabij Accoramboni, & Hieronymi de Iuſtinis.

De hoc tractant Ioannes Vuolfangus in Elencho, Pellinus in hiſtoria Peruſiæ, Criſpoltus in Peruſia Auguſta, Cęſar Alexius in Elogijs Cent. 2. Alexander Baleſtrinus in memorijs Peruſinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Paulus Merula in Deſcript. Italiæ, Iacobus Philippus Bergomenſis in ſupplemento Chronici.

IO: PETRVS de FRIGERIIS Peruſinus, Io: Antonij Patruus, adhuc inter viuos præſenti anno 1677. Epiſtolam ſcripſit P. Paulo Segnero è Societate Ieſu, editam Peruſiæ anno eiuſdem ſeculi quinto ſupra ſexageſimum, cum plauſu eiuſdem Paulo facto, dum Quadrageſimali tempore in principe Laurentiano Templo Peruſino ad Populum diceret.

IO: PETRVS GHISLERIVS origine Bononienſis, nepos

Io: Baptistæ de Consiliarijs, siue de Ghislerijs S. R. E. Cardinalis; Vtriusque Signaturæ Referendarius, Protonotarius Apostolicus, Sacræ Consultationis Præsul, Perusiæ Vmbriçque Moderator, quo munere dum fungeretur á Magistratu Perusino inter Ciues eiusdem Vrbis cum hęredibus adscriptus est, Romandiolæ, Firmo, Vrbiueteri, Camerino, alijsque ditionis Ecclesiasticæ vrbibus summa integritate præfuit, & post obitum Gregorij XIII. dum Patres in Comitijs essent, Vrbem Leoninam vti Legatus, rexit. In ipsa Vrbe è vita migrauit die 16. Decembris, anno salutis humanæ 1587. post obitum iacet in Æde S. Mariç Transpontem apud Patres Carmelitas.

Scriptis hic consignauit Cognitionem veram, seu historiam vernacula lingua Italica, Vrbium, quas rexerat. Item duo volumina literarum, & alia, quæ M. SS. in sua Bibliotheca Fulginatensi asseruari merito gloriatur Ludouicus Iacobillus pronepos, & hæres.

Celebrant talem virum præter laudatum Iacobillum, Io: Baptista Rubeus in libro, inscripto de actis Io: Petri de Ghislerijs in Præsidentatu Romandiolæ, Catena, Ciacconius, Pellinus.

IOANNES PICCHI TANCREDVS Perusinus, Carmine etrusco funus Antonij Baptistæ Dionisij, Militum Ducis, extincti in Insula Cretæ, dum contra Turcas Christianorum res tueretur, celebrauit; quod carmen typis Perusinis euulgatum inuenies anno voluentis seculi decimi septimi, tertio supra septuagesimum.

IOANNES à PLANO CARPENIS cognominatus, Planus Carpenis, est locus Perusini agri, prima iecit Religionis Minoriticæ incunabula Tridenti, quæ est Vrbs Cenomanorum ad Athesim fluuium; Apostolus deindè factus Ruthenorum, & Tartarorum, itinera multa dimensus, incommoda plura perpessus, & casibus plurimis agitatus est. Vuormatiæ, Spirç, Coloniæ, sermonibus ad populum habitis, multos ad pœnitentiam conuertit. Anno

salutis

ſalutis 1223. in Comitijs Prouincialibus, B. Alberto Piſano Germaniæ Miniſtro exiſtente, renuntiatur Cuſtos Saxonię; præfuit Prouincialis, Germanię, Ordinemque ſuum maximè propugnauit in Bohemia, Hungaria, Dacia, Noruegia, Saxonia, Alſatia, Auſtraſia, Lotharingia, atque in Hiſpania. Ab Innocentio IV. Romano Pontifice ad Regem Tartarorum Legatus, ad pacem cum Chriſti fidelibus firmandam, Regiones illas, & peregrinationem ſuam libro vnico deſcripſit. E viuis abijt poſt annum ſalutis humanæ 1224.

Meminere huius Ioãnes Vincentius Belluacenſis lib. 11. Speculi, S. Antoninus 3. part. hiſt. tit. 19. cap. 5. §. 3. & cap. 8. §. 20. Marcus Vlyſſiponenſis in Chronico, Fr. Lucas Vadingus in Annal. Minorum, Chronicon Saxoniæ, Toſſinianus lib. 2. in Fratre Creſcentio; Bzouius tom 13. Annal. Eccleſ. ad annum 1248 Arturus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano, Felix Ciartus in Elogijs.

IOANNES STEPHANVS, alijs Stephanus MARINVS Archipresbyter Caſæ Caſtaldæ ex agro Peruſino, noſtra ætate, Carmine etruſco cecinit laudes Pauli Segneri è Societate Ieſu, Concionatoris tempore Quadrageſimali in primario Templo Peruſino S. Laurentio M. conſecrato, quod cum alijs diuerſorum publici Iuris factum ſcimus eadem in Vrbe anno poſt Natiuitatem Chriſti 1665. typis Cameralibus, & Epiſcopalibus apud Angelum Laurentium in 4. ſub titulo, Plauſus inclyto Verbi Dei Præconi Paulo Segneri Societatis Ieſu. Defleuit etiam mortem Ludouici Alberti Peruſini; extulitque amorem B. Felicis è Cantalicio, Capuccini in Chriſtum cruci affixum. è viuis abijt in eadem Villa Caſæ Caſtaldę, in qua natus, circa annum voluentis ſeculi ſeptuageſimum.

IO: THOMAS GILIOLVS Peruſinus, doctrina clarus floruit initio voluentis ſeculi decimi ſeptimi à partu Virginis, Philoſophiæ, ac Theologiæ Magiſter, liberalium artium in Academijs Patria, & Patauina publicus Profeſ-

ſor,

ſor, in ſacris Scripturis verſatus, in Mathematicis peritus, vitæ integritate, morumque candore, eloquentia, & eruditione magni ſemper apud omnes habitus, virtutem magis, quam inanem gloriam, dum vixit, coluit. Deinde denatus in Patria 8. Idus Septembris anno Chriſti 1636. ætatis ſuæ 61.

Scripſit de Calcis fabricatione Phyſicam allegoriam, & Conſolatoriam Epiſtolam ad Io: Baptiſta Laurum Conciuem ſuum, ſuper exceſſu Io: Pauli fratris, Romę 18. Cal. Octobris 1616. ſequuto, quas Romę typis Andreę Phęi annis 1623. & 1625. cum Orcheſtra & Titanopeia Io: Baptiſtę Lauri euulgatas legi, iterumque cum literis eiuſdem Lauri in lucem editas vidi Colonię Agrippinę 1624.

Edidit etiam nonnulla Carmina in vtraque lingua, latina ſcilicet, & etruſca, inter quę ſunt illa publici Iuris facta Peruſię anno 1634. in laudem D. Modeſti Benuenuti, Monachi Silueſtrini, Auctoris hiſtoricæ relationis SS. Patronorum, ac Beatorum Vrbis Recineti in Piceno.

Anno verò 1605. typis Peruſinis euulgauit Orationem à ſe habitam in funere Marchionis Aſcanij Cornei, & aliam anno 1616. in Commendationem Horatij de Balleonibus.

Et anno 1636. Patauij publici iuris fecit Propugnaculum naturalis inclinationis, quam poſt hominis interitum anima rationalis ſeparata habet ad corpus ſuum, & ad reiterandum cum illo vnionem.

Suis literis inſuper vernacula lingua Italica ſcriptis, editiſque in lucem anno 1603. Alphonſo Eſtenſi, Inſenſatorum Principi ſacrauit Carmina Rithmica Leandri Bouarini.

Alia quoque multa ſcriptis conſignauit, quæ M. SS. religioſiſſimé cuſtodiuntur apud diuerſos.

De hoc cum laude tractant Cæſar Criſpoltus in ſua Peruſia Auguſta, Cæſar Alexius in Elogijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

IO:

IO: THOMAS SASSVS Clericus Perusinus, anno nostri seculi septuagesimo primo, versu latino D. Basilij Magni studium in defendenda Catholica fide, quam Iulianus Imperator impugnabat, explicauit.

IOANNES TINNOLVS, seu Tyndolus Perusinus vel Tinnulus Doctor in Philosophia, & in Medicina ingenium totius naturæ capax sibi dono datum desuper, lactissimis literis extulit in patria Academia, deindè validis Logicæ præsidijs instructus, Philosophiæ tam sedulam operam nauauit, vt magnæ de se expectationis conceptæ, laurea eiusdem facultatis scripta, eiusdemque Magistrali Cathedra obtenta, optimè responderit interque præclariores habitus fuerit; fuit vnus ex fundatoribus Academiæ Insensatorum, è viuis abijt die 22. Augusti, anno reparati Orbis 1591.

Huius lectissimi ingenij multa extant opuscula in lucem publicam cum plausu edita. Videlicet, vnum de natura, & subiecto Logicæ, & de Philosophia volumen.

Nec non Methodum compendiariam argumentandi pro his, qui in libris legendis plurimum temporis impendunt. Perusiæ in 4. an. 1554. apud Petrũ Iacobũ Petrutiũ, & anno 1590. ibidem apud Petrum Paulum Orlandium.

De dicendo Opusculum

Aliud de Contrahendis artibus.

Tertium de ijs artibus, quæ versant circa sermonem.

Quartum de scopo Aristotelis in posteriorjbus libris analyticis.

De loquendo.

De cognitione rerum natutalium.

De primo cognito.

De perfectione vninersi.

De intellectu agente, & specciebus intellecturalibus.

De producenda vita per literarum, & Philosophiæ studium.

Dialogos

Dialogos item duos. Primum de Anima; Alterum de pygmæis. Vidi eiusdem prefationē in Priora Analytica Aristotelis; Et quæstionem an propositio sit genus affirmationis, & negationis; In 8. Perusiæ apud Andreā Brixianū 1567.

Meminere huiusce Ioannis Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs.

IO: VINCENTIVS HONDEDEVS, Petrj Pauli Bartholomæi filius, origine Eugubinus, Ciuis Perusinus, & primus suę familiæ, qui Perusiam incoluit, Montisperellis coniugio coniunctus, Iuris Consultus præstantissimus, causarum patronus, publicæ luci commisit Volumina duo Consiliorum, siuè Responsorum, cum additione, & argumentis Pandulphi filij; in fol. Venetijs 1604. tum 1610.

Francofurti autem anno 1600. in fol. Consultationum iuridicarum Volumina duo.

In virilitatis flore omnium dolore decessit Perusiæ die 17. Februarij anno salutis 1603. publicoque funere in sacra Diui Francisci æde, vbi iacet, & corpus est; cui, per Marcum Antonium Bonciarium seniorem eximium Oratorem tanti viri morte deplorata, omnium lacrimæ parentarunt.

Est huiusce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, apud Cæsarem Alexium in Elogijs Cent. 1. Bonciarium in oratione funebri, Dominicum Passionæum in Epist. Crispoltum in Perusia Augusta lib. 3.

IO: ZENOBIVS de VBALDIS, aliàs Bobius cognominatus, patria Perusinus, Iuris vtriusque laureatus, magni Baldi filius, Legum in Academijs, Patria primùm, mox in Ticinensi, Interpres, adfuit Philippo Burgundiæ Duci, & Flandriæ Comiti, nec non Carolo Galliarum Regi à Consilijs, Vinceslao Cęsari, & Ioanni Galeatio Duci Mediolanensi, atque Amadeo Sabaudo pergratus. è

vita

è vita migrauit anno Christi 1400. ætatis suæ tertio supra septuagesimum, nonullis editis Responsorum libris, & Consilijs, ac lecturis.

De hoc tractant Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs.

IOSEPH ANSIDEVS Io: Vincentij filius Perusinus, literatorum Patronus, Constantij Riccij Academici Insensati literarias lucubrationes, sibi in supremis tabulis legatas, euulgauit Perusiæ in 4. apud Laurentium Cianum Typographum Episcopalem, sub titulo, *Poesie del Sig. Dottore Costanzo Ricci*, illasque suis literis, præfixis initio eiusdem libri consecrauit Cæsari Cardinali Facchenetto.

Idem Poematijs etruscis editis ibidem annis 1672. & 1677. Abbatis Mauri Baronij Oliuetani, nec non Lauiniæ Raineriæ, ac Valentiæ Virginiæ Valentis, Virginum Deo Sacrarum, atque Federici Trenta é Societate Iesu laudes cecinit.

IOSEPH BACELLERIVS Perusinus, Sacerdos Oratorij S. Philippi Nerij nostra ætate doctrina clarus, scripsit Elogia diuersa, videlicet vnum in laurea Philippi Donini; alterum in obitu Marci Antonij Eugenij iunioris, Aduocati Consistorialis, & tertium in laudem Pauli Segneri Concionatoris in Templo primario Perusino tempore Quadragesimali; vincta quoque Oratione laudes cecinit Iosephi Abbatis Estensis Muftij.

IOSEPH BENNIVS è Margiano, ante annum 1676. defunctus, cum iuuenis in Seminario Episcopali Perusino vitam degeret, Carmen latinum scripsit, publicęque luci commisit typis Perusinis anno post Christum natum 1666. in commendationem Deiparæ Virginis Mariæ.

IOSEPH BRVSCVS seu Bruschius Perusinus, Philosophiæ, & Theologiæ Doctor, Elogium latino idiomate scripsit, & edidit in Patria anno 1675. pro Io: Baptista Betto Romano, Monaco Siluestrino, sacro Oratore tem-

pore Aduentus Christi in Cathedrali patria SS. Laurentio, & Herculano sacra; Carmen quoque publicę luci commisit in commendationem D. Marci Baronij Abbatis Oliuetani, Concionatoris in eodem Templo in quadragenario ieiunio; & anno 1677. carmine item latino, laudauit D. Stephanum ab Vrbe, S. Petri Principis Apostolorum Cœnobij Augustæ Perusiæ Abbatem, suprema Cassinatum tiara coronatum.

IOSEPH MALVIVS Perusinus, Seminarij patrij olim Clericus, Orationem latinam in Natiuitate B. Mariæ habuit, sub titulo, Prædictio Astrologica super orta Maria, & Carmen scripsit, typis Perusinis euulgatum annis 1646. & 1647: E viuis iam abijt, quo autem tempore mihi ignotum.

Celebrant hunc, Petrus de Alua Minorita in sua Militia, Hippolytus Marraccius in Apendice ad Bibliothecam Marianam.

IOSEPH NERIVS, seu Nereus extra matrimonium natus, musis pergratus, eloquentia, Græcarumque literarum eruditione clarebat initio seculi decimi septimi ab orbe redempto, in vtroque Iure laureatus, Philosophus, ac Theologus primi nominis, nec non Mathematicus illustris, quam scientiam primò in patria Academia publicè, non sine plausu professus est; mox ibidem leges interpretatus est per annos nonnullos; Indè ad Romanam Aulam profectus in Vrbe vixit cum honore, magni semper habitus ab Eminentissimis Cobellutio, Gherardo, & Maphæo Barberino; erat enim maximé ornatus, non modo Græcarum literarum, vt superius indicauimus, eruditione, sed mirabili facilitate in pangendis carminibus tum latinis, tum etruscis; Etenim magno pollebat ingenio, tenacissimaque memoria, nec minus græcè, quam latinè doctus.

Diem suum in Vrbe obijt, non sine literatorum omniũ mœrore anno 1622. cum scripsisset Opus in re publica,

sub

ſub titulo, Paradoxa politica, euulgata Peruſiæ anno præcedenti.

Et Analecta ibidem anno 1619. in quibus præter ea, quæ ad ius pertinent varia, tam in ſacra, quam in profana hiſtoria, & quædam in Tacito explicantur, illuſtrantur, emendantur duobus libris.

Scripſit etiam in eumdem Tacitum animaduerſiones, & Commentaria.

De hoc ſcribunt Io: Baptiſta Laurus Epiſt. 4. Cent. 2. Cæſar Criſpolrus, Felix Ciartus in ſuis hiſtorijs, Cæſar Alexius in Elogijs Cent. 2. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Baleſtrinus de Gymnaſio Peruſino.

IOSEPH, Peruſinus patria, profeſſione Monachus Caſſinenſis in Comitijs generalibus ſui Ordinis, habitis Peruſiæ anno ſalutis humanæ 1646. italicum diſcurſum dixit ad Patres ſedentes in Comitijs, publici iuris factum typis Peruſinis à D. Zaccharia de Aloyſijs Abbate Cœnobij S. Petri Peruſini.

IOSEPH PINOZZIVS è Caſtello Rigone, Oppido in Territorio Peruſino, Philoſophiæ, ſacræque Theologiæ Doctor, patriæ Paroeciæ Sacerdos, vitam viuebat anno 1676. cum inter Clericos Seminarij Epiſcopalis Peruſini ſtudijs intentus, commoraretur, Elogium Deiparæ latina lingua typis Peruſinis anno 1666. in lucem dedit, eum anno præcedenti vincta oratione laudes D. Baſilij Magni, Epiſcopi Ceſareæ in Cappadocia, ceciniſſet.

IOSEPH ROSCIOLVS de COROMANNIS, patria Peruſinus, vir è Franciſcana familia, pietate pariter, & doctrina clarus, Euangelij Præco, dum Venetijs Conciones publicè haberet ad populum, accidit, vt primaria quædam eiuſdem Vrbis Matrona morbo afflicta hunc vehementer etiam, atque etiam rogaret, vt ad sè quam primum veniret, cuius votis cum annuiſſet, non modo morbum, quo affligebatur, ſed etiam illius cauſam aperuit, crede-

bat enim illa mulier diuina se ira ægrotare, quia penes se conseruabat sacrum lapidem, quo Christus puer circumcisus fuit in Templo, in quo pretiosissimi eius sanguinis gutta ad hunc vsque diem apparet. Quem Lapidem mulier Patri obtulit, vt digniori eum in loco collocaret, ne debito honore fraudaretur. Accipit Ioseph vltrò oblatum lapidem, detulitque Perusium circa annum salutis 1530. Ecclesiæque S. Francisco in Monte sacra dono dedit; vbi primo cuiuslibet anni die frequens populus cultum, honoresq; adhibet, quo exacto in veneratione toto anni cursu est in Sacello eiusdem Ecclesiæ ab Alexia nobili familia erecto.

Hic Ioseph posteritati tradidit Concionum Volumen, nec non aliud Theologicum.

De hoc Crispoltus, & Ciattus in hist. Perusina, Cæsar Alexius in Elogijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

IOSEPH SEXTIVS Sacerdos Perusinus, adhuc inter viuos anno 1676. cum olim studiorum causa vitam viueret in Seminario Episcopali patrio, Carmine latino, euulgato ibidem anno salutis humanæ 1666. laudes Deiparæ Virginis cecinit, cum anno præcedenti illas D. Basilij Magni explicasset. Anno autem eiusdem seculi septuagesimo lauream doctoralem Dominici Orluccij Lucensis eodem carminis genere exornauit.

ISAACVS de CASTRO ARCIONIO Perusinus, alijs Asculanus, è Byndia familia, Monachus S. Benedicti, & Abbas S. Michaelis de Candiano Patauinæ Diœcesis, cum esset Pontifex Asculanus an. 1353. translatus est ad Ecclesiam Aquilæ in Samnitis, & cum post duos annos ad primam Ecclesiam redijsset, defunctus est die 7. Iulij, anno 1358. & sepultus ad S. Augustinum. Hic eruditione, nobiliumque aliarum disciplinarum peritia clarus in posterorum vtilitatem Opuscula plura, & in claustro, & in Cathedra scripsit, quę, vt ferunt extant apud plures M SS.

Est huiusce mentio apud Ferdinandum Vghellium Tom. 1. Ital. sac. in Catalogo Episcoporum Aquilæ, & Asculi.

ISIDORVS Perusinus Ord. Minorum regularis obseruantiæ in Iure Canonico non mediocriter versatus, florebat anno salutis humanæ 1560. quo scripsit tractatum de Restitutione, quem apud se olim habuisse fassus est Lucas Vadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum. Eiusdem meminit Ludouicus Iacobillus de illis Vmbriæ.

ISIDORVS alius Perusinus, professione Eremita S. Augustini, Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ Magister, & à studijs in Coenobio sui Ordinis, Perusino, anno nostri seculi vndesexagesimo typis patrijs edidit vernacula lingua italica Vitæ Breuiarium S. Thomæ á Villanoua, Valentiæ Archiepiscopi, Sanctorum Collegio adscripti ab Alexandro VII. Pontifice Maximo. E vita mortali, ad immortalem migrauit in patria, Coenobij eiusdem Vrbis Prior die 2. Augusti anno 1669.

IVLIANVS CASTANEACEVS Perusinus, Academicus Insensatus, doctrina notus, floruit initio currentis seculi decimi septimi á Christi natiuitate, huius literæ latino Idiomate ad Io: Baptistam Laurum datæ, publici iuris sunt factæ typis Coloniensibus anno 1626. cum Commentario eiusdem Lauri de Annulo pronubo B. Mariæ, Perusię sanctè, & religiosè asseruato.

Collegit insuper Insensatorum Lucubrationes varias, typisque patrijs Cardinali Pio Academiæ Principi nuncupauit; cui etiam suis literis materno Idiomate in lucem editis anno 1603. dedicauit Discursum de Gemmis Leandri Bouarini.

IVLIVS CÆSAR STELLA Perusinus, Clementi VIII. Pontifici Maximo à cubiculo intimo, scripsit metricè Opus sub titulo Columbeida, cuius priores duo libri tantum anno salutis 1586. excusi sunt Parisijs, & recusi sexennio post Romę, cum Epistola Francisci Bencij Socie-

tatis Iesu, reliqui adhuc ni fallor in tenebris iacent.

IVLIVS CÆSAR TORELLVS, patria Perusinus anno seculi decimi sexti à partu Virginis, primo supra nonagesimum, typis Augustis edidit italicè Opusculum, sub titulo, *Nuoua inuentione di Tariffa*.

IVLIVS de DANTIS, Petri Vincentij filius, patria Perusinus, professione Mathematicus, & Architectus sua ætate non vltimus, qui vitam exuit mortalem anno 1575. cum edidisset Opus de Alluuione Tyberis, & Annotationes in ornamenta Architecturæ. fuit genitor Ignatij Episcopi Alatriensis.

Tractant de hoc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Crispoltus in Perusia Augusta.

IVLIVS LAVRENTIVS Iuris Consultus Perusinus, nostra ætate clarus, in Doctorum Collegio cooptatus die vltima Februarij, Musis familiaris, Carmine latino typis patrijs anno 1631. euulgato, Georgij Boreæ, nobilis Lugensis obitum defleuit.

IVLIVS NAVIA Perusinus, adhuc hoc anno 1677. inter viuos, Præpositus Ecclesiæ S. Marci, olim Clericus Seminarij Episcopalis patrij, anno videlicet 1653. laudes B. Mariæ infantulæ, Carmine latino, euulgato Perusiæ, cecinit.

IVLIVS ORADINVS Iuris Consultissimus Perusinus, Iuris prudentiæ difficultates in patrio Gymnasio tanta cum laude explicauit, vt eius lectissima ingenij altitudo fuerit summorum planè Virorum cohonestata iudicijs, suffragijs confirmata, encomijsque summis commendata. Egit ad Carolum V. Cæsarem, Summosque Pontifices diuersarum non semel Patriæ Legatum. Patauium accitus in principe suggestu, principem Doctorum facilè obtinuit locum. A Iulio III. Romam euocatus, inter Domesticos Cubicularios primum, mox inter Iudices Rotę Romanę connumeratus est. Ex huius Senatus Decano

cano anno à partu Virginis 1554. ad Episcopatum patrium promotus, illi præfuit vsque ad annum 1573. quo ad meliorem euolauit vitam. Sapientibus omnibus, tum ipsi Gregorio XIII. tunc regnanti, literis præditorum Patrono singulari, tanti viri mors adeò ingrata accidit, & luctuosa, vt non dubitauerit lachrymis etiam in ipso purpuratorum Senatu dolorem testari suum, verba illa pronuntiando, amisimus virum doctissimum, & integerrimum. Dies 6. Augusti fuit Iulio nostro postrema.

Edidit dum vixit Prolegomena Iuris Ciuilis, & Decisiones plures impressas cum illis diuersorum.

Iacuit aliquandiù Romæ apud S. Mariam ad Mineruam, inde Ossa translata Perusium, recondita in Cathedrali sub hac Epigraphe.

IVLIO ORADINO
IVR. CONS. PRESTANTISS. PERVSIAE,
ET PATAVII INTERPRETI EXIMIO,
MVLTIS AD SVMMOS PRINCIPES
LEGATIONIBVS FVNCTO,
ROMANAE ROTAE DECANO
INTEGERRIMO,
PERVSIAE EPISCOPO DESIGNATO,
ROMAE MORTVO,
ET IN PATRIAM RELATO.
POLIDORVS FRATRI
OPT. POS.
VIXIT ANN. LXX OBIIT VIII. IDVS AVG.
MDLXXIII.

De nostro Iulio cum laude tractant Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 1. Alexander Balestrinus in Memorijs Perusinis, Pellinus in sua hist. Crispoltus in Perusia Augusta, Ferdinandus Vghellius Tom. 1. Ital. sac.

IVLIVS RECTABENIVS Perusinus in Societatem Iesu à puero admissus, quatuor vota in ea nuncupauit, docuitque Philosophiam, & Theologiam moralem, & pluribus annis Rectorem Collegiorum egit, obijtq; mense Octobris anno salutis 1656. apud Maceratam in Piceno, cum edidisset in patria anno nostri seculi decimo septimo, Carmen latinum á se scriptum, occasione publicę disputationis, quā habuit Perusiæ Paullus Racanus Tudertinus.

IVLIVS SPINOLA Genuensis, Collegio Nobilium Perusinorum adscriptus, post studia felicissimè confecta, inter Referendarios Signaturę in Romana Curia admissus, pręfuit Perusię, Vmbriæque Prouincię; Nuncius Apostolicus res Ecclesię Romanę administrauit in Regno Neapolitano primùm, tum apud Cęsarem, iam renunciatus Archiepiscopus Laodiceę; sacra purpura ab Alexandro VII. ornatus, á Clemente X legatus ad Polonos est destinatus. Episcopus dum hæc de illo scribimus post Sutrinam, & Nepesinam, Lucensem in Etruria Ecclesiam, cum subditorū vtilitate maxima, Innocētij XI. iussu regit.

Habet tantus hic Cardinalis apud se M. SS. Volumina plura literarum, tum familiarium, tum negotialium, quarum aliquas publici iuris fecit Michael Abbas Iustinianus in suis memorabilibus Epistolis, & in historia Contagij Auellini. *Edidit etiam acta Synodus Sutrinę, & Nepesinę.*

Meminerunt huiusce Auctarij Ciaconij, & Nos in Athenęis Romano, & Ligustico.

IVLIVS TERENTIVS RODOMONTIVS Perusinus, Carmine etrusco edito Perusię 1673. parentauit Antonio Baptistę Dionisio, Militum Duci, defuncto in propugnatione Cretę Vrbis contra Turcas.

IVVS COPPOLA, vide Ibo superius.

LAM-



L



LAMBARDVS de LAMBARDIS origine Aretinus, patria Perusinus Iuris Consultus, & Poeta non infimæ notæ, anno nostri seculi quinto supra trigesimum Carmine latino typis patrijs publici Iuris facto, Responsa Timothei de Timotheis summis laudibus extulit.

LAVRENTIVS BALDELLIVS Perusinus, Poeta non infimæ notæ, obque omnigenam rerum omnium eruditionem illustris claruit nostro seculo, cuius anno decimo septimo posteritati tradidit typis patrijs Carmen latinum, scriptum occasione publicæ disputationis, habitæ Perusiæ à Paulo Racano Tudertino.

LAVRENTIVS CIANVS Typographus Episcopalis Perusinus, suis literis materno idiomate, Francisco Marię Rini de Polizzi Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci, sacrauit Volumen Concionum Aduentualium Perusiæ habitarum à diuersis anno salutis humanæ 1672. in Ecclesia Principe Sanctis Laurentio, & Herculano sacra.

LAVRENTIVS de CINQVINIS patria Perusinus, professione Monachus Cassinas, ante Monachatum cum literis humanioribus vacaret in Seminarij Episcopalis Collegio, versu latino, typis patrijs euulgato anno 1665. fasciolas infantulæ Mariæ celebrauit; Alijs verò publici Iuris ibidem factis, annis 1665. & 1671. D. Basilij Magni

laudes cecinit. renuntiatus Monachus D. Dominicus nuncupatus, Theologiam in arctum collectam, anno 1677. Perusiæ euulgauit.

LAVRENTIVS GHINIVS Seminarij Episcopalis Perusini Alumnus, anno currentis seculi septimo supra quadragesimum Carmen latinum edidit de Natiuitate Virginis Mariæ.

LAVRENTIVS MONTEMELINVS Perusinus, procurante Carolo de Comitibus, Perusiæ, Vmbrięque Gubernatore, vna cum alijs collegit, typisque patrijs anno 1595. euulgauit Comitinas Constitutiones, continentes varia Decreta, & Reformationes diuersorum, qui Augustæ Perusiæ gubernio præfuerunt.

LAVRENTIVS Perusinus sacræ Theologiæ professor, anno nostri seculi decimo in lucem edidit Friburgi in Brisgouia, Germaniæ magnę Regione, Opusculum cum titulo, Præconium vitæ solitariæ S. Basilij Magni in 8.

Meminére huius Georgius Draudius in Bibliotheca Classica, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

LAVRENTIVS RATTVS Perusinus Musicæ rationis studiosus, Lauretanæ Domus Virgineæ Phonascus, seu vocum Magister, in lucem edidit elucubrationes plures musicales, & concentus varios Organicos, Vocumque.

De hoc agunt Cæsar Crispoltus in sua Perusia Augusta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

LAVRENTIVS, ob ingenij acumen, spiritumque, Spiritus cognominatus, ex quo Gualterij hodierni, patria Perusinus, eloquentia, Poesique clarus, florebat anno à partu Virginis 1460. quo scriptis consignauit metricè Vitas Comitis Iacobi filij Nicolai Piccinini, quam Vlissi, & Braccij Fortebraccij, quam Achilli comparauit.

Insuper Iacobi Piccinini funus vberrimè defleuit, & Griffi lamentationes expressit.

Alia de alijs Perusinis Illustribus ad Lyram cecinit, quę M. SS. asseruantur in Bibliotheca Augusta.

De

De hoc Bottonus in Annal. Perusinis, Cæsar Alexius Cent. 2. Elogiorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Felix Ciattus lib. 1. Perusiæ Etruscæ, Pellinus in sua historia.

LAVRENTIVS ANTONIVS LAZZARINVS, Io: Baptistæ filius, patria Perusinus, qui Musis perfamiliaris vitam viuebat studijs scientiarum deditus anno 1676: Epigrammatibus publici Iuris factis anno præcedenti 1675. typis patrijs apud hæredes Zecchini, Purpuram Federici Cardinalis Columnæ extulit.

LEANDER honesta BOVARINORVM familia, Perusiæ natus, liberalibus disciplinis optimè imbutus, in omnibus ferè scientijs versatus, Principibus Italiæ pergratus, inter Academicos Insensatos cooptatus, claruit Italica poesi, & eruditione singulari in fine seculi decimi sexti. Aulicus Ducis Sabaudi, ad nuptias Cattarinæ Austriacæ, cum ipso Duce, Hispanias petijt; indè regressus cum ad senectutem vergeret, augendi patrimonij cupiditate captus, Romam se contulit, ad agrariam artem exercendam, sed breui temporis spatio, aeris grauitate decumbens, obijt.

Huius scientiæ æterna testimonia erunt apud Posteros.

Dialogi, seu Discursus quinque, quorum primus, de Pudore, à se habitus in patria Academia Insensatorum die 14. Februarij anno reparati Orbis 1593. Alter de Moru, ibidem dictus die 25. Aprilis 1602.

Tertius de silentio opportuno.

Quartus de Tempore.

Quintus de Gemmis, ibidem lecti, & euulgati primò diuersis temporibus; tum simul Perusiæ anno 1603.

Scriptis etiam consignauit Volumen Carminum Rythmicorum etrusca lingua, publici iuris factum Perusiæ cum Discursibus, anno laudato in 8. apud Vincentium Columbaram, & Opusculum prænotatum *Frutti dell' Autunno*, cum Regulis. Reliquit quoque M.SS. Carmina alia

alia Lyrica, & Casimirum Tragædiam.

Celebrant tantum virum Cæsar Alexius in Elogijs, Io: Baptista Laurus in Carmine, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino.

LEANDER, alijs Leonardus SIGNORELLVS Perusinus, Appollini æqué, ac Marti carus, virtutumque omnium perpetuus sectator, gratus proindè Leoni X. Pontifici Maximo, magnique ab eodem æstimatus, quia illi maximè in amore erat Poesis. Amabatur igitur Signorellus noster a Leone Pontifice; odio ideò, seu inuidiæ erat æmulis, qui eius gloriam ferre non valentes, id tandem egère, vt tanto Principi redderetur inuisus. Ingratum cum esset Leonis auribus Leandri nomen, fortè fortuna nonulla eiusdem Carmina lyrica in Pontificis manus venère. Legit Princeps, literarum amantissimus, & Carminum suauitate delinitus, iterum non solum amauit, sed eiectum in gratiam recepit, retinuitque apud se ad obitum, quo sequuto Adrianus VI. successor, cum illum artis militaris, machinarumque componendarum ad tuendas arces, iuxta Mathematices præcepta peritissimum sciret, ad Magnum Equitum Hierosolymitanorum Magistrum transmisit, vt Rhodum Vrbem, arcemque non solum Equitum, sed Christi fidelium omnium, contra Turcas tueretur. Adhuc in itinere erat, & expugnatum nobilissimum Christianæ Fidei propugnaculum accepit; redit ergó ad suos, precluso non tamen ad labores, quam ad gloriam aditu, tristior. A Republica Florentina paulò post tormentis bellicis præfectus, eo in munere cum strenuam operam præstaret, fato cadit, & extinctus est, anno salutis humanæ 1530.

Multa Italicè scripsit, valebat enim, vt indicauimus calamo, & gladio, in omnibus sibi similis, elegantiæ, ac leporis plenissimus; At in eo opere quod inscripsit Erophili, & Æmiliæ amores, Attium Sincerum æmulatus, se ipsum vicit: Multi, vt id operis in publicam lucem daret,

daret, suasère, sed ipse maluit sua prælo digna haberi, quam exprimi.

Elaborauit quoque Volumen rythmicum pro versu etrusco, quo similiter desinentia in Poetarum commodum exponit.

De hoc tractant Alexander Balestrinus in memorijs, & de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 1. Pompeus Pellinus in hist. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

LELLIVS BONTEMPVS Perusinus, genitor Andreæ Martini Bontempi Antistitis Perusini, & S. R. E. Cardinalis sub titulo SS. Marcellini, & Petri ab Vrbano VI. renunciati, Iuris consultus magni nominis, Philosophia, ac eruditione præclarus, posteris tradidit Opuscula plura in iure, quæ proferuntur à multis.

LEMMIVS RVBEVS, vuolgo *Rossi* Perusinus, in patrio Augusto Lycęo Philosophiæ, ac Mathematicę professor, anno seculi decimi septimi post Christum natum sexagesimo sexto, Perusinis typis euulgauit Italica lingua Opus, sub titulo Sistema Musicum, seu Musica speculatiua, inscriptum Lucæ Alberto Patritio, Consistoriali tunc temporis Aduocato, postea Episcopo Perusino.

Ibidem ijsdem typis anno 1664. publicæ luci commisit Opusculum aliud Italicum, inscriptum, *Modo facile, & esatto per osseruare le Comete, & i nuoui Fenomeni, senza instrumento matematico, con l'atuto di alcuni fili.*

LEO huius nominis primus, Pontifex Maximus in ordine 40 cognomento Magnus, Quinctiani filius, natione Turcas, quem antiquissima Perusinæ Vrbis monumenta Perusinum fuisse testantur; quare quem Maiores conciuem habuere, posteri, vt singulare Patriæ decus ad hanc diem venerari semper sunt. Puer Romam se contulit, vbi sacris, profanisque literis insigniter eruditus, aliquando inter Canonicos Regulares vitam duxit sanctissimam S. R. E. Archidiaconus deindè, tum Pontifex Maximus

mus renuntiatus, effecit, vt illicò Orbis Christianus sentiret cui capiti subesset: Nam Manichæos Romæ, Pelagianos in Campania, Priscillanistas in Hispania vno impetu profligauit. Nestorianos, defensa Ephesina Synodo contriuit, Eutichetem, data ad Flauianum Constanstantinopolitanum Antistitem epistola, redarguit, eumdemque mox acrius instantem, habito Episcoporum Conuentu Calcedone, sacris proscripsit. Cum autem Attila Hunnorum Rex excisa Aquileia, infesto exercitu Romam peteret, trepidantibus Ciuibus, Leo Barbaro Regi, qua Mincius influit in Padum occurrit, diuinaque dicendi vi persuasit, vt conuersis signis, incruentus abiret. Quatuor vicibus consecratis Episcopis 185. Præsbyteris 81. Diaconis 31. Tertio Idus Aprilis, anno salutis humanę 462. Pontificatus mense decimo, dieque duodetrigesimo supra vigesimum annum in pace quieuit Romę: Pontificia sanctitate, Apostolica facundia, modestia christiana, omnique virtute admirabilis: post obitum conditus in Vaticano, eiusdemque nomen sacris fastis adscriptum.

Tantus hic vir in Ecclesiæ commodum, & Patriæ Decus scripsit.

Tractatum aduersus errores Eutychetis, aliorumque Hæreticorum.

Enchiridion, seu Enarrationem in Christi passionem.

Isagogen, seu introductionem in eamdem.

Aduersus Eutychetem libros duos.

De Symbolo Niceno librum vnum.

Alium ad Leonem Imperatorem.

Ad Inquisitiones Ianuarij librum vnum.

Alterum prænotatum, Confessio Leonis.

De Incarnatione Verbi Commentarium aduersus Pelagianos.

De Pelagianis conuictis, quomodo recipi debeant.

Sententias ex Concilio II. Arausicano.

Homi-

Homilias eloquentissimas 97. de præcipuis Domini, & Sanctorum solemnitatibus; Epistolas de translatione S. Apostoli.

Epistolas Decretales, & familiares plures, ex quibus illa ad Flauianum, quæ incipit (lectis dilectionis tuæ literis) magna veneratione recepta fuit in Synodo Calcedonensi ab omnibus, & singulis Patribus act. 4. & Gelasius Papa in Decreto de libris Doctorum dicit anathema ijs, qui epistolam hanc Diui Leonis integram, & vsque ad vnum iota non recipiunt. Harum 12. sunt ad Marcianum, 13. ad Leonem Augustum; 9. ad Flauianum Episcopum; & 82. ad Episcopos per Orientem.

Scriptis etiam consignauit de partu Virginis Sermones decem.

Homiliam super missus est.

Et Sermones de Natiuitate Mariæ.

Tribui communiter solet huic Doctori liber de conflictu virtutum, & vitiorum; sed is liber ex Bellarmino S. Leonis Papæ esse non potest, cum in eo fiat mentio Regulæ S. Benedicti, qui natus nondum erat.

Sub tanto Pontifice Concilia Romanum, Constantinopolitanum, Calcedonense, Arausicanum, Vasatense, Alexandrinum, Arelatense, & Andegauense celebrata, ipse confirmauit.

De Leone tractant Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annalibus Ecclesiasticis, Anastasius Bibliothecarius, Genebrardus, Adrianus I. Papa, Epistola ad Carolum Magnum, S. Antoninus par. 2. hist. Bellarminus de Script. Eccles. Binius, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, Beda, Idatius Episcopus, Prosper Aquitanus in Chronico, & Nos in Necrologio, & in Athenæo Romano, cum reliquis omnibus qui historiam Ecclesiasticam, Pontificiam, & Sanctam explicarunt. Eumdem Perusinum faciunt Pompeus Pellinus, Cæsar Crispoltus, Felix Ciattus in suis historijs, Io: Baptista

Laurus

Laurus in Epist. Scipio Tolomeus in literis, Cæsar Alexius in Elogijs, & Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

LEO BARTOLINVS patria Perusinus, Iuris vtriusque Doctor primi nominis, clarebat anno salutis 1580. quo Institutionem Canonicam publicè in patria Academia explanabat.

Publici Iuris sunt ab hoc auctore Compendium Iuris Canonici, nec non lectiones variæ.

Celebrant hunc Leonem Io: Baptista Zilettus de claris legum Interpretibus, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

LEO OLIVA patria Perusinus, Academicis Insensatis die 18. Octobris, anno salutis humanæ 1592. adscriptus, Orator eloquentissimus, & Poeta inter suos non vltimus, Orationem latina lingua scripsit, dixitque die 7. Mensis Martij, anno nostri seculi secundo, in Palatio Magistratus, coram Bonifacio Cardinale Beuilaqua legato, Alexandro Magio Vicelegato, Magno Priore Aldobrandino, & Carolo Pio, Insensatorum Principe, de bonis, quæ Reipublicæ, & Academijs adueniunt. adseruatur M.S. apud Patres Societatis Iesu in Collegio Perusino, ex legato Dionysij Crispolti.

LEONARDVS BALESTRINVS Perusinus, Francisci Assisinatis instituta à puero amauit, quare in eam religiosam familiam admissus, breui in christiana sapientia, & sanctimonia radices egit, quæ suauissimos fructus pollicerentur, quos postmodum etiam præstiterunt. A Iulio II. Pontifice Maximo, Francisco Soderino Cardinali Volaterraneo proponente anno salutis 1503. Colossensem Ecclesiam accepit, vt sacris in ea præesset; in qua dignitate sic vixit, vt constaret promeruisse, Rhodios obsidentibus Turcis diù feliciter, consilio, voceque firmauit. Obijt anno 1522. plenus non tam annis, quam virtutibus, parto sibi, Patriæ, & familiæ decore immortali.

Tantus hic vir, humanis, diuinisque literis excultissi-

mus

mus reliquit pro posteris Sermonum Quadragesimalium, Aduentualium, & Dominicalium Volumina plura, & alia in re Theologica. Publicę luci tamen solum commisit Orationes aliquas sacras.

Hunc aliqui inter Prędicatores numerant, & Magistrum in sacra Theologia, ac Poetam illustrem prędicant, eiusdemque extare Carmina plura M. SS. affirmant.

Meminere nostri Leonardi Tabulę Vaticanę, Alexander Balestrinus in Memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Cæsar Alexius in Elogijs, Pellinus in hist. Felix Ciattus in Elogijs.

LEONARDVS MANSVETVS Perusiæ ad pietatem natus, á pueritia optimis iam literis institutus in Prædicatorum claustra se recepit, in quibus breui Theologiæ Magister renuntiatus, à Sixto IV. Pontifice Maximo Sacri Palatij Apostolici Magister primùm, deindè eodem iubente totius Ordinis in Comitijs anno 1474. celebratis, Prior Generalis omnium votis proclamatus, sanctitate, & doctrina clarus Ordini suo præfuit vsque ad annum 1481. quo, die 25. Iunij fato communi cessit, pro posteris eruditè, & deuotè plura in sacra Theologia exarata reliquens. Hic Bibliothecam Cœnobij Perusini extruxit, multisque libris exornauit.

De hoc Chronistæ sui Ordinis, Fontana in Theatro Dominicanorum, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs, Pellinus. & Crispoltus in hist. suis.

LEONARDVS Perusinus Monachus Cassinas, doctrina, nec non pietate. florebat anno à natiuitate Christi 1517. quo scripsit multa metricè tum latina, cum etrùsca lingua; Inter quæ extat liber Elegiarum de Christo Domino, & Sanctissima Matre; & versu heroico de reparatione Ordinis Monastici. Quod Opus M. S. adseruabatur in Bibliotheca Abbatis Constantini in Vrbe.

Est huiusce mentio apud Hippolytum Marraccium in

Bibliotheca Mariana, nec non Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

LINVS multarum illustrium virtutum vir, omnium voce, natione Italus, patria Volaterranus, origine, ex aliquibus Perusinus, in Diui Petri Apostolorum Principis locum ex Præsbytero S. R. E. suffectus, scripsit Petri, & Pauli passionis acta; nec non historiam altercationis ipsius Petri cum Simone Mago; quorum tamen primum Opus ab Hæreticis vitiatum, Vesuntione in Gallia purum asseruari testatur Chiffletius.

Cum autem sedisset in Petri Cathedra annos vndecim, totidemque menses, & dies tres supra viginti, Romæ ab Ethnicis Martyrio affectus 9. Cal. Octob. anno Domini 79.

Huius Pontificis acta referunt Baronius in Annal. Eccles. Irenæus, Eusebius in Chronico, & in hist. Optatus Mileuitanus, Epiphanius, Hieronymus, Bellarminus de Script. Eccles. Nicephorus vterque in Chronico, & in hist. Gregorius Turonensis in hist. Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Cæsar Alexius in Elogijs, Mariotellus in Vita S. Constantij Episc. Perusini; Nos in Necrologio Romanorum Pontificum, & in Athenæo Romano, Martyrologium Romanum, & reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.

LVCAS ALBERTVS PODIANVS Perusinus, qui Rhetoricis, poeticisque studijs summopere exultus, Mathematicæ, Philosophiæ, ac Medicinæ tam sedulam nauauit operam, vt earumdem facultatum laurea decoratus, magistralem quoque Cathedram Medicinæ in patrio Lycæo magna audientium frequentia, & plausu impleuerit docendo, medendique praxim tam fructuosè exercuerit, vt ægroti à prudenti eius arte medendi conceptam sanitatem sæpe reportarint. Oratoriç quoque facultatis, rectèque dicendi munus eruditè, & prudenter expleuit, quando vnus ex Oratoribus à Patria missus ad Adrianum VI. ad Clementem VII. & ad alios Pontifices Maximos.

Adfuit

Adfuit Magiſtratibus patrijs à ſecretis, quorum iuſſu Legatione functus eſt Florentiæ apud Cardinalem Legatum Vmbriæ.

Senio tandem confectus, editis eruditiſſimis tractatibus, de Peſte, de Febre, & de Oculorum natura, placidè extinctus eſt in Patria.

Scripſit etiam Orationem de laudibus Peruſiæ, quam ipſemet habuit coram ipſo Pontifice Paulo III. & Cardinalibus.

De hoc tractant Pompeus Pellini in ſua hiſtoria, Cæſar Alexius in Elogijs, Alexander Baleſtrinus in Memorijs Peruſinis.

LVCAS ANTONIVS CALVIGIVS, è Montelagello, Oppido in Comitatu Peruſino, Sacerdos Paroeciæ Patriæ Præpoſitus, adhuc anno 1676. inter viuos, cum inter Clericos Seminarij Epiſcopalis Peruſini, humanioribus literis operam daret, Carmine latino typis Peruſinis publicis Iuris facto anno á Natiuitate Chriſti 1666. laudes cecinit B. Mariæ Virginis.

LVCAS ANTONIVS CAMALTVS Peruſinus, Philoſophus, Medicus, ac profeſſor Theoricæ in patrio Gymnaſio, edidit in lucem anno voluentis ſeculi, decimo in Typographia Auguſta Italicè Opus, ſub titulo, *Il Reggimento per viuer ſano ne tempi caldi*.

De quo Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

LVCAS ANTONIVS HERCVLANVS, patria Peruſinus, Poeta magni nominis, & eloquentia illuſtris, ſcriptis conſignauit latino Idiomate, communique luci commiſit anno 1614. in Patria apud Aloyſios, Icon, ſeu Epitaphium Federici à Corneo Peruſini.

Inſuper Himæneum Claudij Catuli in etruſca carmina conuertit.

Scripſit etiam Canticum etruſcum in nuptijs Petri Antonij Ramazzani, & Septimiæ de Oddis, ſub titulo, *Gli Occhiali*, *in* 4. Peruſiæ; anno autem 1633. laureas docto-

rales, Horatij Fagnani Ariminensis, & Io: Francisci Pasquæ, ac Octauij Arnulsini Lucensis exornauit, extulitque Idyllium, inscriptum l'Atteone Hieronymi Fumagioli. Lugubri verò Carmine Contessinæ ex Marchionibus Montis in Vbaldis mortem defleuit. Eiusdem literæ italicé publici iuris sunt ex Typographia Augusta anno 1620. cum laudato Idyllio Fumagioli.

De quo tractanr Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Scipio Tolomeus Tom. 1. Literarum.

LVCAS BALLIONVS Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, patria Perusinus, vir doctus, & pius, Sacer Orator, scripsit Italicè, Venetijs anno 1562. publici iuris factam, Artem Concionandi iuxta præcepta Rhetorices.

Celebrant tantum virum Lucas Vuadingus de Script. Ordinis Minorum, Ludouicus Iacobillus de illis Vmbriæ, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium ad Ballionum de Ballionibus.

LVCAS HERCVLANVS, alius à Luca Antonio eiusdem agnominis, patria & hic Perusinus, in vtroque Iure Laureatus, & publicus professor Iuris prudentiæ in Patrio Gymnasio, inter viuos doctrina præstantes sui æui, non vltimus, scriptis consignauit multa, quæ posterorum incuria, vel perierunt, vel iacent in tenebris; Cum autem consilio, & Opere plurimum Patriæ, alijsque profuisset, vt meritorum gloria frueretur, senio confectus placidè dies suos expleuit.

Viuius in celeberrimo suo omnium opinionum libro, Lucam nostrum eximium Doctorem nominat; eumdemque celebrant Cæsar Alexius in Elogijs, Alexander Balestrinus in notitijs Academiarum Perusinarum.

LVCEIVS ARCHIVS Perusinus Augur, Augurumque socius, scripsit historiam Patriam, vt habet Felix Ciattus lib. 1. Perusiæ Etruscæ, ex fragmentis Etruscis á Curtio Inghiramo collectis.

LVCIVS BALDELLIVS Perusinus in vtroque Iure versatus, Ciuilisque in Patria Academia professor, seculo proximè elapso, M. Antonij Bonciarij discipulus eruditus, Græcis, Latinisque literis ornatus, quibus viros omnes doctrina præstantes sui æui sibi amicos captauit; Epistolas plures exarauit latino idiomate, quarum illas ad Bonciarium Præceptorem excusas inuenies typis Perusinis anno salutis humanæ 1613. cum illis eiusdem Bonciarij.

LVCIVS ÆMILIVS Perusinus, Orator eloquentissimus, apud Romanos, tempore Ciceronis, in publico Senatu orauit contra Cæsaris peremptores.

De Lucio Æmilio tractant Appianus Alexãdrinus lib. 5. belli Ciuilis, Felix Ciattus lib. 3. Perusiæ Augustæ.

LVCVLLVS BAFFVS origine Corinaltensis, natus Perusij, Io: Baptistæ filius, Baffi de Baffis genitor, professione Medicus, Philosophiæ Doctor, Musis familiaris, Medicinam in Perusina Academia nostro hoc seculo publicè professus est; & scripsit plura metricè ad lyram Italicam. Huius Poematium ad Philippum Albertum Perusinum publici iuris factum est typis Romanis anno voluentis seculi secundo, cum eiusdem Alberti Lucubrationibus. Scriptis etiam consignauit multa de antiquitate Perusię. E vita migrauit in Patria die 16. Martij anno eiusdem seculi trigesimo quarto. Iacet apud Minores Obseruantes in Templo S. Francisci de Monte.

Celebrant Lucullum Cęsar Alexius in suis Elogijs.

LVDOVICVS ALBERTI Perusinus, Musarum alumnus, Philippi, eiusdem agnominis Poetę illustris filius, Bibliothecę Augustę Prefectus, quem etiam librorum recognitorem sacer Vmbrię Quesitor nominauerat, eorumdemque imprimendorum curam iniunxerat, Academicus Insensatus, eloquens Orator, Philosophus primę notę, naturę arcana solers inuestigauit, eodemque omniũ plausu in patrio lycęo explicauit. latinam linguam, nec non etruscam, gręcam optimè calluit, vt ex his fontibus plenio-

pleniorem haustum duceret sapientiæ '. Cum autem quartum supra trigesimum suæ ætatis annum ageret, rem suam ex improuiso tragicè absoluit; nam die 15. Februarij, anno 1638. noctu sclopi ictu percussus, fortuita morte absumptus est cum Carmine etrusco typis Perusinis euulgato anno 1633. cecinisset laudes Io: Francisci Pasquæ in laurea obtenta in Iuris prudentiæ scientia; alio simili ibidem publici Iuris facto anno 1635. Cæsaris Alexij Centuriam primam Elogiorum commendasset, & alio eodem in loco excuso, defleuisset mortem Georgij Boreæ nobilis Lugensis. Reliquit tamen M. SS. Compositiones alias, perdignas ingenij, totius naturæ capacis. Apud Academicos Insensatos tanto Viro iusta peracta anno eiusdem seculi vndequadragesimo, orante, Felice Verducciolo, Oratore eloquentissimo.

LVDOVICVS ALEXIVS, alias de Perusio cognominatus, iuris peritus suo æuo clarus, à Ziletto, qui vltimarum voluntatem Consilia congessit, Consilio 49. vnicè commendatus, plurimarum Lucubrationum in Iure auctor fuit, quæ ciuilibus bellis dispersæ ad nostram notitiam non peruenerunt.

De hoc Cæsar Alexius in Elogijs.

LVDOVICVS AVRELIVS Perusinus, politioribus literis apprimè excultus, inter Patres Societatis Iesu Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ studijs tanto animi, corporisque conatu incubuit, vt in magnam stomachi laxitudinem inciderit, ita vt Medicorum, & Superiorum suasionibus ex Claustris, ad paternam Domum pro valetudine recuperanda redire coactus fuerit. Tandem post trium annorum dirum morbum, materna cura, & diligentia conualuit, & Iuris prudentiæ studijs incumbens, non solum eius scientiæ, sed Philosophiæ, ac sacræ Theologię lauream suscepit; Cumque ingenij acumine, studiorumque labore disciplinas omnes, & maximé historiarum cognitionem calleret, Basilicæ Lateranensis Canonicus renun-

renuntiatus, ex latina in Italicam linguam conuertit Compendium historiarum, ab Origine Mundi ad annum 1599. ab Horatio Tursellino Societatis Iesu latinè confectum, cui ab anno prædicto 1599. ad 1635. ipsemet, & ab anno 1635. ad eiusdem seculi quinquagesimum, Bernardus Oldoinus meus Germanus frater, & ab anno 50. ad 75. alij tacito nomine additamentum fecère.

Vertit etiam Ludouicus noster in maternum sermonē Floram Ioannis Baptistæ Ferrari è Societate Iesu.

Insuper in arctum collegit latino idiomate Annales Ecclesiasticos Cæsaris Cardinalis Baronij, & duobus voluminibus paruis, typis Perusinis euulgauit primum anno 1634.

Compilauit etiam eadem lingua Annales Ecclesiasticos Fr. Abrahami Bzouij Dominicani.

Familiarum Illustrium Genealogias descripsit, & Discursus plures de illis composuit.

Elaborauit quoque historiam Defectionis Boemiæ italica lingua, euulgatam Romæ anno 1625. in 8. apud hæredes Bartholomæi Zannetti.

Cum claruisset etiam Poesi, Pompei, & Germanici Tragedias, latino primùm, deindè etrusco carmine exarauit.

Reliquit M. SS. Elogiorum diuersorum Volumen, Orationes plures, & Selectiora quædam exempla.

Augustæ Bibliothecę Patrię Pręposìtus in augustiori loco ęam reposuit, illamque magna elegantia composuit.

Romę é viuis abijt anno nostri seculi septimo, funere cohonestatus in Ecclesia Farnesiana apud Patres Societatis Iesu, iussu, & impensis Antonij Cardinalis Barberini Vrbani VIII. nepotis, cuius seruitutem in vita coluerat.

Meminere huius Cęsar Alexius in Elogijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Crispoltus in Perusia Augusta lib. 3.

LVDOVICVS BALLIGNVS è Sueuię Ducibus genus trahens,

trahens, cum Federico I. Imperatore eius Consanguineo in Italiam veniens, anno ab Orbe redempto 1161. Perusinis, quibus leges scripsit, Pręses summo cum Imperio est datus; Auctor hic fuit familię Ballionę Perusinę, quę plures armis, literisque Illustres Viros non modo Vmbriæ, & Italiæ, sed Orbi penè vniuerso genuit.

Est nostri Ludouici mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

LVDOVICVS BENIVS Perusinus, Philosophiæ, sacræque Theologiæ Doctor, quam postremam facultatem publicè profitetur in Gymnasio patrio, Academicus Insensatus, eiusdemque Academiæ Censor, Parœciæ Sancti Christophori Sacerdos, anno 1677. inter viuos, ab exercendis grauioribus animum aliquando remouens, poesi ad naturæ leuamen impendit. In hac facultate scripsit Poematia nonnulla.

Vnum videlicet etruscum anno 1640. in morte Ludouici Alberti, aliud in obitu Marci Antonij Eugenij iunioris, alterum 1669. in commendationem Cornelij Oddi Equitis Calatrauæ. Quartum 1672. in laudem D. Mauri Baronij Abbatis Oliuerani sacri Oratoris; & quintum anno 1675. quo extulit Purpurã Federici Cardinalis Columnæ.

LVDOVICVS CANTAGALLINA Perusinus, Iuris Interpretandi, docendique peritus in patria posuit fundamenta doctrinæ; exinde Pisas se contulit Iuris prudentiæ operam daturus. Quadriennium illic cum fructu egit, laurea deindè in patria die 23. Ianuarij anno voluentis seculi vndecimo donatus, & Iuris Consultorum Collegio adscriptus die 27. Augusti anno sequenti 1612. publicum docendi munus accepit. Firmani, tum Maceratensis suam in Academiam Ludouicum aduocarunt, demum ad Patauinum Gymnasium magnis stipendijs euocatus est; Inter hæc per quadriennium amplissimo Balleono Præsuli in Germania Nuncio Apostolico adhæsit à causis. Posteris

tradidit

tradidit Lecturas, quę M. SS. apud plures summo studio adseruantur.

Meminère Ludouicj huius Hieronymus Tetius in Ædibus Barberinis, Cęsar Alexius in Elogijs.

LVDOVICVS CENCIVS Perusinus, pietate, & eruditione nobilis, Iuris vtriusque Professor in patrio Gymnasio, in Collegio Doctorum Decanus, sępius pro Magistratu ad Principes varios legatione perfunctus, perfecit sua prudentia, vt Perusina res apud Orbis Capita, non modò honorificè, sed planè gloriosè haberetur. Ad hęc Corneorum, & Ballioneorum ditiones rexit integritate summa, & sollicitudine singulari. tandem è vita migrauit die 20. Iulij anno Christi 1637. ętatis suę 79. cum edidisset Venetijs apud Ioannem Salemum in fol. vtilem tractatum de Censibus, cum 210. Decisionibus Rotalibus super eosdem.

Ex hoc labore tantum apud Iuris peritos authoritatis, tantum apud suos venerationis, tantum deniquè apud omnes glorię consequutus est, quantum triplex eiusdem Operis editio, breui tempore facta, contestatur.

Eiusdem Consilium typis patrijs datum anno 1635. cum Responsis Timothei, de Timotheis inuenies.

Elaborauit alia Opuscula, quę nondum in publicam lucem venerunt, & tractatum de Procuratoribus.

De hoc tractant Cęsar Alexius in Elogijs Cent. 2. *Ludouicus* Iacobillus de Script. Vmbrię, Cęsar Crispoltus in sua Perusia Augusta.

LVDOVICVS FLORIVS, patria Fratensis, ex agro Perusino, anno Christi 1610. ętatis 30. vtriusque iuris laurea iam tum ornatus, Societatem Iesu ingressus est Romę. Maximam suę vitę partem Religiosus exegit in Sicilia, vbi procurationem illius Prouincię multis annis obiuit cum laude prudentię, ita tamen, vt quidquid temporis superfuerit ab officio, totum vel in excipiendis sacris confessionibus, quorumque de plebe hominum, vel in

transferendis in italicum idioma pijs Opusculis, impenderit. Excessit ex hac vita Panormi in mense Septembris 1647. Scripsitque italicè.

Tractatum de modo referendi in rationum libros, quidquid datum, & expensum est. Panormi per Decium Cirillum in fol. 1636.

Accessit exemplar libri sui duplicis domestici cum suo Diario.

Reddidit ex latino italicè.

Hortulum Marianum Francisci de la Crois è Societate Iesu. Panormi 1637. & Romæ typis Mascardi 1641.

Gymnasium Patientiæ Hieremiæ Dresselij. Panormi, formis Decij Cirilli 12. 1629.

Infernum Damnatorum carcerem, eiusdem Dresselij. Romę typis Mascardi in 12. 1641.

Prodromum æternitatis eiusdem. Romæ in 12. 1642.

Tribunal Christi eiusdem. Romæ in 12. 1643.

Noc eiusdem. Ibidem in 12. 1644.

Amusim eiusdem. Ibidem in 12. 1645.

Ex hispanica transtulit in Italicam linguam.

Librum vitę, Iesum Crucifixum Io: Eusebij Nierembergij. Panormi typis Petri Coppolæ in 12. 1648.

De affectu, & amore erga Beatam Virginem, eiusdem Ibidem in 12. 1653.

Soliloquia diuina Bernardini de Villegas. Romæ in 16. 1640.

Labores Christi ex lusitanico Fr. Thomæ à Iesu, Augustiniani. Romæ in 4. per Hermannum Scheus 1644.

Vitam P. Iosephi Anchietę Societatis Iesu, scriptam á P. Stephano Paternina. Messanæ per Petrum Beam in 8. 1639.

Vertit præterea ex hispanico italicè, quæ nondum sunt edita.

Vitam P. Balthasaris Aluarez.

Vitam P. Iacobi Lainez.

Com-

Compendium vitæ P. Salmeronis.
Vitam S. Ignatij ſcriptam à P. Euſebio Nierembergio.
Tractatum de Concionibus S. Franciſci Borgiæ.
Meminère Ludouici noſtri PP. Philippus Allegambe, & Natanael Sotuellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu.

LVDOVICVS MARTINELLVS Peruſinus, Io: Pauli, de quo ſuperius frater, vtriuſque Iuris Doctor, noſtra ætate literis, & virtute conſpicuus; Poeta preclarus, Poematia plura etruſca lingua typis patrijs impreſſit; nempè.

In Apotheoſi S. Petri de Alcantara vnum, Alterũ, in tranſlatione Reliquiarum S. Amantij ab Vrbe Roma, ad Ciuitatem Burgi S. Sepulchri, Tertium in laudem S. Roſæ Virginis Peruanæ, Quartum in ſupplicatione ſolemni facta in honorem B. Mariæ de ſeptem doloribus, Peruſiæ. Aliud in commendationem S. Lucæ Euangeliſtæ Pictorum Patroni.

Alijs diuerſis temporibus publicæ luci commiſſis, ampliſſimè laudauit Maurum Baronium Abbatem Oliuetanum, Ioannem Antonium Riccium, Sebaſtianum Fantonum Carmelitam, Io: Baptiſtam Bertum Monachum Silueſtrinum, & Federicum Trenta è Societate Ieſu, ſacros Oratores in Cathedrali Peruſina, tempore quadragenarij ieiunij, ſiue diebus ſacris Dominico aduentui.

Alijs, extulit laureas doctorales in Iure prudentia obtentas à Io: Antonio Frigerio, & Carolo de Honuphrijs Fulginatenſi; nec non Purpuram Federici Cardinalis Columnæ, Virtuteſque Petri Rubini Veneti, nepotis Illuſtriſſimi Io: Baptiſtæ eiuſdem agnominis, Peruſiæ, & Vmbriæ Gubernatoris, ac Franciſci Andreæ nobilis Neapolitani.

Demum alijs, nonullarum Virginum nobilium, Lauiniæ videlicet Raineriæ Peruſinæ, Olimpiæ Sorgenti Romanæ, Mariæ Victoriæ Baleſtrieri Anconitanæ, & Valentię

Virginiæ Valentis in varijs Italię Cœnobijs Deo deuotarum laudes cecinit.

Ode etrusca anno 1676. quo vitam ducebat cum virtute, typis patrijs euulgatam, Panegerim contexuit in commendationem Martialis Pellegrini Minorum Conuentualium Generalis: anno 1673. Poematio funus celebrauit Antonio Baptistæ Dionysio Militum Duci, extincto in propugnatione Cretę Vrbis contra Turcas: & anno 1677. Ciuibus Centumcellensibus in Patronatu S. Francisci Xauerij prospera pręcinuit.

Vidi eiusdem literas materno idiomate scriptas Carolo de Honuphrijs Fulginatensi, quibus obtulit Opusculum Italicum prænotatum, *l'Armonia della fama*.

Alia plura metricè scripsit, publicæ luci, tacito tamen Auctoris nomine, commissa.

LVDOVICVS de Perusio, vide Ludouicus Alexius superius.

LVDOVICVS POSTIVS Perusinus obtenta in Patria Academia laurea doctorali, Iuris prudentiam toto suę vitę tempore professus est. Sedit aliquando inter Iudices Rotę Maceratensis, & Genuensis. Pętor Piceni Prouinciam rexit, vir enim erat solerti ingenio, prudentia singulari, sermonis gratia, morum comitate, ac dicendi pondere tanto, vt omnibus amori esset, & venerationi.

Posteritati tradidit, ediditque Genuę anno pręsentis seculi quadragesimo sexto Opus de manutenendo, cum Decisionibus Rotę Romanę per Philippum Sermonettum in fol.

Item Maceratę in Piceno ante biennium in fol. pariter publicę luci commiserat Resolutiones causarum ciuilium, & supra Rotæ Auditores, nec non de Subastatione Tractatum.

Est huiusce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

LVDOVICVS RAINERIVS, doctrina inclitus, eximiarumque

rumque virtutum prærogatiua clarus, patria Perusinus, Musis pergratus, anno voluentis seculi decimi septimi, quinto supra quadragesimum, versibus latinis typis Perusinis euulgatis, celebrauit lauream doctoralem Io: Baptistæ Lazarini.

LVDOVICVS SENSI, Bernardini filius, Guidi Germanus frater, patria Perusinus, Cathedralis Canonicus, & Protonotarius Apostolicus, politioribus literis ornatus, in Philosophia doctus, Iuris vtriusque Doctor, primus à secretis Ciuitatis, publicus in patria Academia professor Iuris prudentiæ, Præfectus Nursiam, & Marscianum rexit, quinquies in laudem Pauli III. Pontificis Maximi Perusiæ orauit, quas Orationes typis eiusdem Vrbis, & Romanis publici Iuris fecit, annis 1542. & 1544.

Edidit etiam nonnulla Consilia, inserta Consilijs Diuersorum.

Idem historiam hominis, eruditione, & sententijs refertissimam, publicæ luci commissam anno eiusdem seculi septimo supra septuagesimum.

Et varia Poemata vernacula lingua etrusca, nec non Orationes aliquas.

Legationes verò, quas noster Ludouicus persæpè ad varios Principes, Patriæ nomine feliciter obijt, magnam eius demonstrant prudentiam; eiusdem autem in Perusina Vrbe existimationis obtinuit testimonium amplissimum, quod in senectute bona vita functo, omnium Ciuium lachrymæ parentarunt. migrauit é vita anno salutis 1578. ex alijs 1560. publicaque Oratione in sacra maiori Æde per Horatium Cardanetum eius laudes explicare fuerunt.

Tractant de hoc Pompeus Pellini Part. 3. lib. 6. hist. Perusinæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in Memorijs, & de Academijs Perusinis, Marcus Antonius Bonciarius in Epist. Cæsar Crispoltus lib. 3. Perusiæ Au-

gustæ,

gustæ, Octauius Lancellottus in Discursu Italico de Rainere Sensi.

LVDOVICVS de STAFFA Perusinus, doctrina non minus, quam armis illustris, floruit seculo decimo quinto à partu Virginis, Patriamque vnicé dilexit, cuius dignitatem, & decus vt sustineret, ab hostibus in pugna graui vulnere sauciatus è vita abijt die 4. alijs 5. Septembris anno quinto supra millesimum quadrigesimum nonagesimum, pro Posteris Tractatum reliquens de Militia.

Meminit huius Pompeus Pellini Par. 3. hist. Perusinæ.

LVDOVICVS ZVCCARELLVS patria Perusinus, professione Sacerdos, Paroeciæ Casæ Manzæ Præpositus, adhuc anno 1676. inter viuos, cum Iuuenis inter Clericos Seminarij Episcopalis Perusini studijs humanarum literarum intentus viueret, scripsit, ediditque in lucem anno 1666. typis patrijs Carmen latinum in laudem Infantulæ Deiparæ, & annis 1665. & 1671. in commendationem D. Basilij Magni; anno verò 1670. suis literis latina lingua Augustum Musarum Chorum in laurea Dominici Orsuccij Lucensis, plausum dantem, Lucæ Alberto Patritio Perusiæ Episcopo sacrauit, eumdemque carminibus extulit. Carmine insuper elegiaco, typis Bononiensibus euulgato anno 1677. laudauit D. Maurum Baronium, Abatem Oliuetanum, sacrum oratorem præstantissimum.



MALA-







ALATESTA BALLIONVS, patria Perusinus, Domicellus, ac Dominus postremus Canariæ, Bittonij, & Graffignani. adhuc tamen extant, & vigent Perusiæ huius nobilis familiæ Viri, non nobilitate tantū, sed pręrogatiuis quoque alijs, illustres. Hic autem Malatesta à Leone XI. cuius erat pronepos inter Referendarios, cooptatus, à Paulo V. anno 1612. Episcopus Pisauri renuntiatus, Prætor Tudertū, Forumliuij, indè Picenum rexit. Nuntij Apostolici partes aliquando in Germania apud Cæsarem egit. Demum Assisij Antistes anno 1641. euulgatus. Reliquit posteritati Constitutiones plurimas Ecclesiasticas pro Clericis tum Pisauri, cum Assisij.

Vidi M.SS. eiusdem Relationes de Statu Vrbini, & de sua Legatione Germanica. Decessit in Regimine Ecclesiæ Assisianæ die 2. Mensis Febr. anno salutis humanæ 1648.

De hoc Cęsar Crispoltus lib. 3. suę Perusię Augustę, Alexius in Elogijs Cent. 2. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Ferdinandus Vghellius tomo 1. & 2. Italiæ sacræ.

MALOT TAGETES, seu Maleotus Pelasgus Auruni, siuè Ginij Regis Italiæ filius, Nepos Iouis, peritissimus Augur, claruit anno ab Orbe condito 2101. publicèque Perusiæ Augurij palæstram aperuit, eamdemque artem voce, & scriptis docuit, deque ea libros plures exarauit. quos Fulgentius, & Seruius proferunt.

Meminère

Meminère huius Felix Ciattus lib. 2. suæ Perusiæ Augustæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Cicero lib. 2. de Diuinatione, Festus, Ouidius, Ioseph Scaliger in notis ad Festum.

MARCELLVS PIGNATTELLVS Romanus, Perusio oriundus, frater germanus Stephani Cardinalis eiusdem agnominis, Clericus regularis, vulgò Theatinus, à Paulo V. Romano Pontifice anno voluentis seculi, septimo renuntiatus Episcopus Æsinus in Vmbria, scripsit, editque italicè literas pastorales ad Clericos, & ad Populum Æsij; nec non Discursum de laudibus Pauli Pontificis.

E viuis verò exemptus anno primo supra vigesimum eiusdem seculi.

Meminit Marcelli Episcopi Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacræ, ad Episcpos eiusdem Ecclesiæ.

MARCVS ANTONIVS ANSIDEVS Perusinus Iuris consultus excellentissimus, & Poeta elegans, familiaris Cardinalis ab Altemps, deindè honorarius Clementis VIII. Pontificis Cubicularius, initio seculi Decimi septimi post Christum natum, anno scilicet 1611. edidit typis patrijs apud Petruccium, & Naccarinum in 4. Opus Italicum, sub titulo, Poetici plausus Perusiæ excitati pro inauguratione Dominici Marini Ianuensis, Perusiæ, & Vmbriæ Gubernatoris.

Scriptis etiam consignauit Carmina varia tum etrusca, cum latina lingua. Præfecturæ Nuceriæ, Cinguli, & Saxoferrati præpositus est sub Paulo V. Ducatum Fuluij Ducis Cornei administrauit, Legationisque munera Patriæ nomine felicissimè, & honorificentissimè expleuit; tandem septuagenarius fato cessit in ipsa Patria.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs.

MARCVS ANTONIVS BARTOLINVS Perusinus, Iuris vtriusque Interpres, & consultor optimus, eruditione varia cultissimus, apprimè probus, ac pius, vbiquè

latè

laté fama, factisque notissimus, ad Paulum III. Pontificem à Ciuibus Orator renuntiatus Patriæ causam perorauit. Rotæ Lucensis, & Ianuensis aliquando Iudex, Sapientiæ Bartolinæ in Patria fundator, Ianuensium, Lucensium, & Perusinorum iuuentutis commodo. Vitam terminauit in Patria post annum Christi 1576. ætatis suæ 72. Posteris tradens Consiliorum Volumen.

Tractant de hoc Cæsar Alexius Cent. 2. Elogiorum, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ Alexander Balestrinus de Collegijs Perusinis.

MARCVS ANTONIVS BONCIARIVS senior, natus in Oppido Aretriæ, siue Aintriæ, quod sex tantum passuum millibus Perusio, & circiter tribus à Trasimeno distat, vergitque in Boream, & Occidentem solem. habuit in Patrem Mariottum, Nicolai filium, Petri Pauli Iuris consulti fratrem patruelem, qui Theate in Brutijs Proarchiepiscopus decessit, de quo nos inferius: Matrem verò Franciscam Massolinam, indidem oriundam, excellentis Medici filiam, cui Massolo fuit nomen, & Franciscus Cardinalis Armellinus, propter hominis amabiles mores, & egregiam medicinæ scientiam, suo illum gentilitio stemmate donauit, habuitque semper apud se inter familiarissimos. Productus autem ad lucem Marcus Antonius noster die 9. Februarij, S. Virgini Apolloniæ sacro circa primam noctis horam, currente anno à Christo nato quingentesimo quinquagesimo quinto supra millesimum; Erat Infans, forma, indole, corpusculi habitu insignis. Hunc post triennium contemplatus Monachus quidam Camaldulensis, ore, & senio venerandus, cui Eliæ erat nomen, phisiognomus maximé sagax, tale edidit Oraculum, Puer iste ad quartum decimum ætatis annum, aut non accedet, aut si excedet habebit vestra familia, habebit hæc patria in quo glorietur. Itaque commodùm octo annos natus, in qua ætatula celeriter

 legere,

legere, ac non indecorè literas pingere didicerat, libatis etiam primis grammaticę rudimentis, Perusiam ad Presbyterum defertur, fama pium, doctrina excellentem, sed ingenio subaspero, & ferè barbara feritate imbutum, adeò vt si quid puer in rebus domesticis peccasset, magna illi pæna, peccatum quodcumque esset redimendum. Ex hac dura seruitute vitiata valetudine à Patre in patriam, & ad natiuos penates de Medicorum Consilio puer reducitur; & fuit hæc cœli mutatio ad leuandos morbos contractos, vireſque augendas mirificè opportuna, vt cum ob rerum domesticarum inopiam Perusiam redeundi tunc facultas non daretur, puer scientiarum amator, & cultor, moræ impatiens Patrem aggreditur, precatur, obtestaturque vt se interim patiatur Aretria, Curcianum Oppidum, circiter duorum millium distans, benè manè ad ludum literarium itare, ac vesperi domum redire; Venia à parentibus obtenta, manè coniectis in cistellam, quę ad prãdium eius diei necessaria erant, dabat se in viam, & vespere dimissus paulò maturius ab Schola, domum eadem via reuertebat: Per Octimestre hanc vitam duxerat Bonciarius puer, quando Fuluius Corneus Episcopus Perusinus, S. R. E. Cardinalis cum fortè ad suam arcem rusticaretur, quę medio fermè spatio sita est inter Aretriam, & Curcianum, illum non semel conspicatus est domum è schola redeuntem, diligenter interrogauit cuius esset, quantulum didicisset, & quam artem profiteri vellet, respondit ad singula; Tum ille, vbi cognouit propensionem pueri ad Sacerdotium, delectatus modestia, indole, responso, vis tu, inquit, à me cum coœuis tuis, ac similibus tui pueris in Seminarium cooptari? Puer, qui nihil aliud magis cupiebat, annuens, egit gratias, quare paucis post diebus in Collegium defertur, & traditur in disciplinam Io: Paulo Sotio, viro probitate, doctrinaque insigni; Literis intentus sub annum ætatis quartum decimum, vsum prope omnem manuum amisit,

amiſit, quinquennio poſt pedibus etiam laborare cæpit; Quare cum aduerſa fortuna durum prælium, dum vixit, habuit: at ſine manibus, & feré dixerim ſine pedibus, & aliquandò ſine oculis pugnauit, atamen Sapientiæ adita ſemper rimatus, & numquam intermiſit ſtudia; cumque latinis, grecisque literis operam dediſſet, excurſa prius Dialectica, ac Philoſophia, annum agens vndeuigeſimum, Romam à Corneo Epiſcopo, & Cardinali deducitur, & M. Antonio Mureto, tunc in Vrbe eloquentiam magno plauſu, & frequentia auditorum profitenti, traditur informandus: Cum illum Muretus duorum annorum ſpatio reformaſſet, inſtituiſſet, ac probaſſet, ipſemet Cardinalis Corneus Peruſiam remiſit, Scholiſque in Seminario præfecit, ſtipendio ſatis honeſto aſſignato. Poſt quinquennium mortuo Cardinali Corneo Patrono, Bonciarius relicta ſchola, & Seminario, ſtudijs ſe totum tradidit per ſeptennium. Quo elapſo Antonius Maria Gallus Cardinalis, atque Antiſtes Peruſinus, in idem Collegium Bonciarium reuocauit; Indè paucis poſt menſibus cum Vincentius Otho valetudine, ſenioque confectus cogitaret de ſuo publico interpretandi onere deponendo, neminem habuit, quem libentiore animo, & maiore omnium Ciuium voluntate ſibi ſufficeret, & ſubſtitueret, quam Marcum Antonium Bonciarium, cui nihil petenti vltrò oblata eſt perhonorifica, perque opima profitendi conditio; in quo munere obeundo adeò ſe præclarè geſſit, tantumque ingenij, induſtriæque admirationem fecit, vt amplius Othonem nemo deſideraret. Suſtinuit onus hoc publicum docendi ad annum eiuſdem ſeculi nonageſimum, quo cæcitas ſuperuenit. Salute hac de cauſa Muſis dicta, miſſis ſtudijs omnibus, retulit sè ad patrios Lares, vno Comite, ac duce puero qui illum domo ad templum deduceret, & á Templo domum incolumen reduceret. Vix tertius exierat menſis, cum reuerſus Roma Cardinalis Gallus, Bonciarium oculis captum requiſiuit

 vt Pe-

vt Perusiam in Seminarium ad pueros instruendos reuerteretur; Iuit, resumpsit, sustinuitque felicissimè onus antiquum: Marium fratrem patruelem, quem sua excultum disciplina, & iam latinè, grecèque sic scientem, vt docere alios posset, licet annum ætatis vicesimum non complesset, Collegam primùm, deindè Vicarium suffecit in pueris edocendis. Inter hæc à Senatu Bononiensi primùm, vt Bononiæ Eloquentiam profiteretur, cum pingui Mineruali euocatus, deindè á Mediolanensi Archiepiscopo Federico Boromeo inuitatus ad primarij Bibliothecarij munus in Bibliotheca Ambrosiana sustinendum, Demum Pisas ad profitendam Eloquentiam in pernobili illa Academia amplissimis præmijs allectus, prouincias vltrò oblatas, cæcitatis ergo repudiauit, antiqua retenta, sed stipendio duplicato.

Nouember mensis anni 1615. erat in principio, cum laborare cæpit á stomocho, adeò vt quicquid per id tempus per os ingereret, noctu remitteret cum vsuris. Cum autem vehemens sitis illum affligeret, sæpius biberet, quam quicquam gustaret, in hydropicum morbum incidit; igitur post duos menses, quasi præsensisset instare sibi supremum diem, nihil attentius curauit, quam vt animum suum perpurgatum, ac nitidum Creatori suo redderet reposcenti; Itaque per sacram confessionem expiatus, & munitus Viatico, quod parabat in cælestem patriam, opportuno, ac maximè necessario, ad extremum etiam Sacrosancto Oleo, christiano more delibutus, 5. Idus Ianuarij anni sequentis, ætatis primo, & sexagesimo nocte media absumptus est. Anno igitur salutis humanæ 1616. die 9. Ianuarij tantum virum, humanarum literarum professorem eximium, optimum nobilium adolescentium institutorem, Italiæ Homerum, Perusiæ decus, ipsa Perusia, & Orbis literarius vniuersus deplorarunt extinctum; quem tamen grauiore luctu Camenæ, & Ioannes Baptista Artemius Oratione funebri, habita in

Templo

Templo principe Perusino SS. Laurentio, & Herculano sacro defleuère. Elogia duo sepulchralia, qualis fuerit noster Bonciarius explicant. Excipe illa.

I.

Adeò sum visus infelix, vt nemo mecum sortem mutasset;
Adeò autē non fui, vt nec ego cū quoquā. Iustus est Deus.
Aequè singulis indulget, vt liberis Pater, Infirmis, vt Mater;
Alia te Hospes volebā, & tu expectas. Qui, vndè, quādiù;
Sed frustrà, propediem nobiscum futurus, dico propodiem
Noa, etiam si fueris, aut Salem; licet obstupescas, hoc
Celerius iter conficies, quo plenior ibis annorum. igitur
Coram, tu roga, vt Beati quod potest, non vt tardi
Quod non potest.

VIXIT ANNOS LX. MENSES XI.
OBIIT V. IDVS IANVARII MDCXVI.

Aliud

Non ego, Hospes deflendus tibi, ne erres, tu à me
Leuandus. Mihi aduersus perpetuas hostes, podagram
Chiragram, cæcitatem, paupertatem, Inuidiam
Semper stetit inuicta hilaritas. Diuæ illæ cœlestes.
Donabant pugnanti auxilium, vincenti triumphum.
Mors ipsa est mihi, quam fuerat vita liberalior; ista
Vnum soli pedem non concessit, hæc quatuor indulget,
Plures pollicetur; istic diuturnos, alibi æui æternos.
Quamdiù vixerim quæris? hoc ego vt viuens sciebam,
Triginta duos annos, & vnam noctem; Abi, Obi, felix.

Tantus hic vir dedit in publicam lucem profutura adolescentibus latinæ linguæ rudimenta, seu Grammaticam, Perusiæ primò anno 1600. tum alibi sæpius impressam,

cum Rhetorica, & Tractatu de Ortographia.

In Collegium ab Antonio Maria Gallo Cardinali, & Episcopo Perusino reuocatus, primum sui ingenij specimen dederat, vulgata præfatione, quam ibi habuerat de studijs literarum.

Edidit deindè, anno videlicet 1603. typis Perusinis, Volumen Epistolarum, ad iudicia hominum exploranda; quæ quidem ista fuerunt, vt primùm tale opus per manus hominum transmissum, lectum, dilaudatum, tandem in Germania paulò post iterum recuderint Typographi Maspurgenses. Idem auctum, & in duodecim libros diuisum, cum breuibus lemmatibus, seu argumentis, singulis Epistolis præfixis à Floramonte Floramontio iterum ipsemet recudit ibidem anno eiusdem seculi tertio supra decimum.

Eodem anno 1613. publicæ luci commisit tres funebres Conciones, quarum duas palam ipsemet habuerat in sacra Æde Franciscanorum Perusiæ, alteram in funere Io: Vincentij Hondedei, alteram in exequijs Bernardini Alfani Iuris Consulti; Tertiam in obitu Thadæi, olim Præpositi Generalis Eremitarum S. Augustini, cuius mortem etiam Ode defleuit.

Post biennium in lucem emisit Seraphida libris tribus, & Carmen Lauretanum sub titulo, Votum Lauretanum in Sacrosanctam Domum libris 12.

Post alterum biennium, alterum Volumen selectarum Epistolarum, cum Idylijs octo, vnum de S. Afra, & Narcisso, alterum de Angelo Custode, Tertium de Michaele Angelo Bonarota; Quartum de laudibus Io: Petri Maffei è Societate Iesu, quintum de pia Poesi, Sextum de Marco Velsero, Septimum de Philli, & Polycrate, Octauum continet Iusti Lypsij Epitaphium.

Post triennium triumphum edidit Augustum, Poema videlicet de Sanctis Perusiæ translatis á religiosissimo Antistite Paulo Comitolo.

Post

Post annum Pædagogomachiam, siue de bello literatorum.

Post triennium librum, seu Encomium de S. Carolo Boromeo, & Apologiam pro eodem.

Post annum, vitæ vltimum Estaticum Dialogum de ludicra Poesi.

Insuper Iouij exemplum sequutus, de Illustribus literarum, & armorum laude viris Perusinis libros condidit.

Item de perenni animorum expiatione diuinitùs data in Templo S. Mariæ Angelorum, extra Asissios Opusculum, libris tribus distinctum, Perusiæ euulgatum anno 1606. apud Academicos Augustos.

Scripsit etiam Orationum, & Carminum Volumina, in quibus Poema Hycropylus dictum, in sacrosanctum annum secularem; De sacris foribus; De fabis, carmen commendatum à Mureto in suis literis; Sacratissimi Rosarij mysteria singula, binis versibus comprehensa. Celebrauit etiam versu heroico libris duobus Gerardum D. Bernardi Abbatis Claræuallensis fratrem ad Christum conuersum.

Elaborauit qoque Parthenica, siue triumphum Virginis, Opus magnarum vigiliarum, lib. 15.

Comachium, siue Edipum lib. 8.

Lib. 15. variarum lectionum, seu variæ lecturæ.

Noctes Augustas.

Disputationes de Pulchritudine.

Comparationem inter Magistrum, & Magistratum.

Apologetica.

De Admiratione Opusculum, prænotatum Thaumalogia.

De Ludi Pedigo.

In fine vitæ Exempla selecta præ manibus habebat, sed morte præuentus, postremum hunc filium in lucem emittere non valuit, sed post eius obitum emisit Marcus Antonius Bonciarius iunior, duobus tomis, in quinque Decades diuisis, sub titulo, Trhasy menus, siue Ancho-

logiæ

logiæ illustrium exemplorum. Horum tomus primus duas Decades continens, euulgatus est in Augusta Perusia apud Angelum Bartolum anno 1641. alter ibidem anno 1648. apud Angeli Bartoli hæredes, & Angelum Laurentium.

Scripsit etiam Volumen Disquisitionum per Epistolam, in quo exposuit, atque composuit suo arbitratu Quæstiones longè difficiles, & curiosas, nec inutiles, ad Philologiam, doctrinamque omnem liberalem, maximè spectantem.

Eiusdem Opuscula decem varij argumenti ad Ludouicum Saregum, Perusiæ, Vmbriæque Gubernatorem, apud Academicos Augustos euulgata anno 1607.

De Tanto viro tractant Io: Baptista Artemius in Oratione funerali; Iustus Lypsius, Marcus Antonius Muretus, Fabius Pontanus in antiquitatibus Fulgineæ, Io: Baptista Laurus in Epistolis, Cæsar Alexius in Elogijs, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana, Crispoltus in Perusia Augusta.

MARCVS ANTONIVS BONCIARIVS iunior, senioris nepos, Bernardini frater, collegit in vnum, & suis literis euulgauit Decades tres Illustrium exemplorum à Patruo descriptas, in Augusta Perusia anno 1648.

Eiusdem literas ad Rubinum Montemelinum publicæ luci datas inuenies cum illis Marci Antonij Senioris, anno 1613. Perusiæ.

Et Carmen latinum in laudem D. Bernardi Abbatis Claræuallensis ibidem anno 1606.

MARCVS ANTONIVS EVGENIVS senior, de Claramontibus cognominatus, Marci Antonij Eugenij iunioris Auus, patria Perusinus, doctrina, scientijsque varijs illustris, ad cuius ædes dum viueret, tamquam ad Appollinis oraculum, ob eius sinceram fidem omnes confluebant, de publicis rebus, ijsque non exigui ponderis

Legatus

Legatus ad Vrbem Vrbium non ſemel contulit , atque è viuis abijt anno à partu Virginis 1594. ætatis 70. nobili Epitaphio à Septimio filio conditus in Eccleſia S.Auguſtini apud Maiores.

QVI VIVA DEFVNCTORVM ELOGIA
CVRIOSE LVSTRAS, HIC MANE,
ET QVOD AMICI TE MANES MONEANT,
PAVCIS ACCIPE.
QVI SIM, MELIVS NOSTRA CONSILIA,
SI CONSVLAS, QVAM EX ME SCIAS,
QVIBVS FALLOR?
AN HAEC NVPERA VETVSTI CINERIS
MARMORA,
PERENNITATEM OMINANTVR?
ANNO MDXCIV. LEGATIONVM OBITIONIBVS,
OPPIDORVM ADMINISTRATIONIBVS,
IVRE PARTIS OPIBVS,
MASCVLA PROLE INCLYTVS SEPTVAGENARIVS
HVC PENE E SVGGESTV INGESTVS.
HINC RVRSVS SEPTIMII FILII,
NVNC PRIMI,
POSTREMIQVE SVPERSTITIS CVLTV
POSITIS EXVVIIS ALIQVOT
POST LVSTRIS REDIVIVVS
INTERPRES DOCEO,
QVI PROFVTVRA, NON QVI MVLTA SCIT,
SAPIT.

Cum per annos plures Ius Ciuile , & Canonicum in Patria Academia explicaſſet , reliquit pro Poſteris duo Conſiliorum, & Reſponſorum Ciuilium , & Criminalium Volumina , Romæ , & Peruſiæ annis 1588. & 1600. impreſſa.

Celebrant tantum virum Alexander Baleſtrinus de Aca-

 demijs

demijs Perusinis, Ioseph Ludouicus in Decis. Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Pellinus in sua hist. Critpoltus iib. 3.

MARCVS ANTONIVS EVGENIVS iunior, Mutij Perusini filius, iuuenis duplici, Philosophiæ, & Iuris prudentiæ laurea redimitus, ad virtutem natus, memoria tenax, acumine mirus, eloquio pollens, Summis Pontificibus, Regibusque ferè omnibus Orbis Christiani carus, à Septimo Alexandro Pontifice spontè inter Patres Aulæ Consistorialis cooptatus, causis patrocinando grauissimis, negotia perardua composuit; Scripsitque Consiliorum, Consultationum, Iurium, Sententiarumque Volumina plura, quæ M. SS. apud viros doctrina præstantes magno studio adseruantur.

Huiusce Carmen latinum euulgatum Perusiæ anno 1617. apud Typographos Augustos, vidi scriptum occasione publicæ disputationis, quam habuit Perusiæ Paulus Racanus Tudertinus.

Tantum virum, quem Perusia genuerat, aluerat Roma, Orbisque vniuersus reueritus semper fuerat, extinctum vidimus in ipsa Roma die 9. Aprilis anno 1657.

De hoc Octauius Lancellottus in Oratione funebri, Cæsar Alexius in Elogijs.

MARCVS ANTONIVS FARINA Sacerdos Perusinus, olim Seminarij Episcopalis, tum Collegij Oradini alumnus, Grammaticæ, & Humanitatis publicus professor hoc anno 1677. in Ciuitate Plebis, versu latino, & Etrusco laudauit Herculem Oddum genitorem Cornelij Equitis Calatrauæ, & Francisci Abbatis, Dominicum Orsuccium Lucensem in laurea doctorali, Io: Baptistam Bertum Monachum Siluestrinum, & D. Maurum Baronium Abbatem Oliuetanum, Sacros Oratores, nec non Franciscum Andream nobilem Neapolitanum, & Martiam Floramontiam quando sese Deo dicauit in Cœnobio S. Agneti sacro. Insuper Carmine latino natæ Deiparæ, ac D. Basilij

Magni

Magni laudes cecinit, quem postremum etiam Elogio extulit.

MARCVS ANTONIVS GVERRINVS, Perusinus, iuris vtriusque Doctor, anno nostri seculi septuagesimo septimo, versu etrusco, in lucem typis patrijs edito, Concionem de impiorum sede à Federico Trenta, Societatis Iesu Sacerdote in Cathedrali, tempore quadragesimalis ieiunij habita, extulit.

MARCVS ANTONIVS MALTEMPIVS Perusinus, ob omnigenam rerum omnium eruditionem illustris, edidit Italicé Historiam sui temporis in quatuor libros distinctam in 4. apud Petrutios in Patria anno 1585. & apud Baldum Saluianum iu Vrbeueteri.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Octauius Lancellottus in Oratione funebri Marci Antonij Eugenij iunioris, Vincentius Palettarius in Oratione funebri.

MARCVS ANTONIVS MARSILIANVS, Iuris vtriusque Doctor, & causarum Patronus nostro seculo clarus, suis scriptis in lucem editis anno salutis humanæ 1635. Timothei de Timotheis Responsum primum in Perusina causa Chirographi, seu Conuentionum, patrijs typis euulgatum, & Responsum secundum annuæ præstationis, nec non quintum in Perusina Census, confirmauit.

MARCVS ANTONIVS MASSIVS Perusinus, Theologorum patrij Gymnasij longè Princeps, vixit seculo præterito, claruitque poesi etrusca; cuius carmina euulgata inuenies annis 1602. & 1603. tum Romæ, cum Perusiæ, in voluminibus Leandri Bouarini, & Philippi Alberti.

Est huiusce mentio apud Marcum Antonium Bonciarium seniorem lib. 8. Epist. 15.

MARCVS ANTONIVS MENICONVS Perusinus, Eques Hierosolymitanus, Io: Pauli Archidiaconi frater, Aulę Romanę notissimus, adhuc hoc anno 1677. inter viuos, promptus ingenio, & vsu bellorũ exercitatus; anno nostri seculi sexto

ſupra quinquageſimũ typis Romanis apud Vitalẽ Maſcardũ edidit Orationẽ latinam à ſe in Conſiſtorio habitam ad Sanctiſſimum D. N. Alexandrum VII. Pontificem Maximum, dum Eminentiſſimi Magni Magiſtri, & totius ſacri Hieroſolymitani Ordinis nomine Veneran. Fr. Ioannes Bichius, Capuæ Prior debitam eidem Sanctiſſimo gratulationem, & obedientiam præſtaret; carmine verò etruſco, typis patrijs euulgato, defleuit obitum Ludouici Alberti.

MARCVS ANTONIVS ODDVS, Cornelij Antognollæ Comitis filius, Archidiaconi germanus frater, Vtriuſque Signaturæ de Parco maiori Præſul, per annos plures in Vrbe vices gerens Pontificis, Ius omnibus reddidit, renuntiatus deindè Peruſinus Epiſcopus Synodum celebrauit, & leges ſcripſit pro Clericis ſuæ Dioeceſis; Huiuſce Carmina latina, euulgata Peruſiæ 1617. Apud Typographos Auguſtos, ſcripta, occaſione publicæ diſputationis, quam ibidem habuit Paulus Racanus Tudertinus, in manibus plurimorum ſunt

Deſijt eſſe inter viuos anno ætatis 66. ſalutis 1668. longiore vita digniſſimus, niſi melior illum exceptura eſſet. Poſt Obitum conditus in S. Auguſtini Æde apud Maiores ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

ADMIRARE POSTERITAS
VIRTVTEM OMNIVM SIMVLACRVM
IN STATVA
MARCI ANTONII ODDI
CORNELII ANTOGNOLLAE COM. F.
SVB VRB. VIII. INN. X. ALEX. VII.
VTRI. SIG. DE PARCO M. PRAESVLIS
ROMAE VICESG. PERVS. EPISC.

OBIIT

OBIIT AET. A. LXVI. SAL. MDCLXIIX.
IN INSTITVTIS E DOMO, E PATRIA
PRAELATIS ODDIS PERP. VICTVRVS.

MARCVS ANTONIVS ORADINVS, Iulij ſacræ Rotæ Romanæ Iudicis germanus frater patria Peruſinus, profeſſor Iuris Ciuilis in patria Academia, à Pio IV. Pontifice Maximo ad Epiſcopatum Vticenſem euectus, deindè Cardinalis Gonzagę Epiſcopi Mantuani Suffraganeus, commiſſam animarum procurationem tanta animi moderatione, tantaque diſciplina exercuit, vt maiori dignus gradu cenſeretur, ſed anno Christi 1566. Mantuæ è viuis abiens Poſteris tradidit Compendium Iuris.

Eſt huiuſce mentio apud Cæſarem Criſpoltum in Peruſia Auguſta, apud Alexium in Elogijs Cent. 2. Ludouicum Iacobillum de Script. Vmbriæ.

MARCVS ANTONIVS SALVVCCIVS Peruſinus, Academicus Inſenſatus, cui Academiæ adfuit primò à ſecretis, deindè præfuit Princeps; Græcarum, latinarumque literarum eruditione clarus, Poeta non ignobilis, Marci Antonij Bonciarij diſcipulus, eidemque percarus, qui non niſi ſub Saluuccij nomine Idyllium ſextũ ſuum in omniũ conſpectum apparére voluit. Edidit Orationem à ſe habitam in funere Sfortiæ de Oddis, euulgatam Peruſiæ anno 1612. & aliam in obitu Frederici Abbatis de Cornea, conſecratam Odoardo Farneſio Cardinali ampliſſimo ibidem in 4. anno 1614. apud Marcum Naccarinum. Scripſit etiam aliam à ſe dictam Peruſiæ in Collegio Mercaturę in laudem Marchionis Bartholomæi à Monte.

Huius Carmen latinum ad Ludouicum Saregum, cum alio de D. Bernardo Abbate Clareuallenſi, typis patrijs euulgatum inuenies cum Opuſculis Marci Antonij Bonciarij.

Cantiones Inſuper tum latinas, cum etruſcas, & Elogia diuerſa elucubrauit, ſine mordacitate, quæ mortem illi

repen-

repentinam peperit, ante trigesimum suæ ætatis annum, nam dum è Collegio domum properabat à Sicarijs proditoriè sclopis occisus est.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Scipio Tolomeus volum 1. literarum suarum, Alexius in Elogijs.

MARCVS ANTONIVS SEVERVS Perusinus, Tobiæ Nonij Iuris consultissimi discipulus, tum virtutibus, cum politioribus literis omnibus ornatus, per annos plures, magno auditorum non modò plausu, sed fructu in patrio Gymnasio Ius Ciuile docuerat, quando eum Sixtus V. Pontifex verè Maximus in Firmanam Academiam transtulit, sed breui, in eadem Vrbe communi fato concessit die 14. Septembris anno 1587. Splendido funere ad principem ædem elatum, vniuersa Ciuitas sequuta est, nec sine lachrymis; In hanc diem Æneum ibi Seueri Simulacrum in eadem Æde Firmana conspicitur, quod tanti viri Sepulchro ipsi Firmani imposuere.

Reliquit Seuerus in Posterorum solamen M. SS. Tractatum de legibus, Prælectiones, & responsa.

Meminere huius Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Alexander Balestrinus de Academijs Perusinis, Cæsar Crispoltus lib.3. Perusiæ Augustæ, Lodouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

MARCVS ANTONIVS SINESIVS Sacerdos Perusinus, olim discipulus Marci Antonij Bonciarij ingenio ad quęque promptissimo, viuidissimoque ex cuius vena scaturiére tam ligatæ, quam solutæ Orationes plures; Huius Odas, & Epigrammata, vti lepida, & venusta, ac pia maximè commendat Bonciarius in literis editis Perusiæ, anno voluentis seculi tertio. Eiusdem literæ ad eumdem Bonciarium datæ, publici iuris factæ sunt anno 1613. cum illis eiusdem Bonciarij.

MARCVS GRISALDVS Philosophus, ac Medicus Perusinus, Insensatus Academicus, Medicinæ Theoricen

in pa-

in patrio Gymnasio primo loco publicus Doctor initio seculi decimi septimi à partu Virginis professus est; cuius anno octauo typis patrijs apud Augustos edidit, & Scipioni Cardinali Burghesio nuncupauit Cometologiam laconicam, contra portentosam Cometarum apparitionem, In cuius fine Problemata Cometologica 14. addidit.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

MARCVS è Perusio Iuris Consultus sua ætate clarus, circa annum videlicet salutis humanæ 1400. scripsit Consiliorum Volumen, à Posteris post Auctoris obitum editum in lucem in fol. anno 1660.

Aliud eiusdem Auctoris Consilium, valdè commendatum, quod incipit, an petitio compromissi, ex forma statuti possit peti post litem contestatam, legitur apud Lanfrancum de Oriano in Tractatu de Arbitris.

Celebrant talem virum Io: Vuolfangus in Elencho Iuris Consultorum, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

MARCVS de RVBEIS, Rainaldi filius, Iuris Consultus celeberrimus Perusinus, Anconæ in Piceno Prætor, Statuta, & Constitutiones eiusdem Ciuitatis reparauit, ediditque in lucem publicam. Ideò Anconitani grati animi ergo in Ædibus publicis Marci Simulacrum, sequenti Elogio in posterorum memoriam exposuerunt.

STATVAM HANC
CELEBERRIMI VIRI MARCI DE RVBEIS
PERVSINI
STATVTORVM ANCONAE CONDITORIS
HASQVE CAETERAS SCVLPTAS TABELLAS
QVAE AD ORNATVM PALATII
FORIS ANTIQVITVS EXTABANT
HIC MODO,
NON VENVSTATIS, SED VETVSTATIS
GRATIA CIRCVMPOSVIMVS.

De hoc

De hoc Cæsar Crispoltus lib. 3. Perusiæ Augustæ, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

MARCVS TVLLIVS BERARDVS, patria Perusinus, Miles veteranus D. Iosephi Mattæi Vrsini, Dynastæ Paganicæ, & Domini Montisnigri, Pontificis Romani, Ferrariæ, Bononiæ, & Romandiolæ armorum Præfecti Vicarius, anno seculi decimi septimi post Christum natum tertio, typis Bononiensibus Italicè edidit in 4. Tractatum militarem, seu de Militia.

MARIA FRANCISCA de ODDIS, patria Perusina, Vidua relicta à Fabio Ariguccio, hoc anno 1677. adhuc inter viuos, ingenio prædita, Musisque perfamiliaris, vt à curis domesticis animum aliquandó recrearet suum, Parnassum frequentans, italica lyra cecinit plura. Publici tamen iuris sunt, quæ in obitu S. Francisci Xauerij, Indiarum Apostoli, & in consecratione Valentiæ Virginię Valentis, anno salutis 1672. facta, in Cœnobio S. Crucis Trebiensis, in Vmbria, tum Martiæ Floramontiæ in Perusino S. Agnetis anno 1677. scripsit.

MARIANVS BARTOLINVS, Baldi nouelli sanguine natus, Iuris consultus magni nominis Perusinus, completis Philosophiæ, ac Iuris prudentiæ studijs, laurea decoratus, Ius Ciuile in patrio Gymnasio tanto cum plausu professus est vt à Iulio II. Pontifice Maximo Iudicibus Rotæ Romanę adscriptus sit, & Nuncius Apostolicus ad Maximilianum. Cęsarem ablegatus in Germaniam, scripsit ex officio Decisiones plures, quę extant M. S. in Curia Romana. E Germanica legatione reuersus, graui morbo correptus, nondum senex anno salutis 1511. inter lachrymas Ciuium Romanorum, & Perusinorum, occubuit..

Tractant de hoc viro doctrina pręstanti Alexander Balestrinus in suis memorijs, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbrię in Riccardo eiusdem familię, Alexius, Cent. 2. Elogiorum, Pellinus in hist. Crispoltus lib. 3. Carolus

Cartha-

Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium ad Baldum de Bartolinis.

MARIOTTVS BONCAMBIVS, vulgó Marcus Perusinus, nominatus, inter Iuris consultos adscriptus, tam doctè in patrio Gymnasio, & eruditè Ius Ciuile docuit, & in Clientulorum suorum tutela tam promptus, ac sagax omni tempore fuit, vt sententias feré semper ad votum suum reportans, peritissimi Iuris Consulti auram, vbique locorum consequutus est. Quamobrem ex Patriæ Senatus Consulto inter peritiores electus est, quibus legum, Statutorumque suorum reformatio delegata est; quibus postea in vnum per eos congestis, typis Perusinis commissis anno salutis 1528. vniuersus Populus Perusinus, & Subditi omnes inuiolabiliter obedire non dubitarunt. Deniquè meritorum, nec non annorum plenus, pluribus honorificè legationibus feliciter peractis é viuis migrans, præmisso sumptuoso funere in D. Augustini Æde tumulum habuit, cum scripsisset etiam super 1. & 2. ff. vet.

De hoc tractant Alaxander Balestrinus de Studio Perusino, Ioannes Vuolfangus in Elencho Iuris consultorum, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs.

MARIVS BONCIARIVS, Marci Antonij frater floruit Eloquentia, in Græca, & latina lingua versatus, vt fidem faciunt eiusdem literæ Francisco Bencio Societatis Iesu Sacerdoti, & fratri datæ, & euulgatæ typis patrijs cum illis Marci Antonij fratris anno 1613. E vita migrauit in viridi ætate anno salutis 1593. Reliquit etiam posteritati nonnullas Orationes à se habitas in Academia, vnam videlicet de linguæ Græce vtilitatibus, & Alteram in festo S. Nicolai Episcopi; Carmina quoque panxit, sed pia, & græca potius, quam latina.

De hoc est mentio apud Petrum Sensium in literis, & apud Marcum Antonium fratrem.

MARIVS PODIANVS Perusinus, Orator, Poeta,

politioribus literis eximiè excultus, Bibliothecam libris plurimis refertam, vna cum Prospero eius gentili collegit, quæ aucta post eiusdem obitum publicè in omnium commodum sub nomine Bibliothecæ Augustæ Perusiæ visitur Scripsit Orationem funebrem, illamque dixit initio anni 1532 in Ecclesia S. Dominici in parētalibus Malatestæ Ballioni, exercitus Veneti, ac Florentini supremi Ducis, cuius obitus sequutus fuerat die 24. Decembris circa annum 1536. ætatis 39.

Elaborauit etiam latina lingua Opusculum de aduentu Pauli III. Pontificis Perusium, & Orationem habitam coram ipso anno 1535. quam Italicam reddidit Alexander Balestrinus.

Sctiptis quoque consignauit Carmina plura latina, Comædias multas, & Commentaria in Catullum, & Franciscum Petrarcam, quæ Franciscus filius præsenti seculo ad humanæ vitæ documentum edidit in lucem.

Habemus, item ex Merula, composuisse de Vrbe Perusiæ Opusculum.

E viuis abijt anno salutis humanæ 1539. annorum plenus.

Vt referunt Pellinus Par. 3. lib. 5. suæ histotiæ, Io: Baptista Laurus Epist. 96. Cent. 2. Leander Albertus in sua Italia, Alexander Balestrinus de Gymasio Perusino, Crispoltus, Alexius, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Ciattus.

MATTHÆVS FELICIANVS Perusinus, ex philosophicis ad Iuris prudenriæ studia gradum faciens, horum lauream consequutus, Ius Ciuile docuit. Doctor Collegiatus varijs legationibus ad Principes, summosque Pontifices pro Patria perfunctus, pluribus Consiliorum, doctissimarum lucubrationum Voluminibus compilatis, in senectute decedens, inter suos sumptuoso funere sepultus est, circa annum ab Orbe redempto 1400.

De

De hoc Pompeus Peilini in historia Perusiæ, Cæsar Alexius in Elogijs.

MATTHÆVS OLIVERIVS Perusinus nostra ętate poesi illustris, Poematium scripsit, ediditque typis patrijs anno 1646. in commendationem D. Zachariæ de Aloysijs, S. Petri de Perusia Abbatis, Auctoris Opusculi, Perusiæ euulgati eodem anno sub titulo, *Racconto delle funtioni litterarie, fatte da Monaci Cassinensi, nel Capitolo Generale, celebrato nel Monistero di S. Pietro di Perugia il detto anno.*

MATTHÆVS de VBALDIS, Baldi, & Robertæ filius, Nicolai, ac Sigismundi Aduocati Consistorialis frater, Baldi senioris Iuris consulti clarissimi abnepos, Ius Ciuile in patria Academia per annos plures publicé cum laude docuit. Defuncta deindè vxore cum Romam petijsset ab Innocentio VIII. in locum Nicolai fratris defuncti inter Sacræ Romanæ Rotæ Auditores adscriptus fuit. Ab Alexandro VI. anno 1498. Episcopus Nucerinus in Vmbria, & á Iulio II. anno 1508. ad Ecclesiam Perusinam translatus, Decessit Romæ octogenarius Mense Decembri anno 1510. Conditus apud Aram Cæli in maiorum sepulchro.

Edidit Matthæus librum de Seruitutibus, nec non Repetitiones in l. Vnica C. caduc. tollen. Decisiones rotales, & Consilia aliqua publici iuris facta cum Consilijs diuersorum.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Pellini par. 3. hist. Paulus Merula in Descript. Italię, qui illum Petri filium dicit, Alexius in Elogijs Cent. 2. Ferdinandus Vghellius in Ital. sacra tom. 1. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Petro de Vbaldis, & in Appendice, Crispoltus lib. 3. Perusię Augustæ.

MATTIOLVS de MATTIOLIS Perusinus, alius à Patauino, qui de herbis, seu plantis Tractatum edidit. Philosophiæ, & Medicinę in Patria, Bononiensi, & Patauina Academia Professor, qui Astronomiam, Poesim, cæte-

rasque liberales artes ingenio suo maximè illusttauit, & ferè senex ad Theologiæ aditum gradum fecit; é viuis abijt Patauij septuagenarius, anno á partu Virginis 1480. Medicorum Monarcha omnium voce nuncupatus, artiumque liberalium Princeps.

Huiusce Auctoris publicæ luci commissæ sunt Orationes plures.

Item Consilia de modo medendi.

Opusculum de memoria.

In Auicennæ, Hippocratis, & Galeni opera, Commentaria.

Hunc celebrant Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Pellinus, Crispoltus, Ciattus in suis historijs, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Hermannus Schedel in Chronico.

MICHAEL ANGELVS BENINCASA Perusinus qui viuit Romæ hoc anno 1677. suis literis D. Mauro Baronio Monacho, & Abbati Oliuetano, vernacula lingua italica scriptis, literarias lucubrationes diuersorum in laudem ipsius euulgauit Perusię anno 1672. apud Laurentium Cianum Typographum Episcopalem, eumdemque Carmine etrusco laudauit.

MINVTIVS de VAGNOLIS, Causidicus Perusinus, publico decreto, atque stipendio, cum alijs disertissimis, ac celeberrimis viris, rerum, & causarum longo vsu, & experientia callentibus, Statuta Reipublicæ Perusinæ correxit, & ordinauit, circa annum salutis humanæ 1526.

MODESTVS BENVENVTVS Perusinus, Carmine latino edito in Patria anno 1637. Georgij Boreæ, nobilis Lugensis obitum defleuit.

MODESTIVS VLPIVS, Iuris vtriusque Doctor, & Aduocatus Perusinus, Eques aureatus, & Comes Palatinus, in Doctorum Collegium cooptatus die 18. Maij anno voluentis seculi quinto supra quadragesimum, suis scriptis, editis in patria Votum resolutiuum Timothei de

Timotheis de celebratione Missarum confirmauit; Illis autem euulgatis anno 1635. Responsum secundum annuę præstationis ab eodem publici iuris factum, consolidauit.

MONALDVS de MONALDIS senior Perusinus, Theologus magni nomini inter Minores Conuentuales, ex Procuratore Generali sui Ordinis, & Concionatore eximio, Patriæ nomine Auenionem ad Ioannem XXII. Pontificem Maximum legatus, Controuersias, & iurgia inter Tudertinos, & Perusinos sedauit, feliciterque composuit; Quare ab eodem Ioanne Pontifice anno 1326. renuntiatus est Episcopus, non Amalphitanus, sed Melphitanus in Lucania, apud Apuliæ, & Hirpinorum fines, in cuius regimine anno 1332. è terrena ad cælestem euolauit vitam, cum scripsisset de Theologia plura, & edidisset Summam Sacrorum Canonum.

De hoc Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Pellini in sua historia, Alexius in Elogijs, Dorius lib. 1. hist. Trinciæ, Ferdinandus Vghellius de Episcopis Melphiensibus, Vuadingus in Annalibus Minorum Tom. 3. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Felix Ciattus, Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta lib. 3.

MONALDVS de MONALDIS iunior, senioris gentilis, patria Perusinus, professione Minorita, edidit Lugduni anno 1506. apud Petrum Gallettum, Summam perutilem, vti habemus ex Lodouico Iacobillo de Scriptoribus Vmbriæ.


MVTIVS MANFREDVS, Hippolytæ maritus, patria Perusinus, Musis perfamiliaris, initio voluentis seculi Carmen etruscum scripsit, editum Perusiæ anno 1603. in volumine Leandri Bouarini.



N. Mulier



N



N. Mulier Perusina Carmine etrusco, patrijs formis euulgato āno 1635. Timothei de Timotheis Respōsa celebrauit.

NATALITIVS PALLVCCHIVS è Murgiano, Oppido Comitatus Perusini, Sacerdotio initiatus, adhuc anno 1676. inter viuos, olim iuuenis inter Clericos Seminarij Episcopalis Perusini, scripsit, ediditque anno 1666. Carmen latinum in laudem Deiparæ Virginis Mariæ, euulgato anno præcedenti alio simili in commendationem innocentiæ D. Basilij Magni.

NEAPOLEO COMITOLVS Perusinus, ex Comitibus Collis medij, Hieronymi filius, postremus suæ familiæ, politioribus literis apprimè excultus, laurea in philosophia, ac in Iuris prudentia obtenta, postremam in patria Academia publicé professus est cum laude, à Sixto V. Pontifice Abbas primùm, mox inter duodecim sacrę Rotę Auditores admissus est; à Gregorio verò XIV. Patriæ datus Episcopus, summa spectatę vitæ innocentia annos triginta tres in regimine Ecclesię sibi commissæ traduxit; & quasi quotidiè moriturus, mortuorum sibi vigilias quotidiè occinebat, totus in Ecclesiastica, disciplina tradenda, Cleroque informando; vir liberalibus doctrinis apprimè in-

structus,

ſtructus, ſacræque poeſeos in primis ſtudioſus, quam in poſtremo vitæ actu, dum eſſet in lectulo, in curru, in triclinio, vt à curis grauioribus animum auocaret, ſic vſurpauit, vt numeros vltrò contemneret, argumenti grauitate, ac ſenſibus dumtaxat oblectaretur. Obijt anno Christi 1624. die 24. ſeu 30. Auguſti, non ſine ſingularis ſanctimoniæ fama, cum quintum, & ſeptuageſimum ſuæ ętatis ageret annum; ſenectutis tamen incommoda, cum ingenio eſſet viuido, memoriaque exprompta, propemodum ſenſiſſe non eſt viſus.

Scripſit Epiſtolam paſtoralem vernacula lingua Italica ad Populum ſibi ſubditum, editam Peruſię anno 1609. apud Petrutios.

Item Deciſiones Rotæ Romanę publicę luci commiſſas Peruſię in 4. 1643.

Et Carmina nonnulla, quę ad Io: Baptiſtę Lauri manus peruenerunt, offerenda Vrbano VIII. Pontifici; horum aliqua adſeruantur Peruſiæ in Bibliotheca Clericorum Regularium, vulgò *Barnabiti*, quibus Collegium in Patria erexerat.

Eiuſdem literas ad Vrbanum VIII. paulò antequam migraret è vita, conceptas, atque à ſuis ſuper abaco Cubiculi, in quo efflauit animam, reperta, & ad Io: Baptiſtam Laurum miſſas, vt redderet, in calce Poematum eiuſdem Lauri typis Romanis Andreæ Phęi publici iuris factorum, tranſcriptas, & euulgatas inuenies.

Scripſit etiam de Peruſinæ Eccleſię Epiſcopis hiſtoriam; frequentes inſuper Synodos celebrauit, ne Cleri laberentur mores; ediditque officia propria SS. Patronorum Peruſię, cum Opuſculo centum, & triginta priuilegiorum B. Virginis Dei Matris, typis eiuſdem euulgato in 4. anno 1615.

De hoc Epiſcopo cum laude agunt Taddæus Donnola, in Apologia pro S. Felice Epiſcopo Spellatenſi, Io: Baptiſta Laurus in Epiſtolis, Alexander Baleſtrinus de

Gymna-

Gymnasio Perusino, Crispoltus, Alexius, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

NEAPOLEO de LVNA Perusinus à secretis Ludouici XIV. Regis Galliarum, & interpres linguæ Italicæ apud eamdem Maiestatem, è Gallica in Italicam transtulit linguam Tragicomædiam M. Quinault, ediditque Perusiæ anno 1677. sub titulo, *Il Fantasma amoroso*.

Conuertit etiam ex eadem in eamdem Tragicomediam, Stratonicam dictam Astrate. Regem Tyri Tragœdiam, versu Gallico descriptas ab eodem Quinault.

NEREVS de NEREIS, Iuris Vtriusque Doctor Perusinus, Ecclesiæ Cathedralis Patriæ Canonicus, scriptis publicæ luci commissis anno 1635. confirmauit Responsa, primum, & secundum Timothei de Timotheis Chyrographi, seu Conuentionum in Perusina Causa, & annuæ præstationis. Carmine verò latino Perusiæ publici iuris facto anno 1617. Stemmata gentilitia, Pauli Racani Tudertini, & Tiberij Cardinalis Muti Romani, descripsit.

NICOLAVS ALEXANDER ALFANVS, ab alijs Nicolaus de Alexandris dictus, patria Perusinus, Philosophiæ, Mathematices, ac Iuris prudentiæ Doctor, quem Bartolus Iuris peritorum maximus, ob ingenij acumen, doctrinæque copiam, non modo Doctorem insignem sæpius appellauit, sed Generum etiam delegit. Publicè Ius in Academia Perusina explicauit, & aggressus causas in foro tueri, Clientum iura non tam felicius, quam sanctius defendit. Non semel pro Patria ad Pontifices Maximos missus, Patriæ partes feliciter sustinuit; quare inter clarissimos sui seculi viros literis præditos meritò adnumeratus est. Obijt igitur Patriæ lachrymabilis, cum Posteris tradidisset Consiliorum Volumina plura, & Libellum de Substitutionibus.

Meminere huius Pellinus in hist. Perusiæ, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Alexander Beleftrinus de Studio Perusino,

rufino, Guido Panzirolus de Claris legum Interpretibus, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

NICOLAVS ALEXIVS Perusinus, Cathedralis Canonicus iam designatus, vt honorem reiceret ad Prædicatorum claustra confugit anno Christi 1533. ætatis suæ 20. Quo in Ordine Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ seriò se dedit; & cum licebat à grauioribus feriari, suauiores Musas coluit. A Paulo III. rursusque à IV. ad sacras conciones sæpè adhibitus est; Michaelis Bonelli, nepotis Cardinalis Alexandrini Præceptor fuit; quare vt ipse Cardinalis ad Petri Cathedram ascendit, sacras infulas Nicolao nostro spontè obtulit, at hic constanter reiectas, maluit illas in alijs venerari, quam gerere. Iussus in Vmbria in Hæreticos inquirere, promptissimè paruit. In concionibus quadragesimalibus mulierculas plures á libidinis cæno, ad vitæ honestatem traduxit; pro quibus Fuluij Cornei S.RE Cardinalis, & Perusini Episcopi opera Monasterium in Patria à fundamentis erexit, illisque Regulam scripsit.

Perusiæ é vita migrauit anno reparati Orbis 1583.die 28. Februarij, pluribus literarijs lucubrationibus cudendis apud suos relictis, Scripserat enim versu heroico vitas Sanctorum, ac Beatorum sui Ordinis, qui vsque ad annum 1577. ab hac vita discesserant; inter quas est illa B. Columbæ Reatinæ.

Carminibus item heroicis perfecerat Basiliadem; Opus in quatuor libros Regum.

Insuper in Aristotelis Logicam Commentaria.

Nec non Tractatum Philosophicum.

In libros Iosue, Iudicum, & Ruth animaduersiones.

Tractatus varios. Vnum de summo bono, alterum de Eucharistia, & tertium de Sanctissima Trinitate.

Duo Concionum Volumina.

Vidi eiusdem Carmen latinum typis patrijs euulgatum anno 1576. de pestilentiæ morbo.

Est tanti viri mentio apud Cæsarem Alexium in Elogijs

Cent. 1. Crispoltum in Perusia Augusta, Chronicon Prædicatorum, Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, & tom. 1. SS. & BB. eiusdem Prouinciæ, Alexandrum Balestrinum in memorijs, & de Gymnasio Perusino.

NICOLAVS BRVNACCIVS Perusinus, Ordinis Prædicatorum, Alberti Magni auditor, S. Thomæ Aquinatis condiscipulus, non modò morum sanctimonia, sed etiam scientijs omnibus clarus, Philosophiam primùm, tum sacram Theologiam per annos viginti professus publicè est in Academijs sui Ordinis, & scripsit Tractatus plures Theologicos, apud Religiosos suos M. SS. asseruatos.

Albertus cognomento Magnus Preceptor, hęc ad Patres Prouinciæ Romanę de nostro Nicolao scripsit. Remitto vobis Fr. Nicolaum Perusinum, alterum Fr. Thomam de Aquino, sciens ipsum esse in diuina pagina plenissimè eruditum, & idcirco meritò commendandum.

Prębuit Cęnobijs Pistoriensi, Florentino, Vrbeuetano, ac Perusino, cuius Templum Benedicto XI. Pontifice Maximo promouente à fundamentis extruxit. Rexit etiam Prouincialis Siciliam, & Vicarius Generalis Romanam Prouinciam; E vita migrauit Perusię anno salutis humanę 1322. ętatis suę circiter nonagesimo die 25. Decembris.

De hoc tractant Alexander Balestrinus in memorijs, & de Gymnasio Perusino, Razzius, Pio de viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, Crispoltus in Perusia Augusta, Botonius in Annal. Perusiæ, Pellinus in hist. Ludouicus Iacobillus de SS. & BB. Vmbrię tom. 1.

NICOLAVS CICIVS, Perusinus, nostra ętate Canonicus in Sacello sacri Annuli B. Marię, Perusię in Cathedrali ritè custoditi, Carmine latino, publici iuris facto in patria, anno nostri seculi tertio supra quinquagesimum, in laudem natę Deiparę illud Cant. 4. Sicut fragmen mali punici, ita, & genę tuę, explicauit.

NICOLAVS COLVMBVS Plato Perusinus, sacrę Theologię Magister, & Prouincialis Ordinis Prędicatorum, in omni-

in omnibus ſcientijs verſatus, adeó vt illas publicè in ipſa Vrbe contra quoſcumque tutatus ſit. Magiſter Palatij Apoſtolici deindé renuntiatus ſcripſit plura in re theologica, adſeruata olim M. SS. in Bibliotheca Ducis Vrbini, cum lucubrationibus eiuſdem eruditis in ſacram Scripturam.

Florentiæ Epidemiæ morbo anno 1527. extinctus eſt.

Celebrant Magiſtrum hunc Alexander Baleſtrinus de Gymnaſio Peruſino, Criſpoltus, Botonius, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Paulus Merula in deſcript. Italiæ, Alexius in Elogijs Cent. 2. Fontana in Catal. Scriptorum Prouinciæ Romanæ, & de Magiſtris Palatij Apoſtolici, Pellinus in ſua hiſt. Leander Albertus in Deſcrip. Italię.

NICOLAVS LVCIDORVS Peruſinus, Iuris Conſultus ſua ætate illuſtris, typis patrijs anno voluentis ſeculi duodequinquageſimo, euulgauit Opus de Illegitimis Clericorum, & Regularium, vti habemus ex Ludouico Iacobillo de Scriptoribus Vmbrię.

NICOLAVS MARGARITONVS Peruſinus, Muſicè eruditus, & Poeta clarus, floruit noſtro ſeculo, in aula principis Maſſę. ad noſtram ętatem Italicè edidit Lucę in Etruria anno 1654. apud Franciſcum Mareſcandolum Opus ſub titulo, *Le Rugiade di Pindo*, inſcriptum Alderano Cybo S.R.E. Cardinali, & Apoſtolico Legato Ferrarię.

Ibidem anno 1656. Dramma muſicum cum titulo, *la Penitente*, ſacratum D. Ioannæ Gonzagę Dorię Duciſſę Turſi.

Liburni anno 1658. Dramma ſimile muſicum ſub nomine, Eurilli. Fr. Thomę Seriſtori, Armorum Magni Ducis Etrurię Procuratori apud Liburnum.

Anno 1664. Mediolani. Amphiteatrum Heroum Cyborum, Principi Maſſę nuncpatum.

Anno 1666. Peruſię per Angelum Laurentium Odam Epitalamicam in nuptijs Margaritę Auſtriacę, Hiſpaniarum Reginę cum Leopoldo I. Imperatore.

Anno 1667. Massę in Etruria apud Hieronymum Marinum, Odam in renuntiatione Pontificis Clementis IX.

Ibidem eodē anno Carmen in natiuitate Regis Bohemię.

Ibidem anno 1670. Carmen aliud in funere Ducissę Massenensis.

Ibidem anno 1671. Aliud in laudem Laurentij Cybo Episcopi Æsini.

Pisis eodem anno, aliud in laurea doctorali eiusdem Laurentij Cybo.

Massę anno 1674. aliud in Natiuitate Principis Massensis.

NICOLAVS de MERCIARIIS in diuinis literis versatus, patria Perusinus ad Cathedram Typhernatem in Vmbria, anno à partu Virginis 1375. promotus, illam per triennium rexit, deindè ad Vrbeuetanam Ecclesiam, cui per decennium, ac deinceps ad Callιensem translatus, illam moderatus est vsque ad annum 1414. quo ad Dionysiensem in partibus Infidelium promotus est. Huius extant, vt ferunt, Syllabi Episcoporum, & Historiæ Ecclesiarum illarum, pro quibus ius dixerat.

De hoc tractat Ferdinandus Vghellius Tomo 1. Italiæ sacræ in serie Episcoporum prænominatorum.

NICOLAVS COMES Montemelinus Perusinus, multis nominibus colendus, vitam enim cum virtute ducit hoc anno 1677. suis literis vernacula lingua Italica scriptis, atque in lucem editis in Patria anno 1675. apud Hæredes Zecchini, Io: Baptistæ Berti Romani, Monachi Siluestrini, Sacri Oratoris in Cathedrali tempore aduentus Domini anno 1674. Elogia, vincta, solutaque oratione, latinè, & etruscè explicata à diuersis, in vnum collegit propo-suitque Orbi vniuerso. Anno verò 1677. versu etrusco, typis patrijs euulgato Concionum vnam, habitam in quadragesimali ieiunio à P. Federico Trenta, supra alias mirè commendauit.

NICOLAVS PEROTTVS Saxoferratensis, Perusinus Ciuis, Orator, & Poeta magni nominis, Gręcæ, latinæ,

aliarum-

aliarumque plurium linguarum peritissimus, singulari eloquentia, & prudentia præditus; Bessarioni Cardinali amplissimo summè caro; Federico III. Augusto à consilijs, & ab eodem poetica laurea Bononiæ exornatus, ac renuntiatus Comes Insulæ Centiperæ, à Pio II. Pontifice Archiepiscopus Sipontinus, ab Eugenio IV. Nicolao V. Callisto III. Nuncius Apostolicus electus, adfuit Florentino, ac Ferrariensi Concilio, ad Oriantalem Ecclesiam, cum Romana vniendam. Præfuit Spoleto, Perusiæque. Rexit Patrimonium Petri, nec non Vmbriam totam; Senex excessit é vita anno salutis humanæ 1480. apud Sentinum in sua Villa peramęna, quam à pingui otio Frugicuram appellauerat; Cuius Tumulo paucos ante annos Torquatus Perottus gentilis talem posuit Epigraphem.

D. O. M.

NICOLAO PEROTTO SAXOFERRATENSI
PERVSINOQVE CIVI
OB RECONDITAM ERVDITIONEM,
LINGVARVM PERITIAM,
SINGVLAREMQVE FACVNDIAM,
NEC NON ILLVSTRIA
LITERARVM MONVMENTA,
BESSARIONI IN PRIMIS CARDINALI
SAPIENTISSIMO EXIMIE CARO;
TVM FRIDERICO III. AVGVSTO A CONSILIS,
ET
AB EODEM POETICA LAVREA
BONONIAE ORNATO;
INDE EVGENIO IV. NICOLAO V. CALLISTO III.
ET PIO II. PONTIFICIBVS MAXIMIS,
PRAECIPVE IN ORIENTALI ECCLESIA
CVM ROMANA,

TEMPORE

TEMPORE FERRARIENSIS, ET FLORENTINI CONCILII VNIENDA NAVATAM OPERAM, LONGE CARISSIMO, VMBRIAE, TVSCIAEQVE PRAESIDI, ARCHIEPISCOPO SEGVNTINO, DE CHRISTIANA REP. VNIVERSA, ITALIA, PATRIAQVE OPTIME MERITO, CVIVS ISTA MAIORIBVS TYRANNIDE EXTINCTA, LIBERTATEM, ET FELICITATEM DEBET.
TORQVATVS PEROTTVS VRBANI VIII. SVMMI PONTIFICIS A CVBICVLO INTIMO, GENTILI SVO L. M. P. ANNO DOMINI MDCXXIV.

Tantus hic vir edidit plutima opera, Grammaticam videlicet, siué rudimenta Grammaticæ ad Pirrum nepotem. Viterbij anno 1468.

Cornucopiam; siue Commentarium linguæ latinæ super Epistolas Plinij, & opera Marci Terentij Varronis, Cornelij Vitellij, Sexti Pompei Festi, & Nonij Marcellini, Venetijs apud Aldum 1513. in fol.

De puerorum Eruditione.

De Metris.

Vitam Cardinalis Bessaronijs, Episcopi Niceni.

De laudibus Friderici III. Imperatoris.

Enchiridon Epicteti Philosophi.

Hippocratis iusiurandum.

Plutarchi Libellum.

De Fortuna Romanorum.

Ioannem Papinium Statium cum Notis.

Orationes, & Epistolas eruditas.

Quædam è Græco in latinum transtulit. Præsertim Opera Aristidis, Libanij, Bessarionis, Aristotelis, Polibij.

Martia-

Martialem quoque Scholijs illustrauit.

Commentaria etiam composuit rerum suę Patriæ, quæ M. SS. apud hæredes adseruantur.

De tanto viro tractant Paulus Iouius, Leander Albertus, Iacobus Philippus Bergomensis, Posseuinus, Alexius in Elogijs Cent. 2. Pellinus in hist. Perusię, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

NICOLAVS Perusinus, Seruorum B. Mariæ Generalis renutiatus anno salutis humanę 1427. in Comitijs Florentinis, per annos tres supra triginta tale munus magno animi candore, vitæque innocentia exercuit. Publicus Professor Metaphisices in Patria primùm, tum in Romana Academia, de qua Volumen posteritati transmisit, asseruatum M. S. apud Religiosos sui Ordinis; Edidit tamen Commentarium in Logicam.

Adfuit Constantiensi Concilio, & é viuis plusquam octogenarius sublatus, ingens sui desiderium reliquit.

Est Nicolai huiusce mentio apud Archangelum Gianium in Annalibus Seruorum, apud Ludouicum Iacobillum de Script. Vmbriæ, nec non Alexium in Elogijs, Pellinum in sua hist. Alexandrũ Balestrinum de Gymnasio Perusino.

NICOLAVS RIGHETTVS, Perusinus Causidicus, inter viuos hoc præsenti anno 1677. olim Seminarij Episcopalis patrij Clericus, ad cunas B. Mariæ cum munere, Carmen latinum, euulgatum anno præsentis seculi quinquagesimo tertio, obtulit.

NICOLAVS VBALDVS, seu de Vbaldis, Perusinus, Baldi, & Robertæ filius, Matthæi Iuris consulti magni nominis, nec non Sigismundi Aduocati Consistorialis, frater, Baldi senioris Iuris consultorum Principis abnepos; in Patria Academia per annos plures Iuris prudentiam publicè professus est magna cum laude, omniumque plausu. Quare á Paulo II. Pontifice Maximo inter Aduocatos Consistoriales primùm, tum inter Iudices Romanæ Rotæ, ob eius scientiæ præstantiam, meritò fuerit. Post

hæc á Sixto IV. ad Ludouicum XI. Galliarum Regem in ſummis Reipublicæ Christianæ difficultatibus, Pontificius Orator ablegatur, quo munere perfunctus ad ipſius Pontificis mentem, nauataque hac egregiè opera, Romam è Gallia ad ſacram purpuram reuocatus, tanto laborum ſuorum fructu caruit, extinctus in itinere anno ſalutis humanæ 1484. cum edidiſſet anno 1471. Tractatum de Succeſſionibus ab inteſtato, cui additamenta adiecit Ludouicus Bologninus Iuris Conſultus primi nominis inter Bononienſes.


Reliquit etiam in Poſterorum commodum, ſed M. S. tractatum alium de Succeſſionibus ab inteſtato Clericorum Regularium, & Secularium.

Iacet Romæ in Templo S. Mariæ Aracellanæ in tumulo communi ſibi, Matri, ac Matthæo fratri, ſub hac Epigraphe.

ROBERTAE VBALDAE
NOBILI MATRONAE PERVSINAE,
ET NICOLAO,
AC MATTHAEO FILIIS IVRIS CONSVLTISS.
BALDI ATAVI, DOCTORVM PRINCIPIS,
FRATRVMQVE EIVS GLORIAM
PENE CONSECVTIS,
ROMAE VIRTVTIS MERITO PATRICIATVM
ADEPTIS, DOCTRINA, INTEGRITATE,
AC RERVM VSV A PAVLO II.
ET INNOCENTIO VIII. PONT. MAX.
ET LITIBVS IVD. INTER ROT. XII.
ADLECTIS.
QVORVM ALTER A SIXTO IV.
IN SVMMIS REI ECCLESIASTICAE
DIFFICVLTATIBVS AD LVDOVICVM XI.
GALLIARVM REGEM ORATOR MISSVS,
TANTVM MVNERIS PRO VOTO EGIT.

ALTER VXORE PRIMVM DVCTA,
INSIGNI PROLE AVCTVS,
INDE RELIGIONI ADSCITVS,
AB ALEX. VI. NVCERIAE,
MOX A IVLIO II. PERVSINAE
ECCLESIAE PRAEFECTVS,
CVM NEC AMBISSET, NEQVE QVICQVAM
COGITARET MINVS, PLENVS FAMA,
ET ANNIS OCTOGENARIVS,
MATRIS AC GERMANI OSSIBVS
EST ILLATVS.
IO: BAPTISTA VBALDVS
TANTA LVCE ORBATVS, NE QVI DOMVS
AC PATRIAE DECVS,
NOMENQVE AVXERANT,
HIC SINE STEMMATE,
SINE MORTIS HONORE IACERENT,
AVIAE, PATRVO,
AC PATRI BENEMERENTI,
ET SIBI P. MDLIX. KAL. MAII.

Meminère Nicolai Cæſar Criſpoltus in ſua Peruſia Augusta, Tabulæ Peruſinæ. Iaſon in l. illud n. 6. verſ. C. de collation. Paulus Caſtrenſis in l. omni modo §. impubero C. de inoffi. teſtam. Andreas Tiraquellus de legibus connubi: l. 5. gloſ. 2. p. 5. n. 17. Cęſar Alexius Cent. 2. Elogiorum, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocat. Conſiſtorialium, Alexander Baleſtrinus in memorijs Peruſinis, Io: Baptiſta Laurus in Epitaphijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Paulus Merula in Deſcrip. Italiæ, Cardinalis Papienſis in Comment. lib. 7. Alexander Balliosnus in Diſcurſu Italico, edito Peruſiæ anno 1675. & Nos in Athenæo Romano.







CTAVIANVS AVRELIVS, Perusinus, iussu Caroli de Comitibus, Perusij, Vmbriæque Gubernatoris, collegit cum alijs Comitinas Constitutiones, continentes varia decreta, ac reformationes diuersorum, qui Augustæ Perusiæ gubernio præfuerunt.

OCTAVIANVS HERCVLANVS Perusinus, in vtroque Iure Doctor, Ciuitatis á secretis, vir nostra ætate, eruditione, & poesi conspicuus, publicus professor Iuris prudentię in Patria Academia; Carmine etrusco laudauit Paulum Segneri é Societate Iesu, D.Maurum Baronium, Abbatem Oliuetanum, & Fr. Bartholomęum Blancum Minorem Conuentualem, sacros Oratores. Eodem Carminum genere exornauit laureas doctorales Io: Baptistæ Santollini Cæsenatis, Laurentij Abbatis Saluiati, & Iosephi Estensis Mustij Abbatis. Simili parentauit Antonio Baptistæ Dionysio, Militum duci, extincto in expugnatione Cretę Vrbis contra Turcas, & Marco Antonio Eugenio Aduocato Aulę Consistorialis, Romę defuncto, Extulit quoque alio publicam supplicationem Sanctissimi Crucifixi, celebratam anno 1656; nec non purpuram Federici Cardinalis Columnę, & cecinit laudes Cornelij Oddi filij Herculis, & Catarinæ à Pinna, atque Valentiæ Virginiæ Valentis, Virginum Deo sacratarum.

OCTAVIANVS HIEREMIA Perusinus occasione publicæ

blicæ diſputationis, habitæ Peruſiæ á Paulo Racano Tudertino, Poematium latinum ſcripſit, publicique iuris fecit anno voluentis ſeculi, decimo ſeptimo.

OCTAVIANVS MACCIONVS, Sacerdos pius, ac doctus, patria Peruſinus, anno noſtri ſeculi ſeptimo ſupra decimum, edidit Italicè Modum practicum quærendi ſalutem, & frequentandi Sanctam Euchariſtiam in 12. Peruſiæ, typis Marci Naccarini.

OCTAVIANVS PLATO ſenior, patria Peruſinus, Franciſci eiuſdem agnominis filius, publicus Medicinæ theoricæ Profeſſor in Auguſta Academia, vnus quatuor fundatorum Academiæ Inſenſatorum, Philoſophiæ doctiſſimus, denatus die 27. Decembris anno ſalutis humanæ 1592. ſcripſit, vti habemus ex Tabulis Peruſinis, Hiſtoriam Academiæ Inſenſatorum.

OCTAVIANVS PLATO iunior Peruſinus, Philoſophiæ, & Medicinæ doctor, defunctus ante annum 1676. ſcripſit, ediditque Peruſiæ anno 1637. Carmen etruſcum in morte Georgij Boreæ, nobilis Lugenſis, & aliud anno 1640. quo parentauit Ludouico Alberto; ſimili anno 1643. Veneris Statuam, opus Alexandri, Algardi laudauit.

OCTAVIVS LANCELLOTTVS Peruſinus, Magiſter in Philoſophia, & ſacra Theologia, Academicus Inſenſatus, olim Rethoricæ, & politioris Sapientiæ in Patria publicus Profeſſor per annos quatuor ſupra triginta; deindè Congregationis Oratorij S. Philippi Neri Sacerdos, obdormiuit piè in Domino die 9. Februarij anno à partu Virginis 1671.

Huius literæ latino idiomate ad Felicem Verducciolum datæ, & Elogia in obitu Georgij Boreę, nobilis Lugenſis, publici iuris factę ſunt typis patrijs anno 1637.

Scripſit Orationes plures vtraque lingua diuerſis temporibus.

Vnam Apologeticam de antiqua eloquentia vindicata, euulgatam anno 1640.

Alteram de Episcopali dignitate, excusam anno 1619.

Aliam in funere Rodulphi Calidonij Perusini, à se habitam apud Academicos Insensatos anno 1620.

Anno 1651. Romę typis Iacobi Phæi, Andreæ filij, aliam à se dictam in Perusina Principe Basilica anno lustrali 1650. publicis renascentibus studijs sub titulo, Perusia Germanophila. Et Maceratæ anno 1649. aliam sub titulo Gallophilia Minerua.

Anno verò 1650. Perusiæ aliam Italico idiomate habitam in funere Iosephi Saluucij, Patritij Perusini die 2. Septembris anno 1649. in patria Ecclesia S. Francisco Assisinati sacra, sub titulo, *Il Leone alato*. Et aliam in parentalibus M. Antonij Eugenij Aduocati Consistorialis dictam 10. Cal. Sextil. anno 1657. in Augustinēsi Basilica Perusina.

Anno 1652. ex typographia Camerali Perusina aliam, in commendationem Perusinæ Sapientiæ á se dictam postridiè Nonis Nouembris.

Demum anno 1662. die 21. Decembris, Discursum Italicum habitum quando in Collegium Mercaturæ admissus est Rainerius Sensi, inscriptum, *Le tre stelle*. Elogijs autem latinis laudauit Christum morientem, Maurum Baronium, Abbatem Oliuetanum, sacrum Oratorem in Cathedrali Perusina, & D. Paulum Camillum Marussium Placentinum, Monachum Cassinensem, nec non Ludouicum Albertum; & Zacchariam de Aloysijs, S. Petri de Perusia Præsulem, auctorem Opusculi prænotati *Racconto delle funtioni litterarie, fatte da Monaci Cassinensi, nel Capitolo Generale, celebrato nel Monistero di S. Pietro di Perugia l'anno* 1646. Elogijs quoque plurimis S. Petrum Abbatem extulit, & laureas doctorales Io: Baptistæ de Santolinis Cæsenatis, Laurentij Abbatis Saluiati Florentini, D. Pauli Camilli Ruffi Placentini, Monachi Casinensis, & Abbatis Iosephi Estensis Mustij.

Scripsit etiam pro venerabili SS. Andreæ, & Bernardini Sodalitio Perusino, Orationem prænotatam, Raptor manumit-

numittendus; & aliam ſub titulo Hiſpania illuſtrata.

Reliquit M. SS. Ephemeridum Volumina plura, aſſeruata in Bibliotheca Auguſta.

Item hiſtoriam familiarum, Virorumque Illuſtrium Peruſinorum.

Et Opus de Origine Eccleſiarum, Monaſteriorum, Collegiorumque eiuſdem Vrbis.

De Octauio Lancellotto cum laude tractat Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

OCTAVIVS RINALDVS Peruſinus, ante annum pręſentem 1677. denatus, olim, anno videlicet 1653. Clericus Seminarij Epiſcopalis patrij D. Ioſephum Almerigium, in principe Peruſię Baſilica Archipresbyterum, eiuſdem Seminarij aliquando alumnum, tunc temporis Patronum, Carmine latino, typis Peruſinis euulgato, laudauit.

ORLANDINVS VIBIVS, Peruſinus, qui prudentia, dignitateque floruit ſeculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto, ſuis literis italica lingua editis per Baldum Saluianum Peruſię anno 1576. modum exhibuit conciuibus ſuis liberandi ſeſe à peſtilentię morbo, quo pręmebantur; fungebatur enim tunc temporis Orlandinus munere Pręfecti ſanitatis publicę.



PANDVL-



P



PANDVLPHVS ANSIDEVS Perusinus, Marci Antonij Bonciarij senioris discipulus, poesi nostro seculo clarus, Sanctissimæ Virginis Assumptionem in Cælos Carmine latino, typis Patrijs euulgato anno 1606. laudauit.

PANDVLPHVS HONDEDEVS patria Perusinus, Ioannis Vincentij filius, in Iuris prudentia doctus, & veterum Iuris peritorum lectione diues, in secularium literarum scientia eruditus, scripsit additiones, & argumenta ad Consilia, siue Responsa Io: Vincentij Parentis, edita Venetijs apud Scottum annis 1604. & 1610. in fol. Eiusdem Consilium de celebratione Missarum, euulgatum inuenies Perusiæ apud heredes Petri Thomasij anno 1645. cum voto responsiuo Timothei de Timotheis.

De hoc tractat Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, in Io: Vincéntio Hondedeo.

PASCHALIS huius nominis II. Pontifex Maximus, in Ordine centesimus sexagesimus secundus, ante Pontificatum Raynerius, seu Renatus de Raynerijs nominatus, natione Italus, patria ex aliquibus Perusinus, professione Monachus Cluniacensis, ex Presbytero Cardinali S. Clementis, inuitus renuntiatus Pontifex Maximus, pro dignitate Rempublicã Christianam administrauit per menses quinque, & dies nouem supra annos duodeuiginti,

camdem-

camdemque enuntiatione nonaginta trium Cardinalium, & celebratione plurium Conciliorum stabiliuit, & sepsit contra inuasores. In carcere detentus, multisque affectus iniurijs, vt Ecclesię malis succurreret Epistolas plures scripsit, quarum triginta, & duæ habentur apud Binium tom. 7. Conciliorum. Collapsam Clericorum in Gallia disciplinam cum accepisset, eò se contulit, vt salubrem malo medicinam faceret. Decessit Romæ 12. alijs 13. Cal. Februarij, anno duodeuigesimo seculi duodecimi post Christum natum, & sepultus in Basilica Constantiniana.

Est Paschalis mentio apud Scriptores omnes, qui historiam Ecclesiasticam, vel Pontificiam descripsère, item apud Cæsarem Alexium in Elogijs clarorum Ciuium Perusinorum, Cent. 1. nec non apud Felicem Ciattum lib. 6. Perusiæ Pontificiæ. De eodem nos quoque egimus in Athenæo Romano, in Necrologio Romanorum Pontificum, & in additionibus ad Ciacconium.

PAVLVS ÆMILIVS MASSEVS Perusinus anno nostri seculi septimo supra decimum, excussit in patria apud Typographos Augustos Poematium latinum, scriptum occasione publicæ disputationis, quam habuit Perusiæ Paulus Racanus Tudertinus.

PAVLVS ÆMILIVS de MONTE SPERELLO Perusinus, anno nostri seculi duodeseptuagesimo Perusiæ edidit, Flores legales, selectos ex viridario Rub. ff de acq. posses.

PAVLVS ANASTASIVS, Perusinus, poetico studio clarebat initio voluentis seculi, quo Carmine latino, euulgato in patria anno duodecimo, laudauit D. Ioannem Iacobum, Baronem in Konigisegg. Canonicum Coloniensem, Salisberiensem, & Augustanum, Iuris vtriusque Theses publicè Perusiæ sustinentem.

PAVLVS ANTONIVS de VITIS Perusinus Carmine latino, excusso Perusiæ anno salutis humanæ 1670. lauream Dominici Orsuccij Lucensis exornauit.

PAVLVS de BENEDICTIS Perusinus, Benedicti Capręprecla-

præclarissimi Iuris Consulti discipulus ; cuius doctrina incensus , legali disciplinæ tam firmiter operam nauauit , vt non solum laurea doctoratus , sed eiusdem facultatis Cathedram in patria Academia consequutus fuerit .

In qua tam doctè legum ambages explicauit , & fructuosè docuit , vt ob magnam auditorum frequentiam , & eximij doctoris famam ad digniores , & primarias eiusdem Academiæ Cathedras promotus , dignus habitus sit , vt inter celebriores Iuris peritos adscriberetur. Idem Lucubrationes summoperè eruditas in Ius Ciuile à se compilatas penès hæredes suos in lucem edendas reliquit , sed horum incuria tantorum laborum fructu adhuc priuamur. Annorum plenus in Cælum migrauit , & sumptuoso funere inter suos , in Diui Augustini ęde conditus est.

De hoc tractat Cæsar Alexius in Elogijs .

PAVLVS BONCAGNANVS Perusinus , professione Minorita , in diuinis scripturis doctus , Theologiæ doctissimus , & diuinarum Scripturarum publicus Professor , publicę luci commisit Volumina duo , vnum de Sermonibus Quadragesimalibus , alterum de alijs pro diebus festiuis .

PALVS BONCAMBIVS Perusinus , Ordinis Minorum, Theologus magni nominis , gentilis Pauli Boncambij Senatoris Vrbis , & Iuris Consulti eximij . sub Innocentio VIII. Pontifice Maximo , edidit Sermones quadragesimales , & festiuos , vt referunt Fr. Lucas Vuadingus de Scriptoribus Minoritis , & Ludouicus Iacobillus de Vmbris .

PAVLVS BONCAMBIVS , alius , & ipse patria Perusinus, in Republica gerenda talis fuit, vt nullius magis consilio, & virtute ea tempestate Patria Ciuitas staret ; Solers hominis prudentia in legationibus quas gessit , maximè emicuit , quibus magna cum gloria ad summos Principes de grauioribus Patriæ rebus perfunctus est . Ab Innocentio VIII. Pontifice Romā accitus, in Romanum Senatorem electus est, vt Romano populo ius diceret ; hoc in munere,
dum

dum in illum omnium ſtudia feruerent , è viuis exceſſit anno ab Orbe redempto 1488. Pro Poſteris Senatoribus relinquens Regulas ad optimam Vrbis gubernetionem.

De hoc tractat Cæſar Alexius in Elogijs clarorum Ciuium Peruſinorum Cent. 2.

PAVLVS BONTEMPIVS , vide inferius Paulus Peruſinus.

PAVLVS CAPISVCCVS nobilis Romanus , Romæ natus eſt anno reparati Orbis 1479. vir Iuris conſultiſſimus , aliarumque literarum ſcientia , vitæ integritate, omniumque virtutum cumulo planè admirabilis. Vaticanæ primùm Baſilicæ Canonicus , Referendarius vtriuſque Signaturę, tum Sacræ Rotæ Iudex, & Decanus, Epiſcopus Neocaſtrenſis apud Brutios in Magnę Greciæ confinio , duorum Summorum Pontificum , Clementis VII. videlicet , ac Pauli III. generalis Vicarius, quorum iuſſu varijs, & diuerſis legationibus functus ſemper cum laude, & ad eorumdem mentem eſt. Signaruræ gratiæ Præfecturam , etiamſi purpuram non veſtiret, quia purpura digniſſimus , ante purpuram habebatur , adminiſtrauit. Mandante Clemente VII. cauſam diuortij inter Henricum VIII. Angliæ Regem , & Catarinam de Aragonia vxorem diſcuſſit, vt habemus ex Nicolao Sandero, qui lib. 1. ſui Operis de Schiſmate Anglicano , hæc refert. Pontifex interim iuſtiſſimam Reginæ appellationem ſuperius commemoratam, ratam habens, palam Volſęo, & Campegio interdixit , ne amplius huic negotio ſe imiſcerent , cauſam vltrò totam Paulo Capiſucco, Sacri Palatij Apoſtolici cauſarum auditori , & Decano cognoſcendam , ipſique Pontifici Romano referendam, & explicandam commiſit; quam iuſſit, tam Regi, quam Reginæ diem certum præſcribere , quo cauſam apud ipſum per legitimos Procuratores ſuos dicerent. Quæ Pontificis Conſtitutio , non Romæ tantum, ſed etiam, Brugis, & Tornaci, ac in alijs vicinis Flandriæ Eccleſijs promulgata, imò, & in Angliam

ad Serenissimam Reginam, transmissa est. Insuper Paulus Perusiæ, & Anconæ Gubernator diuersis temporibus renuntiatur. Marchiam quoque Anconitanam, Vmbriamque Vicelegatus rexit; quibus in muneribus cum omnibus plenè satisfecisset, Perusini, memores officiorum, quæ in Perusium olim Petrus Capisucchius, S. R. E. nostro æuo citra omne dubium, ex Tabulis antiquis, atque ex Vincentio Armanno, nec non ex Cornelio Margarino, Abbate Cassinensi; atque ex Io: Baptista de Luca, Sanctissimi D. N. Innocentij XI. Auditore generali, scriptis, Cardinalis, largé, benignèque contulerat, iam à nostro Paulo in concordiam inter se adducti, in remunerationem tot beneficiorum, nec non ob eximias tantorum Virorum virtutes, rerumque gerendarum peritiam, Paulus inter Nobiles Ciuitatis, omnium votis, suffragijsque adscripsère; Nuncius quoq; Apostolicus Auenionem se contulit, ad Comitatus Venaisini tumultus sedandos. Iacobus Sadoletus S. R. E. Cardinalis Epistola ad Vbaldinum Bandinellum lib. 7. de hac Legatione Pauli sic scribit; Deindé re ad Maximum Pontificem delata, facilè ab eius clementia, & singulari iustitia est impetratum, vt pro homine parum his populis probato, alium nobis daret, in cuius virtute, & integritate, & prudentia requiesceret Prouinciæ status: quod & factum est, datumque negotium Paulo Capisucco, homini eximia auctoritate, atque doctrina, quem nunc maximé expectat Prouincia; Idem Epistola ad Paulum nepotem hæc de nostro Paulo, habet. De Capisucco gratissimum mihi est, & Romæ eum commorari, & habere locum, quem virtus eius meretur, quamquam non vt meretur quidem, est enim vir summis honoribus dignus, qui quod tui amantissimum se ostendat, non est aliena illius naturæ, & humanitatis hæc comitatis exercitatio. Eum ego maiorem in modum diligo, & diligam semper, summasque eius virtutes, atque in primis humanitatem illam, qua singulari est prẹditus omnibus meis officijs com-

complector. Vrbis Custos interfuit Concilio Lateranensi, celebrato sub Iulio II. & in lucem edidit plures Cõstitutiones, Populis, Clericisque sibi subiectis perutiles; nec non plures Decisiones Rotales, inter quas duæ sunt in causa Henrici Regis Anglici cum Catarina Aragonia vxore; Nempe Regem in censuras incidisse ob contumaciam in ijs peragendis, quæ sibi fuerant per Diploma interdicta, Vxore depulsa, alia sibi fœmina adiuncta. Et Reginam vtpotè ab eo iniuria deturbatam, in pristina coniugij, regięque dignitatis quasi possesione, reponendam. Vidi eiusdem edictum, euulgatum typis Romanis die 17. Octobris, anno ab Orbe redempto 1530. dum ibi fungeretur Vicarij officio.

Obijt Romæ 8. Idus Augusti, anno 1539. & magno Ciuium Romanorum, & Aulicorum luctu funus eius curatum. Iacet in Basilica Liberiana, in antiquo suæ familiæ Sacello S. Francisco Assisinati sacro, cum sequenti Epigraphe à Io: Antonio Capisucco S. R. E. Cardinali nepote, apposita.

D. O. M.

PAVLO CAPISVCCO,
EPISCOPO NEOCASTRENSI,
VICARIO PAPAE, ROTAE AVDITORI,
SVBSIGNANDISQVE GRATIAE RESCRIPTIS
PRAEPOSITO,
PLVRIBVS LEGATIONIBVS PERFVNCTO,
IOANNES ANTONIVS CARDINALIS
SANCTI PANCRATII PATRVO
BENEMERENTI POSVIT.
OBIIT ANNVM AGENS SEXAGESIMVM
IX. IDVS AVGVSTI MDXXXIX.

De tanto viro tractant Ferdinandus Vghellius in Italia

ſacra tomo 12. inter Epiſcopos Neocaſtrenſes,& in Genealogia familiæ Capiſuccæ , Vincentius Armannus Eugubinus in Diſcurſu Italico, Romæ edito anno 1668. de nobili, & antiqua familia Capiſuccorum , Pompeus Pellinus in hiſtoria Peruſina , Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ , Sanderus , & Sadoletus , laudati , Abrahamus Bzouius, Odericus Rinaldus in Annal. Eccl. tomo 14. Sfortia Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini , Alexander Pollinus in Hiſtoria Anglicana , & nos in Additionibus ad Ciaconium in vita Io: Antonij , Cardinalis Capiſucchij .

PAVLVS CAPRA , alijs Tetius de Benedictis , Benedicti Tetij diſcipulus , Patria Peruſinus , ſtudijs addictus , eos in iuris cognitione progreſſus fecit , vt publicus Iuris Interpres , Benedicto haud impar haberetur . Eruditiſſimas in Iure Ciuili lucubrationes penès hæredes ſuos moriens reliquit , vt ederentur , at nos tantorum laborum fructu adhuc caremus . Varia obijt in patria munia ſemper cum laude , itaque non niſi poſt auctum ſuæ gentis decus è viuis exceſſit .

Eſt huiuſce mentio apud alias laudatum Cæſarem Alexium in Elogijs .

PAVLVS à patria cognominatus PERVSINVS , & Bontempus à familia, ex qua natus , cum ſedulam optimarum artium , legumque ſtudijs operam dediſſet , Iuriſque lauream retuliſſet , publicus eiuſdem interpres , plenis licet velis ferretur ad gloriã , repentè Numinis ſupremi afflatu tactus, quicquid humanum eſt ſpreuit , abiecitque vni Diuinitati obſecuturus, contulit ſe apud Carmelitas , apud quos vitæ ſanctimonia , morum ſuauitate , doctrinaque claruit ſingulari .

Hic in Comitijs generalibus Ordinis ordinatus eſt ad legendum Sententias Pariſijs, quod egregiè fecit per triennium ; edens ſuper quatuor libros ſententiarum Opus celeberrimum, vt Trithemius loquitur,quod in ſui nominis

memo-

memoriam transmisit ad Posteros; Habetur in Bibliotheca Romana Ordinis, ad S. Mariam Transpontem, debito honore, atque ex illo plura se extraxisse pro duobus suæ Theologiæ Tomis in lucem editis, fatetur Io:Baptista Lezana Carmelita tom. 4. Annalium suæ religiosæ familiæ ad annum Christi 1344.

Scripsit etiam Quodlibetta, seu Quæstiones varias, & alia plurima eruditione pari, in hanc diem in laudato Coenobio Romano M. SS. asseruata.

Numquam accepit Magistri insignia, fuit solum Baccalaureus, nam post lecturam Sententiarum è vita migrauit Parisijs, & ibidem sepultus anno salutis 1347.

Sunt qui Paulum hunc Gallum dicunt, eo forsan ducti quod publicè Parisijs docuerit, ibidemque mortuus; cum tamen tunc temporis ex omnibus nationibus, Hispani videlicet, Itali, Germani, & Angli Parisios ad lecturas mitterentur; In prædicto volumine super sententias Bibliothecæ Transpontinæ vocatur Paulus Perusinus Bontemps, malè illum Ludouicus Iacobillus nominat Paulum de Vbaldis Perusinum.

Celebrant tantum virum, præter laudatos Lezanam, & Iacobillum, Petrucius Belga in Bibliotheca Carmelitica, Iacobus Philippus Bergomensis lib. 13. anno 1342. Posseuinus, Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta, Alexius Cent. 2. Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Trithemius, Iouius, Eisengrenius, Petrus Lucius, Biscarettus, Daniel á Virgine Maria in Vinea Carmeli, qui parte 6. cap. 4. post annum Christi 1300. hæc habet, Paulus de Perusio, tam in secularibus literis, quam in Scripturis diuinis egregiè doctus, ingenio subtilis, sermone scholasticus Ordinem, & Ecclesiã non parum exornauit.

PAVLVS COMITOLVS Perusinus, nostræ se Societati addixit anno salutis 1660. ætatis 15. in qua disciplinis omnibus, tum maximè humanioribus, latinis, & Græ-

cis

cis literis eximié fuit perpolitus . quare Rhetoricam publicé docuit, Sacras quoque interpretatus est literas. Quæstiones de moribus publicè, & priuatim explicauit. Obijt in Patria die 18. Februarij anno reparati Orbis 1626. ætatis 80. Religionis 60. Professionis 4. votorum emissæ 48. cum edidisset translatam à se eleganter è Græco in latinum sermonem, Catenam illustrium Auctorum in librum Iob, Lugduni 1586. auctam verò Venetijs in 4. apud Iolitos anno sequenti 1587.

Consilia, seu Responsa moralia in septem libros digesta, qui continent de Sacramentis.

De Voto, & Iureiurando.

De Criminibus, & de Criminosis, & de Criminosa ignorantia.

De Metu iusto.

De tuta Opinione eligenda.

De Censuris, & Irregularitate.

De Testamentis.

De Legatis pijs.

De ijs quæ vsu capiuntur.

Lugduni anno 1619. in 4. magno. post Horatiũ Cardon.

Doctrinam de Contractu vniuerso in tres partes distributam ibidem in 4. 1515.

Tractatum Apologeticum pro monitorio Sedis Apostolicæ in Venetos.

Confutationem libelli septem Theologorum Venetorum aduersus Interdictum Apostolicum.

Huiusce auctoris volunt esse centum, & triginta Priuilegia B. Virginis, edita Perusiæ Italicè apud Aloysium Aluigium 1615. tacito nomine; cuius operis alij Neapolionem Comitolum fratrem, Episcopum Perusinum prędicant.

De hoc tractant Philippus Allegambe, & Natanael Sotuellus in Bibliotheca Soc. Iesu, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus

Vmbriæ,

Vmbriæ, Cæſar Alexius in Elogijs, Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana.

PAVLVS DONIVS Peruſinus, Vincentij, de quo inferius frater, Curtij, & Caroli, quorum ſuperius meminimus, patruus, Varſauiæ Decanus, apud Ioannem Caſimirum, Poloniæ Regem à cubiculo, & à ſecretis, nobilis, eiuſdem Regis ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum, ad Ferdinandum III. Cæſarem, ad Rempublicam Venetam, atque ad Ferdinandum huius nominis ſecundum, Magnum Ducem Etruriæ Ablegatus, nec non Nuncius electus ad Reginam Hiſpaniarum, poſt obitum Philippi IV. mariti, & Internuncius Neapolitanus, adhuc hoc anno 1677. inter viuos, literis, & virtutibus clarus, Ludouico Alberto ſepulchralem Epigraphem ſcripſit, euulgauitque typis patrijs anno 1640. Vidi eiuſdem literas plures publici iuris factas, nomine eiuſdem Ioannis Caſimiri Regis, miſſas ad diuerſos.

PAVLVS GRISALDVS Peruſinus, Prouincialis Ordinis Prædicatorum, Magiſter in Theologia ſcholaſtica, & Sanctorum Patrum cognitione clarus, Philoſophus magni nominis, vixit vſque ad annum ſalutis 1609. ediditque Deciſiones fidei Catholicæ, ex ſacrarum literarum, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum ſcholaſticorum fontibus, & Sanctorum geſtis deductas, & in vnum alphabetico ordine collectas, contra hæreſes, quæ ad annum vſque 1580. ortæ ſunt. Venetijs 1582. & 1587. apud Iunctas,

Scripſit etiam Tractatum Phyſionomicum de Neruis.

Orationes diuerſas.

Et Volumina plura de re Theologica.

Eſt huiuſce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, Alexandrum Baleſtrinum de Gymnaſio Peruſino.

PAVLVS GVASTAFERRVS Peruſinus Ordinis Prædicatorum, Concionator eximius, compoſuit libros plures

Sermo-

Sermonum, vnum videlicet Quadragesimalium, & alterum Dominicalium, florebat anno Salutis humanæ 1275.

Ex Antonio Senensi in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum Ioanne, Michaele Pio de Viris illustribus eiusdem Ordinis, Ludouico Iacobillo de Scriptoribus Vmbriæ, Fernandez in Concertatione Prædicatoria, Fontana in Catal. Script. Prouinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum.

PAVLVS cognomento de LAGO, patria Perusinus, iuris vtriusque Doctor, à Paulo V. Romano Pontifice, anno salutis 1606. institutus Episcopus Triuentinus (Triuentum Samnij Ciuitas est vetustissima in Comitatu Molisij, in Apuliæ, & Aprutij finibus sita) literas ad populum sibi commissum datas, & Constitutiones pro Clericis suæ Diœcesis, edidit; obijtque anno 1623.

Meminit huius Ferdinandus Vghellius tomo 2. Italiæ sacræ ad appendicem de Episcopis Triuentinis.

PAVLVS Perusinus inter SALVCCIOS nobiles Perusinos connumeratus, Iuris Consultus sua ætate illustris, Roberti Regis Siciliæ Bibliothecarius, viuebat anno salutis humanæ 1340.

Scripsit multa ad Phisiologiam, & Tropologiam pertinentia, ex quibus Ioannes Boccatius fassus est se plurima decerpisse pro sua Genealogia Deorum; etiã composuit librum de Etruria, teste Francisco Campano, auctore dubiæ fidei.

Statuta patriæ Vrbis, Magistratus imperio ordinauit.

Iuuenis adhuc, eloquentiæ studiosus, res à Perusinis præclarè gestas conscribere aggressus est, comparauitque ad hanc nobilem narrationem prætexendam, quæcumque sibi vtilia fore arbitrabatur, sed dum apud fato functos, beneficium insigne ponere cogitabat, fato, & ipse defungitur immanissimo.

Meminére Pauli huiusce præter Fanuccium, & Boccaccium, Iacobus Philippus Bergomensis in supplemento

Chronici,

Chronici, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Pellinus 3. part. suæ hist. Octauius Lancellottus in Oratione funebri Iosephi Saluuccij, Io: Baptista Laurus Epist. 86. Cent. 2. Sabellicus, Cæsar Alexius in Elogijs, Leander Albertus in Descrip. Italiæ.

PAVLVS Perusinus alius à superiori, familiæ BONTEMPORVM à nonnullis adscriptus, Iuris consultus sua ætate clarus, adeò vt Iuris prudentiam in Patria Academia per annos plures, semper cum plausu explanauerit, & Magistratus imperio Statuta Ciuitatis restaurauerit, Scripsit Collationes, Commentum in Philosophiam, & Theologiam, nec non Ianuæ historiam. Confundunt plures hunc Paulum cum superiori, & ex duobus vnum faciunt; at duos fuisse clarius constet, ex temporum, supputatione, nam primus seculo decimo quarto, regnante Roberto Rege, alter seculo decimo sexto sub Paulo tertio vixit.

PAVLVS è Perusio ex Doctore vtriusque Iuris, dum prælegeret in Academia Perusina, factus Minorita fermè in exordio nascentis regularis obseruantiæ circa annum salutis 1400. Scripsit tractatus varios in Iure Canonico, Vnum præsertim in defensionem Montis Pietatis, Alterum de Societatibus Mercatorum, in tres partes distinctum; prima quarum est de socijs in negotio pecuniarum, secunda de Pecudibus, tertia de Agricultura. Huiusce tractatus Compendium italicum fecit, quod olim apud se habere fassus est Fr. Lucas Vuadingus in Tomo de Scriptoribus Ordinis Minorum.

Meminit eiusdem Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

PAVLVS TETIVS de BENEDICTIS, Iuris consultus magni nominis inter Perusinos, Benedicti Capræ discipulus, edidit Lecturas sex sup. 1. & 2. ff. vet.

Eiusdem Opuscula alia M. SS. inueniuntur in Bibliotheca Angelica Vrbis apud Patres Eremitas S. Augustini.

De hoc Io: Vuolfangus, Zilettus, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in in memorijs Perusinis, Cæsar Alexius in Elogijs.

PAVLVS de VBALDIS, vide superius Paulus Carmelita.

PAVLVS de VBALDIS Perusinus, Tractatum edidit de Collectis, vt refert Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, in Petro de Vbaldis.

PAVLVS VELIA Perusinus, Musis pergratus, poematia latina scripsit plura: vnum videlicet de S. Francisco Assisinate, impudicã mulierem coercente; aliud de S.Eustachio Martyre, ediditque Perusię anno voluẽtis seculi sexto. Alio simili Marci Antonij Bonciarij senioris eloquentiam commendauit.

PERITEVS MONTESPERELLVS Perusinus in Iure Doctor primi nominis, publicarum legum restaurator, Orator ad Pontificem Romanum, è viuis abijt anno salutis humanæ 1502. Posteris relinquens suæ Legationis relationem, & Consiliorum Volumen.

Meminit Peritei Pompeus Pellini in hist. Perusiæ.

PETRVS ANTONIVS RAMAZZANVS, Patria Perusinus in poesi vtraque lingua versatus, versu latino, typis patrijs euulgato, anno nostri seculi duodecimo, illustrem redidit D. Ioannem Iacobum, Baronem in Konigsegg, Canonicum Coloniensem, Salisberiensem, & Augustanum, dum publicé Perusiæ iuris vtriusque Theses defenderet.

PETRVS ANTONIVS SEVERVS è Mugnano, Clericus Seminarij Episcopalis Perusini, anno salutis humanæ 1665. illud Ioannis 1. & Lux in tenebris lucet, metricè explicauit, ediditque in lucem in posterorum commodum, & ingenij sui signum; è vita migrauit studijs intentus in ipso Seminarij Collegio.

PETRVS ARMANNVS, aliás Armannus Armanni Perusinus, Sapientiæ Astrologicæ professor, viuebat in patria anno voluentis seculi decimi septimi à partu Virginis

sexto

ſexto ſupra ſeptuageſimum, Syderalis ſcientiæ conſultus ibique ſcripſit Italicè, ediditque Arimini ſub nomine Priami Neranti, *Auiſi aſtrologici*, ſeu *Curioſe oſſeruationi intorno agl'accidenti più notabili delle coſe del mondo*, pro annis 1675. & 1676.

Idem ibidem Ephemerim Aſtrologicam pro anno 1675.

Diſcurſum Aſtrologicū pro ānis 1676.1677.1678. euulgatos Peruſiæ annis iiſdē apud Heredes Sebaſt. Zecchini.

PETRVS BALLIONVS Peruſinus, Gottifredi, & Alexandri Genitor, quibus ad illos in pietate Chriſtiana, rationeque ciuili inſtituendos, Italicè ſcripſit monita, publici iuris facta Peruſiæ pluries diuerſis temporibus.

Sub nomine verò Polibij Tigrane è Gallica lingua, in vernaculam italicam, conuertit, ediditque Peruſiæ anno 1661. in 4. Opus G. Franciſci Senault, Sacerdotis Oratorij Pariſiorum, ſub titulo *l'Vſo delle Paſſioni*.

Sub proprio nomine, ſuiſque literis anno 1672. nuncupauit Abbati Mauro Baronio elucubrationes diuerſorum, in laudem eiuſdem Abbatis elaboratas; & anno 1675. Ægidio Columnæ Anticoli Duci, Clementis X. Nepoti, Applauſus Peruſię in Purpura Federici Columnę.

PETRVS BAPTISTI Peruſinus, Euangelij Præco ex ordine Minorum, doctus, & pius edidit Italico idiomate typis Peruſinus anno 1674. Opuſculum ſub titulo, *Scala dell anima per giungere in breue alla contemplatione, perfettione, e vnione con Dio*; e vita abijt in patria die 13. Iulij anno 1677.

PETRVS COMITOLVS Peruſinus, quem Cæſar Alexius á Petro de Colle medio Campano, ab Innocentio IV. Romano Pontifice inter purpuratos Patres cooptato, non diſtinguit, humanioribus literis, & Philoſophia ferè puer inſtitutus eſt. Adoleſcentior in ſacrorum Canonum cognitione, ita deſudauit, vt inter ætatis, ac blandientis, & ancillantis fortunæ obſequia, Patribus Rotæ Romanæ adſcriptus ſit. Extant tanti viri Deciſiones plures, quas

elaborauit dum Ius publicè in Vrbe dixit. Si autem alium non facimus, à Petro de Colle medio, dicendum est literas scripsisse ad Clerum, Potestatem, Consilium, & Commune Hadriene, quas quisque poterit legere apud Ferdinandum Vghellium tom. 1. Italiæ sacræ.

PETRVS DIONISIVS VEGLIA, alijs Dionysius, patria Perusinus, professione Religiosus inter Seruos B. Mariæ, Mathematicarum studijs intentus, edidit italicè librum de Computo Ecclesiastico, sub titulo, *Il Computo Ecclesiastico sopra le pieghe delle dita*. Perusiæ anno 1626. per Annibalem Aloysium in 12.

Scripsit etiam, & edidit Italicè alium librũ de Geometria, cum titulo, *Geometria pratica* Perusiæ apud Annibalem Aluigi 1626.

Item Tractatum de Dimensione lineæ rectæ, cum digressione de mensuris vacuorum, vulgò *degli Scemi* in Dolijs in 4. Perusiæ anno 1632. apud Angelum Bartolum.

Tractant de hoc Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Alexius in Elogijs.

PETRVS FRANCISCVS BARTOCCINVS è Margiano, cum studijs humanarum literarum operam daret in Seminario Episcopali Perusino, Iulianum Imperatorem, Sagitta de Cœlo missa transfixum, versu latino ob oculos proposuit.

PETRVS HIERONYMVS SEVERVS é Mugnano, Oppido in Comitatu Perusino, ante annum 1676. defunctus, cum inter Clericos Seminarij Episcopalis Perusini humanis literis operam sedulò nauaret, carmine latino publici iuris typis Perusinis facto anno 1666. pulchritudinis Deiparæ expressit.

PETRVS IACOBVS BARNABEVS Perusinus Musis perfamiliaris, Carmen scripsit etruscum in nuptijs Tiberij de Vbaldis, & Todeschæ Montisperellæ, editum in Patria apud Angelum Bartolum anno 1634.

Annis veró 1637. & 1640. simili defleuit obitum Georgij Boreæ

Boreæ nobilis Lugenſis,nec non Ludouici Alberti Peruſini.

PETRVS IACOBVS BORBONIVS, ex Marchionibus Montis S. Mariæ, Bartholomæi, & Pantaleæ Vitelliæ filius, inter Peruſinos, ac Tifernates Ciues primarios adſcriptus, S. Gregorij Abbas Commendatarius, poſt aliquas Status Eccleſiaſtici Vrbes prudenter adminiſtratas, à Gregorio XIII. Pontifice Maximo Archiepiſcopus Piſanus renuntiatus; obijt anno præteriti ſeculi quinto ſupra ſeptuageſimum, relinquens in poſterorum commodum eruditarum Epiſtolarum Volumen.

De hoc tractat Ferdinandus Vghellius in Italia Sacra, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

PETRVS IACOBVS RIDOLPHI, iuris vtriuſque Doctor, in patria Academia Peruſina iuris prudentiæ profeſſor, noſtra ætate, ingenio, & eruditione conſpicuus, anno ſalutis humanæ 1677. typis Auguſtis, apud Hæredes Sebaſtiani Zecchini, ac Laurentium Cianum, & Franciſcum Deſiderium, verſu Etruſco Reginam Ægyptiam perſonatam deſcripſit. Laudauit etiam ad eamdem lyram frugiferas Conciones quadrageſimales P. Federici Trenta Societatis Ieſu, & Monachatum Martiæ Floramontiæ, & lauream doctoralem Cherubini Cherubini; maiora ſperamus, nam florentem ducit ætatem.

PETRVS LAVRVS Peruſinus in Græcis literis verſatus, & in ſecularium literarum ſcientia eruditus, floruit ſeculo præterito, & Artemidorum è Greco in etruſcum ſermonem cõuertit, vt refert Io: Baptiſta Laurus Epiſt. 93. Cent. 2.

PETRVS PENNINVS Peruſinus fabrilignarij filius, admirabile ad poeticam ingenium à natura conſequutus eſt. Puer non literarum ſtudijs, ſed Patris exercitationibus inſtructus rythmis ſumma gratia ludendo Muſas excitabat. At iunior factus ad vberem verſuum ex improuiſo erumpentium facũdiam vehementer adamatus per plures annos Peruſiæ, Fulginei, Venetijs, & Romæ Mæcenates varios adinuenit, qui inſigni liberalitate, ſtudioque

adiutum

adiutum in conſpectu Principum, ac Summi quoque Pontificis Vrbani VIII. ad poetandum produxerunt, penès quos infinita carmina, torrentis instar, tanta eorum admiratione, atque commendatione decantauit, vt ab ipſis ritè ſancitum fuerit, quod ne quis peritus poſſet poeticum librum ea velocitate percurrere, qua Petrus ligatis deſinentijs, eruditiſſimos verſus per integras horas ſumma facilitate, & felicitate canebat. Huius Cantiones, Poemata, aliaque plurima apud diuerſos M. SS. adſeruantur.

Meminit huius Cęſar Alexius in Elogijs.

PETRVS PAVLVS de BOLDRINIS è Corciano, ante annum 1676. defunctus, cum vitam viueret inter Clericos Seminarij Epiſcopalis Peruſini, Carmine latino, publici iuris facto in eadem Vrbe 1671. D. Baſilij Magni charitatem, qua ſe venalem propoſuit, vt ſubſidio eſſet pauperibus, expreſſit.

PETRVS PAVLVS BONCIARIVS, Marci Antonij Patruus, egregius Iuris vtriuſque Interpres, Proarchiepiſcopus Theatinus, in Philoſophia, ac ſacra Theologia verſatus, ſacraque eloquentia ſeculo præterito clarus; literas dedit Marco Antonio nepoti, & Fuluio Pauluccio, typis Peruſinis euulgatas cum illis Nepotis anno 1613. in typographia Auguſta. Theate in Brutijs ſexagenarius deceſſit poſt annum ſalutis 1590. eaque poſt ſe reliquit ingenij ſui monumenta, quę mori talem hominem non permittent.

De quo Marcus Antonius nepos Epiſt. 16. lib. 8

PETRVS PAVLVS MVSCOLI Peruſinus, vnus Cuſtodum Societatis Sanctiſſimi Crucifixi apud Seruitas in Eccleſia S. Marię nouę, Peruſię erectę, ſuis literis vernacula lingua Italica typis patrijs anno 1656. euulgatis, Io: Lucido Palumbarę, Peruſię, Vmbrięque Prętori, ſacrauit Relationem publicę ſupplicationis in eadem vrbe peractę.

PETRVS PAVLVS de NATIS Peruſinus Iuris Conſultus,

ſultus, ſcripſit pro D. Cap. Petro Hieronymo de Cencis, Reſponſa.

PETRVS PAVLVS OLIVIERIVS, Peruſinus, anno noſtri ſeculi ſecundo ſupra decimum, Poematijs duobus latina lingua, doctrinam extulit D. Ioannis Iacobi, Baronis in Konigſegg, Canonici Colonienſis, Salisberienſis, & Auguſtani, dum publicas Iuris vtriuſque Theſes Peruſiæ propugnaret; quæ Poematia typis patrijs euulgata inuenies, anno prænotato.

PETRVS PHILIPPVS huius nominis primus CORNEVS, alijs Philippus Peruſinus; Iuris Conſultus præſtantiſſimus, & Doctor ſubtilis nuncupatus, totius corporis fabrica ad maieſtatem compoſita, dicendi copia, doctrinę præſtantia eam ſibi gloriam peperit, vt Princeps inter Italiæ totius doctrina præſtantes viros ab omnibus meritò haberetur. Peruſiæ, Ferrariæ, Piſauri Ius ciuile profeſſus eſt; cumque ingens ad illum audiendum vndique fieret concurſus, plurimos, imò ferè omnes à ſe ſapientia ornatos dimittebat; pollebat enim facilitate maxima, & felicitate in cogitatis proloquendis. Vixit Conciuibus ſuis ſuauiſſimus, primiſque in patria muneribus perfunctus, è vita migrauit Menſe Nouembris anno poſt Chriſtum natum 1472. alijs 1492. vel 1494. ætatis 73. Funus in Æde Diuo Franciſco Aſſiſinati ſacra curatum eſt, quantum familiæ ſplendorem decebat, vel melius, quantum Doctori maximo debebatur.

Edidit dum vixit eruditos in Codicem 1. & 2. Commentarios.

Item Conſiliorum Volumina quatuor, quæ in prætio ſunt apud omnes, qui Iuris prudentiæ ſunt addicti.

Lecturas ſuper ff. vet.

Repetitiones duas, vnam ſcilicet in Auth. Sacramenta puberum; & alteram il l. ſi paſcenda pecora

Tractant de tanto viro Pompeus Pellinus par. 3. lib. 1. ſuæ hiſt. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Cæſar Alexius

Alexius in Elogijs, Alexander Baleſtrinus in memorijs Peruſinis, Criſpoltus lib. 3.

PETRVS PHILIPPVS CRESCIMBENI, Cauſidicus diſertiſsimus, publico decreto, atque ſtipendio cum alijs rerum, & cauſarum longo vſu, & experientia callentibus viris, patria Statuta diſpoſuit, & emendauit circa annum ſalutis humanæ 1526.

PETRVS PVTIVS Peruſinus, eximia Philoſophiæ, Aritmeticæ, Mathematicæ, & Aſtrologiæ cognitione perſpicuus, tam futura pronuntiando, quam prædictas artes docendo, & eruditiſſimas lucubrationes exarando, æternum peritiſſimi viri nomen conſequutus eſt. Huiuſce Auctoris vidi vernacula lingua italica Opus publici Iuris factum Romę in 8. apud Vincentium Lucrinum, cum titulo, *Opera noua intitolata Horoſcopale d'Aſtrologia*.

Eſt huiuſce mentio apud Cæſarem Alexium in Elogijs.

PETRVS RASTELLVS Peruſinus, ſcientijs multis, quibus ornatus erat, celebris per Italiam, Germaniamque ſcripſit contra Paracelſum.

De hoc tractant Thomas Eraſtus in tractatu de Idrope, Alexander Baleſtrinus de Gymnaſio Peruſino.

PETRVS SENSIVS Peruſinus, Cornei Principis fidus miniſter, Eloquentiæ conſultus, in varia, & multa eruditione verſatus, vitam ducebat ſeculi decimi ſexti anno tertio ſupra nonageſimum à Natiuitate Chriſti, quo humanitatis, atque amoris plenas literas dedit Marco Antonio Bonciario ſeniori, quibus de amici noua calamitate conqueritur. Has publicæ luci expoſitas typis Peruſinis inuenies, cum illis Bonciarij anno 1613.

PETRVS de VBALDIS ſenior, Franciſci, ex alijs, ſed malè, Petri filius, Angeli, & Baldi frater, patria Peruſinus, ſacrorum Canonum Interpres publicus in Academia Peruſina, ex qua circa annum ſalutis 1428. Romam vocatus à Martino III. dicto V. renuntiatus eſt Aduocatus Conſiſtorialis. Ex hoc natus Matthæus Vbaldus, vir equeſtri

poſtea

poſtea dignitate inſignitus, & omni ſcientiarum genere inſtructus; Obijt Sexagenarius Peruſiæ, & ſepultus apud Baldum fratrem in Æde S. Franciſco ſacra.

Scripſit in Decretalia Tractatus plures, vnum videlicet de Canonica Epiſcopali, & parochiali portione.

Alterum de Eccleſiarum mutatione, vnione, ac reuocatione.

De Beneficiorum permutatione

De Mutatione ſtatus perſonarum Eccleſiæ.

De duobus fratribus, & alijs ſocijs.

De Collectis.

De Muneribus.

Commentatus etiam eſt legem Ciuilem. Hæc Commentaria olim adſeruabantur apud Antonium Auguſtinum, & Fabium Accoramboni.

Reliquit M. SS. Volumina xvi. Reſponſorum.

De Præſcriptionibus in 2. Decret. C. ſi diligenti.

Et lecturam arboris Conſanguinitatis.

De hoc cum laude tractant Iacobus Philippus Bergomenſis in ſupplimen. Chro: Alexander Baleſtrinus in memorijs Peruſinis, & de Academijs eiuſdem vrbis, Fichardus in vita, Valerius Fruſter, Criſpoltus, Alexius, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Paulus Merula in Deſcrip. Italiæ, Pompeus Pellini in ſua hiſt.

PETRVS de VBALDIS Peruſinus, Matthæi filius, Petri ſenioris ex filio nepos, virtute, integritate, doctrina Auo ſimillimus, Iuris vtriuſque Interpres, Doctor veritatis vocatus, libellum de duobus fratribus, á Corneo ſæpé laudatum promulgauit.

Scripſit etiam de Collectis, aliaque non ſpernenda in diuerſos Iuris Pontificij titulos Commentaria.

Vixit Cæſari apprimè charus, quare ab eodem Gentilitia vt inſignia, quibus familia antè vtebatur comprobarentur, obtinuit.

De hoc tractant Fichardus, Carolus Cartharius in appendice Syllabi Aduocatorum Consistorialium, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2.

PETRVS de VBALDIS huius nominis 3. Academicus Insensatus ferè puer à literarum studijs abstractus est, vt Siluestro parenti Mirandulano bello pro Iulio II. Pontifice Maximo decertanti militarem operam præstaret. Exegerat iuuentutem cum Parens occubuit; nec mora, qui inuitus arma tractauerat, volens, libensque ad literarum redijt studia; In iuris peritia eos breui progressus fecit, vt & lauream retulerit, & patrio docuerit in Gymnasio cum laude. Subindè eruditi hominis doctrinam, Rom. Pontifice cohonestante, Ariminensi, tum Fauentiæ in Æmilia præfuit Ciuitati. Deindé à Senatu Perusino reuocatus est, vt Patriæ esset à secretis, tum iterum, ac tertiò pro eadem Legationes suscepit.

Scripsit Repetitiones sup. 3. Decret. sup. ff. vet. & nou.

Item Consilia plura, quæ euulgata inueniuntur cum Consilijs Diuersorum.

Et de Re militari Opus.

Auctorem hunc dicit Fichardus in vita, Tractatuum de permutatione beneficiorum, de Canonica Episcopali, & Parochiali, ac de Collectis.

Mortem iam senex subijt in Patria die 19. Octobris, anno 1581. & conditus apud Maiores, in D. Francisci æde, in qua publica à Cardaneto laude celebratus est.

Celebrant hunc Petrum Pompeus Pellini in hist. Crispoltus in Perusia Augusta, Cæsar Alexius Cent. 2. Elogiorum, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Petro de Vbaldis, & in Appendice.

PETRVS de VERMIGLIOLIS Perusinus, Philosophus, & Medicus magni nominis, ad commodum posteritatis scripsit Tractatum de Pulsibus, vti habemus ex Alexan-

dro Baleſtrino in ſuo Opuſculo de Gymnaſio Peruſino.

PETRVS VINCENTIVS Peruſinus ex Rainaldorum familia, ſublime ingenium ſortitus cum eſſet, non ſolum in politiorum literarum ſtudijs, ſed in Mathematicis diſciplinis, & Architectura, ac ſummopere in poetica facultate, in qua cum Dantis Aldigerij etruſcæ linguæ ſimilitudine, quodammodo altæ eiuſdem mentis indolem referret, Dantis cognomentum conſequutus eſt, ita vt eius poſteri, vetere Rainaldorum dimiſſo, hoc vno Dantis cognomine impoſterum vſi fuerint. In Architectura, alijſque Mathematicis diſciplinis ingenium ſuum tam habile nactus eſt, vt magnam laudem, & peritorum admirationem in machinarum inuentione excitauerit. Vt autem diræ luis contagionem effugeret in Villa, vna cum Iulio, & Theodora filijs ſeceſſit, vbi eos Mathematicis diſciplinis ita informauit, vt Patris gloriam illuſtriorem fecerint. Tandem ſenio confectus anno à partu Virginis 1512. ad celeſtia migrans, magnum virtutis ſuæ deſiderium reliquit, cum edidiſſet Commentum Italica lingua ſuper Sphœram Ioannis Sacri Boſchi, Peruſiæ euulgatum anno poſt Chriſtum natum 1544. & anno 1574. auctum, cum Notis, & Epiſtola ad Alphanum, Præceptorem ſuum.

De hoc eſt mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

PHILIPPVS ALBERTVS Poeta lepidiſſimus, patria Peruſinus, cui Torquatus Taſſus, antequam ſua carmina cuderentur, recognoſcenda, ac perpendenda mittebat, multa ſcripſit, ſed modeſtiæ amantior, quam plauſus, pauca in publicam lucem contulit quamquam ex illis, quam ſapidus, & verè melleus fuerit ſatis abundè quiſque experitur. Inter hæc ſunt Commentaria rerum Peruſinarum ſoluta Oratione Italica impreſſa Peruſiæ ãno 1580. Scribere etiam aggreſſus eſt Elogia Peruſinorum, ſed ab illis ſcribendis inuidia deterruit potentiorum, qui ob opibus

nobilitatem mutuati, multis Maiorum Imaginibus conspicui videri volebant, qui vix habebant cauponarum, ac salsamentariorum.

Edidit tamen Italicè, *Il Cestio Macedonico*, Tragædiam.

Elenam inueteratam personatam, & dictionem super Cicadam.

Ac nonnulla in poesi, sententijs vndique referta, typis Romanis publici Iuris facta anno 1602. apud Gulielmum Faciottum, & anno 1603. Venetijs apud Io: Baptistam Ciottum Senensem.

E vita hac mortali ad immortalem transijt, anno, seculi decimi septimi post Christum natum, duodecimo, ætatis suę 64. Iacet in Diui Dominici Templo sub hac Epigraphe.

PHILIPPO ALBERTO
VIRO PANGENDIS CARMINIBVS INCLITO,
PVBLICIS OBEVNDIS MVNERIBVS,
AVCTORITATE, ET FIDE PRAESTANTI.
VIXIT ANNOS LXIV. EXCESSIT
ANNO MDCXII.

De hoc tractant Io: Baptista Laurus Epist. 86. Cent. 2. Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 1. Crispoltus lib. 3. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ; Basilius Corradinus in literis.

PHILIPPVS ANGELI, natione Vmber, patria è Fossato, oppido Territorij Perusini, inter Eugubium, & Saxoferratum, Sacerdos, olim Grammaticæ Professor, deindè Præpositus Ecclesiæ Parochialis Patauinæ; denatus in eadem Vrbe, anno salutis humanæ 1677. scripsit latinè Missæ priuatæ praxim; opus diuisum in tres Partes; quarum prima continet centum quadraginta resolutiones, omnium feré dubitationum, quæ in Missa priuata occurrere possunt. In secunda exponuntur quædam resolutiones Rubicarum in 21. capita, quatenus ad priuatam

Missam

Missam spectare visæ sunt. Tertia, est ordinata praxis totius Missæ priuatæ, iuxta Canonem, & rubicas, seruatis, & diligentissimè expositis, etiam minutissimis cœremonijs. His omnibus additæ sunt piæ preces, antè, & post Missam recitandæ.

Hoc opus in 12. typis Patauinis euulgatum est apud Pasquatum anno 1677. & Gregorio Barbadico S.R.E. Cardinali, Vrbisque Patauinæ Antistiti, nuncupatum.

PHILIPPVS BIGAZZINVS ex Iacobo Coccorani Comite, & Bacomissa, Gentilis Varani, Camerini Domini, filius, Perusinam Dictaturam per annos septem supra decem gessit, quam postea spontè abdicauit. Fulginiæ annis 1306. & 1307. Prætor, nec non Tuderti anno 1308. Guelforum antesignanus discordias composuit. Spoletanos, Narnienses, Interamnates, Amerinosque Gibellinorum sequaces, armatus profligauit. In expeditione ad Rhodienses Equites contra Turcas pro religione arma strinxit. Maturus occubuit anno salutis 1325. armis non minus, quam literis clarus, multa enim edixerat Perusinis; reliquitque populis, quibus præfuerat salutaria: Pro Posteris autem reliquit Opus Politicum.

Est huiusce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Script. Vmbriæ.

PHILIPPVS CORNEVS, vide superius Petrus Philippus.

PHILIPPVS CORROMANVS patria Perusinus in vtroque Iure laureatus, anno 1676. vitam cum virtute agens, cum viueret olim inter Clericos in Seminarij Episcopalis Collegio, anno videlicet 1660. edidit typis patrijs Eucharisticon Anapesticum latino idiomate, & anno 1665. soluta oratione, gratias, quas Auditoribus egerat in Seminarij eiusdem Academia, in qua Magnus Basilius, Cesareæ Cappadociæ Antistes laudatus fuerat, nec non Carmen, & Anagramma in commendationem Marci Antonij Oddi, Perusini Episcopi.

PHI-

PHILIPPVS FRANCVS Iuris consultus Perusinus, in laboribus studiorum tam viuidè infractus extitit, vt illorum curriculum mira felicitate compleuerit, metamque tetigerit, & doctoratus lauream summa cum expectatione susceperit; cui vt exactè responderet Iuris Canonici magistralem Cathedram sibi concessam, tanto audientium plausu, & fructu conscendit, vt inter celebriores Iuris Pontificij professores haberetur; vtque præclaram suæ doctrinæ famam, omnibus testatam faceret, doctissima Commentaria super 2. & 6. Decretalium, 6. Iuris Canonici edidit; aliaque eruditissima super 1. & 2. ff. nou. & vet. Extabant hæc M.SS. in Bibliotheca Antonij Augustini ex Vuolfägo.

Publici Iuris sunt eiusdem lecturæ in tit. de Appellationibus, Louanij excusæ anno 1539. & rursus Basileæ, ac Francofurti cum addictionibus annis 1576. & 1578.

Scripsit etiam Tractatum de petit. & possess. per modum disputationis.

Senio confectus, mortis telis confractus, inter suos magno funere conditus est.

Celebrant, & meritò tantum virum Cæsar Alexius Cent. 2. Elogiorum, Crispoltus in sua Perusia Augusta, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus de Studio Perusino, Pompeus Pellini in sua hist.

PHILIPPVS MASSINVS ab Innocentijs, malè alijs Massimus, pede claudus, sed ingenio clarus, Perusinus Doctor Iuris scientia celebris, & poetica facultate illustris, Academicus Insensatus, legumque Interpres in Academia patria primùm, tùm in Firmana, Maceratensi, Pisana, Papiensi, ac Bononiensi.

Bononię viuere desijt ætatis anno 60. Christi 1618. die 29. Maij, & splendido funere elatus, habuit in Æde D. Petronio sacra sepulchrum.

Scripsit vnico Tomo, edito Ticini anno 1601. in fol. apud Petrum Bartolum, Octauium Bordonium Repetitiones

nempè

nempè in Rub. & tit. Cod. Qui admitti.

In Rub. & in l. Vnica C. quando non petent. partes.

In Rub. & in varijs legibus C. de Impuberum, & alijs subst.

In l. Gallus ff. de liberis, & posth.

In Rub. & l. 1. C. de edendo Ticini in fol. anno 1599. apud Hęredes Hieronymi Bartoli.

Item Commentaria in 2. p. C. de bonorum possessione.

De Iure accrescendi.

De Substitutionibus Centuriam in 1. partem Infortiati.

Commentarium de Diuiduis, & Indiuiduis Stipulationibus.

De Verborum Significatione ad tit. de eodem.

Consiliorum, & Lectionum Volumina plurima.

Fuit Poeta Italici sermonis insignis, vt Liricorum Carminum eius Volumen in lucem editum testatur.

Vidi eiusdem Poematia publici Iuris facta Perusiæ annis 1603. in commendationem Discursus de Gemmis Leandri Bouarini. Aliud 1616. in obitu Marci Antonij Bonciarij senioris. Tertium 1615. in laudem B Mariæ semper Virginis. Aliud 1619. Venetijs apud Ciottum euulgatum cum libro Francisci Martinelli.

Typis Venetis, & Perusinis publici iuris factum anno 1609. Opus, sub titulo, *il Candore amoroso*.

Eiusdem Discursus, seu lectiones quatuor vernacula lingua italica euulgatæ sunt Perusiæ anno 1588. sub nomine Estatici. Quarum prima à se habita in Academia Insensatorum die 21. Augusti anno 1582. pugnacissimè defendit Franciscum Petrarcham ab oppositionibus Casteluetri. Secunda in eadem Academia lecta die 17. Ianuarij anno 1585. est de Contemplatione hominis. Tertia ibidem habita die 30. Augusti 1587. de Conuersione hominis ad Deum. Quarta die 28. Aprilis anno 1581. dicta in eodem concursu, est de Epigrammate, siue Ode etrusca.

De hoc tractant Nicolaus Angelus Caferrius in Syntemate

temate vetustatis sub die 19. Maij, Alexander Alphanus in literis ad Odoardum Farnesium S. R. E. Cardinalem, euulgatis cum Collectaneis Bernardini Alfani, Cæsar Alexius in Elogijs, Crispoltus lib. 3. Alexander Balestriuus de Gymnasio Perusino, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

PHILIPPVS STEPHANI filius, patria Perusinus, Ordinis Minorum, Tusciæ Minister Prouincialis, ob cuius singularem eruditionem Nicolaus III. Pontifex Maximus illum in suam clientelam suscepit, Scripsit Historiam Ordinis sui, quæ ea præsertim continet, quæ suo tempore contigerunt.

Vidi eiusdem Epistolam latina lingua descriptam, ad Consaluum Ministrum Generalem, & ad Protectores Ordinis sui missam.

Viuebat anno salutis humanæ 1280.

Meminit huius Fr. Lucas Vadingus in Annal. ad annum Christi 1254. n. 47. his verbis, Floruit etiam Philippus Perusinus, qui scripsit breuem, sed fidam Sodalitij historiam, quam nos sæpius citamus; est eiusdem mentio apud Tossignanum, Ciattum, Alexium, & Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

PHILIPPVS de VBALDIS Perusinus, latina lyra cecinit laudes D. Bernardi Abbatis Claræuallensis, & Dialogismum edidit in Patria anno 1606.

PHILIPPVS VIBIVS, Perusinus patria, professione Monachus Cassinensis, & Abbas Monasterij patrij, S. Petro Apostolorum Principi dicato, nec non fundator paternis sumptibus perpulchræ arcis Casalini. E vita migrauit anno ab Orbe redempto 1382. cum scripsisset Volumina plura in Philosophia, & Mathematica.

Est huiusce mentio apud Pompeum Pellini in historia Perusiæ.

PHILIPPVS de VINCIOLIS Perusinus, Seminarij Episcopalis Alumnus, latino versu publici iuris facto ãno 1671.

typis

typis patrijs, laudes D. Basilij Magni cecinit.

PIRRVS BONTEMPVS Perusinus, Sacerdos Oratorij S. Philippi Nerei eiusdem vrbis adhuc inter viuos, anno seculi decimi septimi, septimo supra septuagesimum, morum suauitate, & probitate spectandus ad etruscam lyram anno 1652. cecinit laudes Io: Baptistæ de Santolinis Cæsenatis: versu verò etrusco lauream Laurentij Abbatis Saluiati, & supresso nomine, eloquentiam P. Federici Trenta, sacri Oratoris in patria Cathedrali anno 1677. in quadragesimali ieiunio.

PLACIDVS TITI Perusinus, Oliuetanæ Congregationis Monachus, nostro seculo in scientijs pluribus versatus, edidit Physiomathematicam, siue cælestem Philosophiam, Mediolani in 4. anno 1650. per Io: Baptistam Malatestam euulgatam.

Scripsit insuper de diebus decretorijs Tomos duos.

Effemeridum Tomos duos.

De Eleementis, & mixtis Tomum vnum.

In Ptolomeum Commentaria.

Opus sub titulo, Primus Mobilis.

De hoc tractat Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

POMPEVS EVGENIVS Perusinus, Marci Antonij iunioris Aduocati Consistorialis frater, Seminarij Romani conuictor, anno salutis humanæ 1630. Orationem græcè habuit, & latinè in laudem Deiparæ Virginis in Montana properantis vt Elisabetham inuiseret, quæ publici iuris facta est Romæ, apud Franciscum Caballum, anno eodem, & iterum 1634. cum laude vitam viuit in patria hoc anno 1677.

POMPEVS PELLINVS Perusinus politiorum literarum studijs intentus sæculo proxime elapso, ad historiarum maximé cognitionem ingenium contulit, Et primò cum Io: Antonij Campani, Episcopi Aprutini, & Io: Baptistæ Pogij scripta in etruscum sermonem vertisset, ad vitas Bracchij de Fortebracchij, & Nicolai Piccinini ani-

mum adiunxit, ediditque Venetijs anno 1621. apud Franciscum Zilettum in 4.

Deindè historiam patriam ab exortu vsque ad sua tempora descripsit tribus voluminibus vernacula lingua Italica, euulgatam Venetijs in 4.

Est nostri Pompei mentio apud Io: Baptistam Laurum Epist. 86. Cent. 2. Alexandrum Balestrinum de Gymnasio Perusino, Ludouicum Iacobillum de Script. Vmbriæ, Cæsarem Alexium in Elogijs Cent. 2.

PROSPER BALDELLIVS Perusinus, cum anno 1671. Rhetoricæ studeret, in Collegio Seminarij Episcopalis, scripsit, ediditque Carmen latinum in Commendationem Basilij Magni.

PROSPER PODIANVS, gentilis Marij, patria Perusinus, vir doctus, & librorum studiosus, non solum per Italiam, & Græciam, sed per vniuersam penè Europam libros ære proprio collegit ad copiosam Bibliothecam componendam, quam ad conciuium suorum commodum, & Patriæ decus, ornamentumque publici Iuris fecit, quę modo in augustiori loco, in publici Gymnasij conspectu collocata, & per Ludouicum Aurelium, virum omnium disciplinarum eruditione præstantissimum in Classes distributa, magnam Patriæ, & Podiano affert dignitatem. Mortem Prosper subijt anno salutis humanæ 1615. Reliquit pro Posteris variarum lectionum volumina, quæ Pauli V. Pontificis Maximi iussu ad Vaticanam Bibliothecam translata sunt.

Celebrant Prosperum Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ in Mario Podiano, Cæsar Alexius in Elogijs.

PYRRVS ARIGVTIVS, seu Arrigutius Perusinus Causidicus, iussu Caroli de Comitibus Perusiæ, Vmbriæque Gubernatoris in Comitinas Constitutiones, continentes varia Decreta, ac Reformationes diuersorum, qui Augustæ Perusiæ Gubernio præfuerunt, summa cura, diligentiaq; incubuit, circa finē seculi decimi sexti ab Orbe redmpto.

PYRRVS, vide Pirrus.



R

RAINALDVS RIDOLPHINVS, seu Ranaldus Ridolphius, Perusinus, Restauri Castaldi discipulus, & in Cathedra successor, non solum in Patrio, sed in Pisano etiam Gymnasio summa cum laude Ius ciuile interpretatus est. Satis hunc praeceptorem praeter Episcopos, ac Principes purpuratos non paucos, commendarunt Clemens VIII. & Paulus V. Pontifices optimi, & verè Maximi, qui Rainaldi prodiere è schola. Claruit non solum Iuris prudentia, sed etiam eloquentia, & poesi, ediditque nonnullas Orationes, & Carmina varia, vtraque lingua, latina videlicet, & etrusca. Harum duas euulgatas inuenies Perusiæ anno 1578. apud Petrum de Farris, studio, & opere Io: Bernardini Rastellij, cum nonullis carminibus latinis, selectis inter multa, quæ apud se seruabat, idem Rastellius. harum Orationum prima est pro Pupillo ad arbitros; altera pro filio notho, legitimo facto, ad Fuluium Corneum, Cardinalem amplissimum. Vidi eiusdem Panegyricum ad Xystum V. Pontificem Maximum dictum, vincta oratione latina. tradidit etiam posteritati eruditas lecturas ordinarias in Iure. Tandem obijt in patria anno seculi præteriti nonagesimo primo, & in sacra Diui Florentij æde magno funere, conditus.

De hoc Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 1. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Academijs eiusdem Vrbis, Pellinius in sua hist. Crispoltus lib. 3.

RAINERIVS COPPOLI, seu de Coppolis, egregius in vtroque Iure Doctor, Baldo antiquior, scripsit multa; illum enim Baldus Cons. 264. Voluminis primi profert, & nominat egregium Doctorem.

Scripsit insuper in libros Digestorum, & florebat anno à partu Virginis 1350.

Meminere Rainerij Alexander Balestrinus de Academia Perusina, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Crispoltus lib. 3.

RAINERIVS MANSVETVS Perusinus Iuris vtriusque Doctor, inter primos suæ ætatis viros doctrina præstantes recensitus, scripsit Responsionum Volumen.

De hoc Pompeus Pellinus in sua historia.

RAINEBIVS de RAINERIS senior, Iuris peritus. & Iudex Perusinus insignis, facundiæ lepore conspicuus, Petri Damiani S. R. E. Cardinalis perfamiliaris, claruit circa annum post Christum natum 1050 quo scripsit historiam visionis habitæ in Ecclesia Perusina, S. Petro Apostolorum Principi sacra, Parente iam inter Monachos eiusdem Coenobij adscripto, dum Abbati sacris operanti, ministraret.

De hoc Rainerio Petrus Damiani lib. 6. Epist. 25. Felix Ciattus lib. 5. Perusiæ Pontificiæ.

RAINERIVS de RAINERIS iunior, & ipse Perusinus, Iuris Consultus magni nominis, & publicus professor eiusdem scientiæ in patria Academia, quem Iason Maynus Doctorem insignem nominat in l. fin. C. de Instit. & Subst. reliquit pro posteris lecturas super ff. & Volumen Responsorum.

Floruit circiter annum à Christi natiuitate 1430.

Tractant de hoc Cæsar Crispoltus in Perusia Augusta, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

RAINERIVS, seu Raynerius SENSI, Perusinus, Sacerdos, nostra ætate iam denatus, anno 1653. in commendationem natæ Deiparæ, illud Cantic. 6. Electa vt sol, Carmine latino, typis patrijs euulgato, explicauit.

RAINERIVS VIBIVS Perusinus, Bartolo antiquior, doctrina clarus, quem ipse Bartolus in l. veter. de acquir. hered. nominat virum recolendæ memoriæ, multa scripsit in Iure, quæ olim M. SS. adseruabantur apud hæredes, videlicet super Ordinarios ciuiles, & super ff. & 1. C. & super Auth.

Edidit solum eruditum Tractatum de Dote, circa annum à partu Virginis 1350. quo florebat.

Præter Bartolum loc. cit. meminere Rainerij Alexander Balestrinus in Memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Suuertius, Crispoltus, Alexius, Cartharius.

RESTAVRVS CASTALDVS primos suæ ætatis annos politiori literaturæ, nec non Philosophiæ dedit. Deindè ad Iuris prudentiam se contulit, quam felicissimè adeptus, patrio in Gymnasio publicè explicauit. Postea Bononiam magna mercede vocatus, vt doceret, conceptam de se spem adeò non fefellit, vt superaret, cum vbique laudaretur, & præstantissimos inter Iuris Interpretes numeraretur. Ad primam Perusinæ Academiæ Cathedram reuocatus deindè est. Inter hæc à Paulo III. Pontifice Maximo Alexandrum Farnesium fratris, & Guidum Ascanium Sfortiam sororis filios, ambos postea S. R. E. Cardinales, legali sapientia iussus est instituere. Summis ideò viris charus, Paulo IV. sic placuit, vt sacræ Consultationis proceribus ab eodem adscriberetur; homo licet priuatus, nullaque Ecclesiæ dignitate præfulgens, adstringebatur enim coniugij vinculo. Patriæ tamen nomine Legatione pluries functus est, ad Romanos Pontifices, & ad Rempublicam Venetam.

E mortali ad immortalem vitam gradum fecit die 9 Decembris anno post Christum natum 1559. alijs 1564 non-

dum

dum ſexagenarius, edito Romæ ad inſtantiam Caroli V. Cæſaris de Imperatore Tractatu, & lucubrationibus eruditiſſimis in titulos aliquos Inſtitutionum.

Iacet in Eccleſia S. Franciſci de Monte nuncupata, ſub hac Epigraphe.

Reſtaurus Caſtaldi hoc tumulo clauduntur oſſa
Et qualis ipſe fuit, & ipſa Fama docet.

De Reſtauro tractant Cæſar Alexius in Elogijs Cent. 1. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Alexander Baleſtrinus in Memorijs Peruſinis, Paulus Merula in Deſcrip. Italiæ, Pellinus in ſua hiſt. Criſpoltus lib. 3.

RICCIARDVS, ſeu Ricardus BARTOLINVS Peruſinus, Canonicus Cathedralis, ſecundis Muſis, & Appolline fauente natus, ferè puer poeticam laurum amauit, qua vt maturior ornaretur, Oratoriam, nec non poeticam in patria Academia cum profiteretur, non modo ſoluta, vinctaque oratione plauſum ſibi, ſed prudentia etiam, ac ſolertia ornamentum Peruſiæ comparauit. Ad Rempublicam Florentinam, ad S. R. E. Cardinales in Comitijs degentes, ad Pontificem ipſum Romanum, licet ſæpe ſæpius legatione functus ſit, atamen cecinit heroico Carmine etruſco Auſtriacorum Principum, & Maximiliani Cæſaris geſta præclara in duodecim libros diſtincta, & ipſi Maximiliano Cæſari nuncupauit, quæ excuſa in Germania, Picus Mirandulanus, vir vtique laudatiſſimus, ampliſſimè laudauit, & Iacobus Spiegellius à ſecretis, & à Conſilijs Caroli V. Imperatoris, nec non Ferdinandi Hungariæ, & Bohemiæ Regis, ſuis Commentarijs tale Opus illuſtrauit.

Scripſit inſuper Opus de expeditione contra Turcas ad Principes Palatinos.

Itinerarium, & Narrationem Dietarum Principum Germanorum.

Metricè

Metricè de Bello Bauariæ,

Ab ipso Maximiliano Laurea donatus, Comesque Palatinus renuntiatus est, cum facultate alios Poetas coronandi, Doctores, Ciues, Notarios creandi, spuriosque legitimos efficiendi.

Meminere tanti viri Pompeus Pellini in hist. M. Antonius Bonciarius in Epist. Cæsar Alexius in Elog. Cent. 1. Alexander Balestr. in Memorijs Perusinis, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, sub nomine Baldi de Bartolinis, Crispoltus lib. 1. & 3. Ludouicus Iacobillus de Scrip. Vmbriæ, Gerardus Vossius.

RIDOLPHVS REMEDI Perusinus, Canonicus Cathedralis, morum suauitate, pietate, prudentia, & doctrina clarus, adhuc voluenti anno 1677. inter viuos; Carmine etrusco typis patrijs publici iuris facto celebrauit funus Antonij Baptistæ Dionisij Militum Ducis extincti in propugnatione Cretæ Vrbis contra Turcas. Eodem carminum genere extulit lauream doctoralem Abbatis Iosephi Estensis Mustij, purpuram Federici Cardinalis Columnæ, & eloquentiam D. Mauri Baronij Abbatis Obuerani.

ROBERTVS LANCELLOTTVS, Io: Pauli frater natu minor, Perusinus, Philosophiæ, ac Iuris prudentiæ cum laurea Doctor, in patria Academia publicé Ius ciuile interpretatus aliquando est; Romam deindè accitus causarum actorem per annos plures ea in Vrbe peregit; edidítque ibidem de Appellationibus in 4. Itē de Attentatis, & Innouatis lite, & appellatione pendente, & in alijs casibus; ibidem annis 1676. & 1581.

Et de Restitutione in integrum Tomum vnum.

Scriptis etiā consignauit lecturas plures in Canonico, & Ciuili Iure, atq; é vita migrauit circa annū sal. hum. 1583.

Meminit huius Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Georgius Draudius in Bibliotheca classica, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Alexander Balestrinus in Memorijs Perusinis, Pompeus Pellini

Par. 3. lib. 7. hist. Perusinæ, **Ludouicus Iacobillus** de Scriptoribus Vmbriæ.

ROCCVS PILORCI Perusinus, in latina, etruscaque lingua versatus, politioribus literis tam sedulam nauauit operem, vt non solum benè dicendi, sed & benè scribendi artem doceret; Eruditissimum igitur typis patrijs euulgauit opus de scribenda, & rescribenda epistola, commendatum ab Antonio Posseuino.

Tractatum quoque elaborauit alterum, quo docet perfectæ etruscæ elocutionis methodum.

De hoc tractant Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Cæsar Alexius in Elogijs.

RODVLPHVS, siue Ridolphus, vel Rudolphus CALIDONIVS, Felicij filius natus 4. Nonas Quinctilis, anno à restituta salute supra millesimum quingentesimum, tertio, & nonagesimo, triennis parente licet orbatus, domi perquam liberaliter educatur summo studio, summaque industria. Datus deindè in discipulum M. Antonio Bonciario seniori, vt in humanioribus instrueretur literis, Philosophiam, tum Aritmeticam, Geometriam, Astronomiam didicit tanta facilitate, vt de numeris, de dimensionibus, deque Syderibus elegantissimè data occasione disputaret. Iuris prudentiam postremo loco adijt dum in primo ferè limine ætatis adhuc esset. His studijs feliciter, facilèque absolutis Perusino Gymnasio ad humanarum literarum professionem præpositus est, sed breui eo munere se exoluit, nam 8. Idus Martius exalbescente die, in quam Franciscæ Romanæ celebritas incurrit, membrorum nexibus exoluitur septimum, & vigesimum cum ageret suæ ætatis annum, In cuius funere orauit Octauius Lancellottus, Secundi frater, Quæ Oratio typis Perusinis euulgata est anno voluentis seculi vigesimo.

Huius sunt literę latina lingua ad Io:Baptistam Laurum missæ in obitu fratris, typis Coloniensibus publici iuris factæ cum Centuria 2. Epistolarum eiusdem Lauri.

Idem

Idem vincta Oratione latina cecinit laudes S. Afræ in ignem coniectæ, & S. Bernardi Abbatis Clareuallensis tela cupidinis vitantis, excusa Perusiæ anno 1606. & 1607. cum Idyllijs, & Selectarum Epistolarum Centuria noua Marci Antonij Bonciarij senioris. Carmine verò etrusco, edito ibidem cum Tom. 1. literarum Scipionis Tolomei, Auctorem commendauit.

RODVLPHVS MONALDVS vulgò *Ridolfus* Perusinus, in quo pietas cum eruditione,& mansuetudo cum humilitate cōtendebat,Musis perfamiliaris,Carmina plura panxit latina, & etrusca lingua, vnum in Commendatione Iacobi Columnæ Perusiæ, Vmbriæque Gubernatoris, alterum in laurea Io: Baptistæ Lazarini, & Tertium in laudem S. Basilij Magni, publici Iuris facta typis patrijs anno 1645.

Anno autem sequenti ibidem Idyllium etruscum in Natiuitate Deiparæ, & anno 1647. pro eadem Solemnitate Epigrammata latina.

Tandem viam vniuersæ carnis ingressus anno voluentis seculi sexagesimo quarto, die 9. Februarij.

ROGERIVS Comes ANTIGNOLLÆ Perusinus Bracchij Fortibracchij Vicarius, gladio, & calamo illustris, multa scripsit, quæ proferuntur à diuersis, inter quæ sunt Commentaria in Ius Ciuile, quod per annos plures professus est cum plausu in patria Academia. Præses Bononiam in Æmilia, Lucam in Etruria, & Typhernum in Vmbria rexit, obijtque anno 1432. alijs 1433.

Meminere huiusce Rogerij Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Academijs eiusdem Vrbis, Pellinus, Crispoltus in suis historijs, Alexius in Elogijs, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

ROSATVS TORELLVS inter Perusinos Ciues eruditissimus, ac inter Iuris consultos doctissimus, Causarum patronus floruit nostra ętate, quando nauiculę Petri assidebat Vrbanus huius nominis VIII.

Huius consilia plurima, & Carmina multa typis varijs, diuersis temporibus euulgata legimus. Eiusdem adnotationes in Decisiones Vbaldas publici iuris factas percurrere poterit lector in eodem Volumine Decisionum, excuso Perusię anno 1659. ex Typographia Camerali, & Episcopali apud Bartolos, & Angelum Laurentium.

Meminit Rosati Hieronymus Tetius in Ædibus Barberinis.

RVBINVS MONTEMELINVS Perusinus, ex Comitibus Montis Gualandæ, publicus in patrio Gymnasio per annos octo supra triginta, alijs quadraginta, legum interpres, cum annuali Mineruali scutorum sexcētorum viginti quinque, sępe vocatus ad primas Bononiensis, Pisarum, ac Patauinę Academię Cathedras, & à Senatu Veneto, patriam amatam deserere semper renuit. Fuit ingenio, doctrina, & morum suauitate singularis. Decessit in patria anno Christi 1628. ętatis 75.

Tantus hic vir scriptis consignauit lecturas plures, Prę-lectionum, & Responsionum Volumina nonnulla, vti habemus ex Alexandro Balestrino de Gymnasio Perusino, Crispolto, Alexio, & Ludouico Iacobillo de Sriptoribus Vmbriæ.


RVBINVS SALVVCCIVS Perusinus, in Philosophia, & in Medicina Doctor, publicus Philosophiæ speculatiuæ, & moralis Professor in Academia patria, Canonicus Cathedralis, & vnus ex fundatoribus Academiæ Insensatorum, posteris tradidit multa in re philosophica, quæ M.SS. adseruabantur apud Hæredes. Publici iuris sunt carmina, etrusca lingua in commendationem nouæ Academiæ Insensatorum.

RVGERIVS COPPOLVS Iuris Consultus egregius Perusinus, ante Bartolum, & Baldum floruit, de Iure respondendo, ac publicè Ius ciuile explicando in patria Academia, tantam nominis celebritatem adeptus est, vt

inter primarios Italiæ Iuris consultos haberetur, quod non solum ex pluribus eius lucubrationibus, sed ex Baldi ipsius testificatione dignoscitur, qui Consilio 264. Voluminis primi, huius auctoritatem allegans, ad suæ opinionis comprobationem, illum nobilem, & egregium Doctorem nominat.

De hoc tractat Cæsar Alexius in Elogijs.





S



SALVVS de SALVIS Perusinus, doctrina, moribusque præclarus, suæ Patriæ electus Episcopus anno salutis 1231. Gregorium IX. de Comitibus familiæ inter Romanas præclarissimæ venientem Perusiam, ad Friderici Cæsaris, sacris proscripti, iram euitandam, cum Senatu, Populoque Perusino, omni honoris, ac venerationis significatione excepit, ac scripsit multa in Clericorum commodum, manusque admouit ad Decretalium collectionem ab ipso Gregorio factam. Decedens anno 1244. perhonorificè in principe D. Laurentij æde humo mandatus est.

De hoc Ferdinandus Vghellius Tom. 1. Italiæ sacræ in Catalogo Episcoporum Perusinorum, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Octauius Lancellottus in Oratione funebri Iosephi Saluuccij, Crispoltus lib. 3.

SANCTES ALEXIVS Perusinus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Theologiæ Magister, scripsit in Aristotelis Philosophiam.

De hoc Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino.

SANCTES BALLARINVS Perusinus, Galiffi Baciallæ discipulus, vt aliquod ingenij sui experimentum ederet, publicas legum Theses in propatulo exposuit disputandas,

easque

easque per biduum tanto ingenij acumine in publica Præsidis aula, in eius, & omnium peritorum conspectu defendit, vt paulò post à Doctorum Collegio vtriusque Iuris laurea fuerit ornatus, & inter Collegiatos Doctores descriptus, per decennium Ius ciuile in patria Academia explicauit, indè ad Pisanam magno stipendio vocatus, munus sibi creditum magna doctrinæ, & prudentiæ laude exposuerit. Hic scriptis suis Votum Timothei de Timotheis de celebratione Missarum confirmauit anno salutis humanæ 1645.

Celebrat tantum virum Cæsar Alexius in Elogijs.

SANCTES VIBIVS è Colle Cardinalis, Oppido Comitatus Perusini, cum studio Rehtoricæ vacaret in Seminario Episcopali Perusino, Carmen scripsit latinum, ediditque in lucem anno 1671. de morte Iuliani Imperatoris.

SCIPIO BARNABEVS Perusinus, Marci Antonij Bonciarij discipulus, literas latina lingua Dominico Passionæo dedit, publicæ luci commissas cum illis Bonciarij anno à Christi natiuitate 1613.

SCIPIO BVOANNVS Perusinus, Academicus Insensatus anno nostri seculi tertio, typis patrijs, Ascanio Corneo, Castelionis ad Lacum Trasymenum Marchioni, suis literis Italico Idiomate dedicauit Discursus, & Carmina rithmica Leandri Bouarini.

SCIPIO de STAFFA Perusinus, à secretis Academiæ Insensatorum, Carmine etrusco, typis patrijs excuso anno à partu Virginis 1630. lauream doctoralem Ioannis Columnæ exornauit, & anno 1643. suis literis vernacula lingua Italica Alexandro Algardo celebri statuarum artifici, elucubrationes diuersorum in laudem eiusdem, dedicauit, eumdemque, ac eius opera, Carmine, & cantiuncula commendauit; defleuit etiam obitum Ludouici Alberti, eodem carminum genere.

SCIPIO TOLOMEVS, malè alijs Ptolomæus, Perusinus,

bonis literis apprimè excultus, floruit initio voluentis seculi, eloquentia, elocutioneque, adfuitque à secretis Cardinali Montalto, tum Sixto V. Romano Pontifici, & Duci de Cornea, tandem obijt Perusiæ die 16. Septembris anno 1630. alijs 1627. septuagesimum agens suæ vitę annum, cum scripsisset Italica lingua Volumen Epistolarum typis patrijs euulgatum in 4. anno 1617.

Vidi apud Hæredes M. S. aliud Epistolarum similium Volumen.

Et Opus Ciuile eodem idiomate, sub titulo, *Il Giardino de Prencipi*, in tres libros diuisum; In quorum primo modus adeptionis Principatus explicatur, In secundo de eiusdem custodia. Tertio de euersione agitur. In omnibus, Principes docet modum conseruandi, augendique principatum; & confirmat dictum auctoritate Cornelij Taciti, aliorumque Scriptorum illustrium, nec non exemplis, tum antiquis, tum recentibus.

Est huiusce mentio apud Cæsarem Alexium in Elogijs, Cent. 2. & apud Crisp.

SCIPIO de VBALDIS Perusinus Poematio Etrusco in lucem dato anno voluentis seculi quinto supra vigesimum laudauit B. Felicem Capuccinum.

SEBASTIANVS de ANGELIS, aliás Perusinus cognominatus, politiorum literarum studijs adhuc puer instructus, in Diui Dominici claustra se recepit, in quibus Philosophiæ; Mathematicæ, Astrologiæ, ac sacræ Theologię tam sedulam operam dedit, vt inter sui Ordinis Doctores Magistros adscriptus, in varijs Cænobijs, præclara eruditionis suę reliquerit documenta. Cum autem morum sanctimonia plurimum excelleret, vnus è multis electus est, qui Beatæ Columbę Reatinę à noxijs se expianti aures daret, quare in posterorum commodum eiusdem Columbę gesta latina lingua enarrauit.

Occubuit octogenarius anno Christi 1525.

De hoc tractant Paulus Merula in Descriptione Italię,

Cęsar

Cęsar Alexius in Elogijs Cent. 2. Fontana in Catal. Scriptorum Prouinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum, Pellinus in hist. Perusina, Leander Albertus in Descriptione Italiæ.

SEBASTIANVS ANTOLINVS è Maceretis, Sacerdotio præditus viuebat anno 1676. cum iuuenis conuiueret in Seminario Episcopali Perusino, Carmine latino euulgato typis Perusinis annis 1665. & 1666. prærogatiuas Deiparæ Virginis Mariæ expressit, & laudes D. Basilij Magni cecinit.

SEBASTIANVS de MALTEMPIS Perusinus, doctrina inclitus, eximiarumque virtutum clarus, edidit literas latina lingua, datas Timotheo, de Timotheis, quas euulgatas inuenies anno 1635. cum eiusdem Timothei Responsis.

SEBASTIANVS MARGARITONVS patria Perusinus, professione Carmelita, sacræ Theologię professor, anno nostri seculi sexto supra vigesimum edidit Panormi in Sicilia apud Hieronymum de Rosellis Orationem latina lingua de laudibus Sapientię, nec non Epigrammata aliquot in laudem nonnullorum Sanctorum sui Ordinis, & in commendationem Carmeli Montis, cum literis nuncupatorijs ad Magistrum Gregorium Canalium Venetum, totius Carmelitanę Religionis Pręsidem vigilantissimum.

SEBASTIANVS MARINVS, patria Perusinus, Francisci, ac Florentij germanus frater, in vtroque iure laureatus, cum in patrio Seminarij Episcopalis Collegio Rhetoricę studeret, infantulam Mariam Carmine latino, typis Perusinis edito in lucem anno 1653. laudauit. Spoleti deindè Vicariatum ciuilem, & criminalem exercuit, & Iudex per annos plures ius dixit in Rotis Lucensi, ac Genuensi, dicturus breui in Bononiensi.

SEBASTIANVS ZECCHINVS librorum impressor Perusinus, suis literis editis in patria apud hęredes Petri Thomasij anno salutis humanę 1648. latina lingua sacrauit Io: Baptistę Alterio S. R. E. Cardinali amplissimo,

Episcopo

Episcopo Tudertino, Nomophilachiam, siue de morum, legumque regimine, & tutela, Opus Timothei de Timotheis, & anno 1651. Iulio Spinolę, Vmbrię tunc Pręsidi, postea S. R. E. Cardinali, & Episcopo Lucensi Cęsaris Caporalis Rithmica, cum Notis Caroli Caporalis.

SECVNDVS LANCELLOTTVS Perusinus, Abbas, & Sacer Orator eloquentissimus inter Monachos Oliuetanos, vir sublimis ingenij, & tenacis memorię, in omni feré disciplinarum genere versatus, & instructus, obijt Parisijs anno salutis humanę 1643. cum edidisse latinè Venetijs in 4. anno 1623. Congregationis S. Marię Montis Olíueti historiam.

Italicè verò.

Il Battimeo cieco di Gierico, Perusię in 4. 1626. per Angelum Bartolum.

Il vestir di bianco di diuerse religioni. Ibidem 1618.

L'Oggidi, seu *gl'ingegni moderni, non inferiori à i passati*. Viterbij 1630.

Oggidi Secondo. Ibidem 1632.

Farfalloni degli antichi historici. Venetijs 1636.

Farfalloni secondi. Ibidem 1638.

Chi l'indouina è sauio, seu *la prudentia humana falacissima*. Ibidem 1640.

Il Mercurio Oliuetano.

Reliquit M. SS. Tractatus plures, asseruatos in Bibliotheca Montis Morcini apud Perusium, & sunt.

Sfoghi di mente.

Prospettiua de religiosi.

Della ragione di stato, ò politica de Religiosi.

La Milanteria de Religiosi.

L'asilo de Predicatori.

Volumen Concionum.

Volumina octo Conceptuum prędicabilium.

Del Grifone, arme di Perugia Discursum.

Alium, *che Traiano Imperatore fosse da Todi*.

La

La Fortuna:
La Crudeltà fraterna.
Pianto sopra i suoi Oliuetani.
Le Pittime de tribolati.
Trecento pittime diuerse.
Vitam propriam.
Volumen discursuum latinorum.
Aliud discursuum etruscorum.
Notas historiales in sacram Scripturam.
Alphabetum cum decies mille distinctionibus vltimæ literæ.
Acum nauticam super omnia verba, & nomina Ciuitatum, Oppidorum, & Dictionum in 22. magnis voluminibus distributam.
Indicem Auctorum quos refert iu Acu nautica.
Carmine Elegiaco latino, euulgato Perusiæ anno 1633. Georgij Boreæ, nobilis Lugensis, obitum defleuit.

Meminere cum laude nostri Secundi Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium ad Scipionem Lancellottum, Crispoltus in Perusia Augusta.

SEMINARII EPISCOPALIS Perusini Collegium, locus, & ingenijs, & disciplinis omnibus semper floridus, anno 1666. Marco Antonio Oddo Episcopo, Sanctissimi D. N. Alexandri VII. Domestico, & Assistenti, Laudationem natæ Mariæ, sacrauit, & anno 1653. natalitium plausum, eidem Virgini Deiparæ datum, euulgauit.

SEPTIMIVS EVGENIVS Perusinus, oratione latina, publici iuris facta Perusiæ anno duodetrigesimo, seculi decimi septimi á partu Virginis, laudauit Fr. Aloysium Ciambany Melitensem, Ordinis Hierosolymitani, in laurea doctorali, quam Perusiæ obtinuit.

SERAPHINVS PENNACHIVS patria Perusinus, Religiosus Ordinis Prædicatorum pius, & doctus, anno vo-

luentis seculi decimi septimi à partu Virginis nono, Perusiæ ex Typographia augusta edidit in 12. Rosarij B. Mariæ Compendium, vti habemus ex Hippolyto Marraccio, in Bibliotheca Mariana, atque ex Ludouico Iacobillo de Script. Vmbriæ.

SEXTVS AVRELIVS Propertius natione Vmber, patria Meuanus, origine Perusinus, ex alijs Asissias, seu Hispellensis, cum Parentem Sextum Aurelium, equestri, & triumuirali dignitate ornatum puer amisisset, Romam se contulit, qua in Vrbe propter ingenium, quo pollebat, statim amatus est á Cornelio Gallo, & à Mecenate. Ipse verò Hostiam puellam affectu dilexit incredibili, quã ficto nomine Cynthiam appellat. Mortuus anno ætatis suæ quadragesimo primo, ex aliquibus Romæ, ex alijs Asissij, anno nono ante Christi aduentum.

Scripsit libros quatuor Elegiarum, in quo scriptionis genere, laudem promeruit maximam, atque ex Quintiliano inter latinos Poetas primum obtinuit locum, imitatus est Callimachum, & Philetam Græcos.

De Propertio tractant, Auctor theatri vitæ humanæ, Ioannes Rauisius Textor in Officinæ Part. 2. Felix Ciattus Minor Conuentualis in Paradoxo, Taddæus Donnola in Apologia pro Propertij patria, Ioseph Scaliger in Commentarijs super Propertium, Hieronymus Bigazzinus in Notis ad Propertij Elegias, Fabritius Delphinus, Antonius Becius; Io: Baptista Binus I.C. Petrus Crinitus de illustribus Poetis, Volaterranus, Gerardus Vossius, Beroaldus in Commentarijs, Petrus Martius, Fortерius, Io: Andreas Quenfted de patrijs illustrium virorum, Posseuinus in Bibliotheca, Ambrosius Calepinus, Lilius Geraldus de Poetis Dial. 4. Lipsius lib. 3. antiq lect. Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Alexius in Elogijs Cent. 1.

SFORTIA ODDO, Galeotto Oddo patre, matre Virginea de Pinna natus, Perusiæ anno post Christum natum

1540. Vagliani, & Valiſperlæ Marchionibus, tranſacta per omnem honeſtarum artium cultum adoleſcentia, optimas literas ità complexus eſt, vt magni nominis Doctor, & publicus Iuris prudentiæ Profeſſor, in Patria primùm, tùm in Maceratenſi, Papienſi, Parmenſi, Patauina, & Piſana Academia, Orator eloquentiſſimus, atque Ducis Parmenſis á conſilijs extiterit. Muſicis quoque ſonis, & cantu oblectatus eſt, & ſępiſſimè dulciſſimo concentu vires reparare ſolebat, abſumptas in literarum ſtudio. In his autem ſtudijs tantum adhuc puer profecit, vt muſicas cantiones componeret, & nullum ferè eſſet fidium genus, quod ille non pertractaret egregiè. E vita exceſſit Parmæ ſeptuagenario maior, anno ſalutis 1610. in cuius funere orauit M. Antonius Saluuccius; Vixit Academicis inſenſatis adſcriptus.

Communi luci commiſit de Fideicommiſſis per alienationis prohibitionem inducendis, ac reſcindendis per diuiſionem in fol. Venetijs 1622. apud Alexandrum Polum.

Idem ibidem Repetitiones ad l. filius familias §. Diui ff. de leg. 1. ad legem qui Romæ §. duo fratres ff. de verb. oblig.

Idem ibidem Repetionem ad l. 3. C. de nouat.

De Compendioſa ſubſtitutione in fol. Venetijs 1597. apud Matthæum Valentinum.

De Reſtitutione in integrum in fol. Venetijs 1584. apud Lucianum Paſſinum.

Tomos duos Conſiliorum in fol. Venetijs 1593. apud Iuntas.

Tractatũ ſuper iura Farneſiorum in Regno Portugalliæ.

Alium ſuper Iuramentum.

Scripſit etiam Comedias tres italica lingua, videlicet.

La Prigione d'amore Venetijs 1592.

I Morti viui) Peruſię 1508.
L'Enfilomachia)

Commendant, & meritò Sfortiam Alexander Baleſtrinus de Gy-

de Gymnasio Perusino, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 1. Pellinus in sua historia, Crispoltus lib. 3.

SIGISMVNDVS VIBIVS Perusinus Patrij Seminarij Episcopalis alumnus, D. Basilij Magni laudes Carmine latino, euulgato typis episcopalibus, anno nostri seculi primo, & septuagesimo, cecinit.

SIMON PAVLVS de CRISPIGNIS Perusinus, Abbas commendatarius Sācti Bassiani extra muros Laudis Pompeiæ à Nicolao V. anno a partu Virginis 1444. renuntiatus Episcopus Calliensis in Vmbria, ab eodem in Germaniam ad Fridericum tertium Imperatorem, deindè ad Alfonsum Neapolitanum Regem legatus est. Pro Ecclesia Catholica multis perfunctus laboribus è vita discessit anno 1460. relictis M. SS. relationibus suarum legationum, quæ in Vaticano adseruantur.

Meminit huius Antistitis Ferdinandus Vghellius in Tomo 1. Italiæ sacræ inter Episcopos Callienses.

SIMON de PERVSIO, vide inferius Symeon.

SINIBALDVS FERRETTVS Perusinus in vtroque Iure laureatus, & actor causarum, Patriæ nomine legatione functus est anno 1530. apud Cardinalem Mediceum Legatum, & Cardinalem Spinolam Episcopum. Vt autem posteritas suæ doctrinæ argumentum aliquod haberet, reliquit Consiliorum Volumen.

Est Sinibaldi mentio apud Pompeum Pellinum in hist. Perusiæ.

SINIBALDVS FERTVLINVS, Notarius publicus, & Causidicus Perusinus, suis literis latina lingua, publici iuris factis Mense Maij, anno à Christo nato 1528. lectoribus, & optimis iurium amatoribus proposuit Quartum Volumen Statutorum Perusiæ, reformatum, castigatum, & auctum, accuratèque reuisum, cum Additionibus quamplurimis, clarissimi vtriusque iuris Doctoris Pauli Saluutij, & egregij causarū patroni Ioannis Alexij, Prusinorū Ciuiū.

SINI-

SINIBALDVS de VBALDIS Perusinus, quem aliqui Amedeum de Vbaldis nominant, vtriusque iuris peritus à Martino III. dicto V. Romano Pontifice anno salutis 1424. ordinatus Episcopus Tiphernas in Vmbria vulgò Ciuitatis Castelli, Constitutiones edidit, legesque scripsit pro Clericis suæ Diœcesis. Ab Eugenio IV. anno 1441. pridié Idus Martij priuatum legimus Episcopatu, incertum nobis, qua de causa.

Est huiusce mentio apud Ferdinandum Vghellium Tomo 1. Italiæ sacræ in Catalogo Episcoporum Tiphernatũ.

SPIRITVS LAZARINVS patria Perusinus, professione Theologus inter Eremitas S. Augustini nostro seculo eruditus, italicè elaborauit, sacrum Bilancium Conceptionis B. Mariæ, intactæ Virginitatis fœcundæ, Maternitatis Immaculatæ, nec non roboris pacifici, & bellici. Belluni 1640.

De hoc agit Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana.

STEPHANVS PERVSINVS, ex aliquibus S.R.E. Cardinalis cum Diaconia, S. Adriani, ab Innocentio III. Pontifice Maximo anno à Christo nato 1212. renuntiatus, Siciliæ Legatus, ac Vicarius in Vrbe sub. Gregorio IX. & Innocentio IV. Apostolicus Nuncius, seditiones, quæ vigebant Perusiæ, & in Tuscia, extinxit. Campaniæ Legatus é vita excessit Neapoli anno 1254.

Ante purpuram vxorem duxerat, ex qua genuerat Philippum, Ordinis Minorum Prouincialem, de quo superius, vt ipse met Philippus asserit in Epistola ad Gundisaluum Minorum Ministrum generalem.

Edidit Stephanus multas sacras Constitutiones, & Epistolas, vti habemus ex Luca Vuadingo in Annal. Minorum Tom. 1. & 2. nec non ex Felice Ciatto in sua historia Perusina ad annos Christi 1220. 1221. & 1240. atque ex Ludouico Iacobillo de Scriptoribus Vmbriæ.

STEPHANVS MARINVS, vide superius Ioannes Stephanus.

STRO-

STROMATIVS, ſeu Stramatius, Poeta Peruſinus celebris, magnique ingenij, floruit ante Dantem, & Bocaccium, compoſuitque carmina multa etruſca lingua, quę ſparſim in lucem edita, eximia Poetarum omnium veneratione leguntur, quorum Petrarcha honorificum teſtimonium edidit, vt alia laudatione non indigeat. inter Petrarchæ Poematia etruſca, in lucem edita Lugduni apud Gulielmum Rouillium, anno ſalutis 1550. eſt vnum noſtri Stromatij ad ipſum Petrarcham miſſum.

Præter Franciſcum Petrarcham, meminit Stromatij Cæſar Alexius in Elogijs.

SYMEON, modò de Peruſio de QVATROPANIBVS cognominatus, Aduocatus conſiſtorialis a Bonifacio IX. anno ſalutis humanæ 1398. Iudex Appellationum in Vrbe ad ſex menſes renuntiatus eſt, qui idem Pontifex deindè cognitionem cauſarum coram eo incœptarum confirmauit, mandans quod interim ad ſyndicatum non teneretur. Tum Innocentius VII. qui ad ſummi Apoſtolatus faſtigium anno 1404. euectus fuit, pro diro extirpando ſchiſmate, ad diuerſos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Duces Marchiones, Principes epiſtolas conſcripſit, & Apoſtolicos Nuncios ablegauit, illos paternis affectibus excitans, vt quam primum ad Vrbem accederent, ſeu perſonas tanto negotio congruentes, traſmitterent. Inter alios, quos Innocentius ad hoc munus elegit, vti habemus ex Regiſtris Vaticanis ſunt nobiles viri Antonius de Vinea, Miles Capuanus, & Symeon legum Doctor Peruſinus, Pontificij Conſiſtorij Aduocatus, miſſi ad Archiepiſcopum Piſanum, Priores, Gubernatores, & Capitaneos Populi, Ciuitatis Senarum, Duces, Marchiones, Principes, Comites, Barones, Milites, Poteſtates, Rectores, Magiſtratus, Conſilia, Vniuerſitates in Tuſciæ, ac Lombardiæ partibus exiſtentes. Alexander huius nominis V. eumdem Symeonem Fiſci aduocatum creauit. Ioanne verò XXIII. in ſuprema Petri Cathedra ſedente, accuſationum capita

contra

contra Ladislaum Regem Neapolitanum in Consistorio retulit, & anno salutis 1425. interfuit, & subscripsit Concilio Constantiensi, his verbis, Symeon de Perusio. Et cum Ioannes Pontifex è Ciuitate Constantiæ, quò causa tollendi schismatis ad Concilium profectus fuerat, mutato habitu clam noctu aufugisset, Symeon cum illo recessit. Testis insuper adfuerat Capitulationibus inter Bonifacium IX. & Perusinam Ciuitatem anno 1392. firmatis pro residentia Pontificis cum Curia in ipsa Ciuitate Perusiæ, easdemque firmauit sic. Symeon de Quattropanibus de Perusio, Aduocatus Consistorialis. Huius extat Consilium impressum lib. 2. Consiliorum Criminalium Diuersorum.

De Symeone tractant Regesta Vaticana, Antonius Petri, Vaticanæ Basilicæ Beneficiatus in Diarijs, Conciliorum Vol. 3. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Symeone de Perusio, & Augustino Lante Pisano.



TAN-



T



TANCREDVS BORBONIVS, Sorbelli Marchio, inter nobiles Perusinos adscriptus, vir nostra ætate, tum literis, tum poesi etrusca conspicuus, anno nostri seculi quadragesimo defleuit obitum Ludouici Alberti: anno verò quinto supra sexagesimum, laudes cecinit Pauli Segneri Antiati, è Societate Iesu, & anno quinto supra septuagesimum purpuram Federici Cardinalis Columnæ extulit.

TANCREDVS de RAINERIIS, Comitis Rugerij filius, patria Perusinus, iuuenis natura, consuetudine, & disciplina lenissimus, ad sciẽtiã natus, latino carmine publici iuris facto, ãno nostri sec. septimo supra septuagesimus, P. Federicũ Trẽta Lucensẽ Soc. Iesu, sac. Oratorem in Cathed. Perusina, tẽpore quadragesimalis ieiunij à sacra eloquẽtia laudauit.

THADDÆVS CORSETTVS Iure consultus Perusinus, doctrina clarus in fine seculi decimi sexti, diuersorum Gubernatorum patriæ Ciuitatis sanctiones, sub certis capitibus reductas, in vnum quasi corpus collegit, publiceque luci typis patrijs commisit anno 1595.

Idem vincta oratione laudes cecinit Caroli de Comitibus, Perusiæ, Vmbriæque Gubernatoris.

THADDÆVS cognomento GVIDELLVS, seu de Guidarellis, vel Borbonius, natus in Oppido territorij Perusini,

quod

quod Ioellum ab Incolis dicitur, Philosophus, & Theologus inter Eremitanos S. Augustini sua ætate celebris, qui per annos plures in Academijs Ordinis, nec non in patrio Gymnasio, in Bononiensi, Neapolitano, & Romano sacram Theologiam publicè professus est. Adfuit Tridentino Concilio, in quo die Ascensionis Domini concionem habuit doctam, & elegantem, Louanij, & alibi impressam. Ex Procuratore Generali anno 1569. extincto Christophoro, Priore Generali Ordinem rexit sub Pio V. Vicarius, tum Prior Generalis in Comitijs Perusinis renuntiatus, Galliam, Hispaniam, & Lusitaniam petijt, ad Cænobia inuisenda, & lustranda.

E vita migrauit in Patria post annum Christi 1575. ex alijs verius 1605. centenario maior, eiusque laudibus, & virtutibus à M. Antonio Bonciario seniori, eleganti Oratione decantatis, in Ecclesia sui Ordinis ibidem conditus est.

Præter Concionem superius cursim perstrictam, edidit Expositionem Isaiæ Prophetæ.

Tractatum item de Triplici Conuiuio.

Notas in omnia D. Augustini Opera.

Et plura de Concilio Tridentino.

De hoc tractant Ioseph Pamphilus in Chronico Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Alexander Balestinus de Gymnasio Perusino, Herrera in suo Alphabeto, Carolus Cartharius in suo Athenæo Romano M. S. Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Cæsar Alexius in Elogijs, Crispoltus in Perusia Augusta, Michael Iustinianus in Indice quarto Patrum Concilij Tridentini.

THEODORA DANTIA, Petri Vincentij filia, Iulij soror, Peregrini, postea Fr. Ignatij Amita, cum ob grassantem luem anno salutis 1497. in paternum Rus secessisset, tam sedulam Mathematicis studijs, parente præceptore operam nauauit, vt inter celebriores suæ ætatis Mathematicos habita sit. Hæc Peregrinum, qui postea Fr. Igna-

tius dictus est, fratris sui filium tam exactè ad Mathematicas artes erudiuit, vt inter totius Europæ Mathematicos adscitus, meritorum ergó ad Alaterensis Episcopatus dignitatem peruenerit, gentisque suæ stemmata illustriora fecerit. Pro Posteris autem Theodora elucubrationes plures in hac arte reliquit.

Celebrant Theodoram, & meritò Cæsar Alexius in Elogijs.

THESEVS ODDVS Perusinus scriptis consignauit, publicique iuris fecit, typis patrijs, Carmen latinum, scriptum, occasione publicæ disputationis, quam habuit Perusiæ, anno voluentis seculi decimo septimo Paullus Racanus Tudertinus.

THOMAS GILIOLVS Perusinus, in vtroque Iure, in Philosophia, ac sacra Theologia laureatus, in Academia patria Philosophiam publicé professus est indè ad Patauinam euocatus, eamdem facultatem cum plausu nostra ætate explicauit. Tanti viri publici Iuris est Responsum ad Apologiam Fortunij Liceti Liguris.

THOMAS GRATIANVS Perusinus Ordinis Prædicatorum florebat doctrina anno á partu Virginis 1591. quo scripsit Opus de Bireto rubro dando Cardinalibus Regularibus, quod dicauit Cardinali Alexandrino Pij V. Pontificis nepoti.

De hoc Fontana in Catalogo Scriptorum Prædicatorum Prouinciæ Romanæ.

THOMAS HERCVLANVS Perusinus Religiosus Ordinis Prædicatorum, Vincentij eiusdem agnominis Episcopi Perusini nepos, Benedicti, & Vincentij iunioris germanus frater, suis literis italica lingua, anno reparati Orbis 1588. typis patrijs euulgatis, Mariæ Felici sorori, sanctimoniali in Cœnobio Romano S.Mariæ Magdalenæ in Quirinali, sacrauit decem monita spiritualia Vincentij Episcopi patrui.

THOMAS ROSSINVS ex Insula maiori lacus Transimeni

meni in Territorio Perusino, publicus professor sacræ Theologiæ inter Minores Obseruantes in Cœnobio Perusino de Monte cognominato, Prouinciæ S. Francisci Definitor, scripsit, ediditque Perusiæ anno 1653. apud hæredes Bartoli, & Angeli Laurentij italicè Paradoxa prædicabilia tempore Aduentus.

Eiusdem Concionem in laudem S. Andreæ Apostoli habitam in Æde principe Perusina publici iuris factam inuenies anno 1673. apud Laurentium Cianum in Volumine Concionum Aduentualium Diuersorum.

E vita migrauit Perusiæ in prædicto Cœnobio sui Ordinis die 1. Augusti anno 1676.

THOMAS SAXVS Perusinus, Cathedralis Canonicus, Christophori filius, post parentis obitum, sequutum anno 1550. eiusdem Orationes patrijs typis euulgauit.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ in Christophoro parente.

THOMAS SERRIGIVS, alijs Arrigius patria Perusinus, politiorum literarum studijs optimè instructus, poeticæ disciplinæ tam sedulam nauauit operam, vt in Elogijs componendis inter sui æui celebriores Poetas haberetur, cuius eximia virtus, cum ab Andrea Volaterrano ad Cælum vsque extollatur, eiusque Poemata antiquorum Poetarum lucubrationibus comparentur, nobis quoque tanti viri memoriam alijs inserere visum est. Sed ob temporum iniuriam magis lucupletare non licuit.

Est huiusce mentio apud Cæsarem Alexium in Elogijs.

THOMAS SEVERVS de ALPHANIS Perusinus eruditissimus seculo præterito, cui Vincentius Oreadinus Cōdiciuis inscripsit suum Opusculum, in quo agit, vtrum adiectio nouarum literarum Italicæ linguæ aliquam vtilitatem pepererit; Edidit nonullas Epistolas lingua latina, vti habemus ex ipso Oreadino laudato.

THOMAS TARTAGLIA Perusinus Musis perfamiliaris, Carmine latino publici iuris facto typis patrijs anno

1637. Georgij Boreæ nobilis Lugensis obitum defleuit, & anno 1640. simili Ludouico Alberto parentauit.

FR. THOMASELLVS de Perusio Ordinis Prædicatorum, morum sanctimonia, doctrinaque conspicuus, S. Thomæ Aquinatis discipulus, Theologus sua ætate celebris, scripsit in tres primos libros Magistri sententiarum. asseruantur M. SS. in Bibliotheca S. Dominici Neapoli.

E mortali ad immortalem vitam euolauit in Cœnobio sui Ordinis Perusiæ anno reparati Orbis 1285. iacet ibidem in Ecclesia antiqua S. Dominico sacra ad aram maximam.

De quo agit Fontana in Catal. Scriptorum Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Romanæ, Razzius, Io: Michael Pio, Crispoltus, Alexius in Elogijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis.

TIBERIVS de VBALDIS Perusinus, vir multis nominibus colendus, anno voluentis seculi decimi septimi à partu Virginis trigesimo septimo, Carmine etrusco deluxit mortem Georgij Boreæ nobilis Lugensis.

TIMOTHEVS BOTTONIVS Perusinus, Vincentij Herculani Episcopi Perusini ex sorore nepos, Magister in sacra Theologia, quam tum Perusiæ, tum Florentiæ professus est in Ordine Prædicatorum, cui à puero nomen dederat, illique Vicarius Generalis aliquando præfuit. Sixti V. Pontificis Maximi iussu Siluestrinorum Monachorum familiam restaurare, & ad pristinum sanctitatis nitorem reducere curauit. Vixit aliquando Genuæ Quæsitor fidei, adfuit à sacris confessionibus Carolo Duci Sabaudo, cum quo iter hispanicum confecit. Calluit latinam linguam optimè, nec non Græcam, Etruscam, Gallicam, & Hispanicam; semperque cum Musis à puero ad vltimam senectutem conuersatus est.

Ab Hispana transtulit in Italicam linguam partem 1. & 2. historiæ sui Ordinis à Ferdinando de Castillo elaboratæ, ediditque Venetijs in fol. annis 1589. & 1590.

E Græca

E Græca verò, tum Hispanica, tum Gallica in etruscam vertit libros plures spirituales.

Reliquit M. S. Opusculum prænotatum, Monita spiritualia.

Et Tractatum de Contractibus.

Præter Carmina plura tum latina, tum etrusca scripsit Centurias quatuor, quibus breuiter explicauit, quæ spatio quadringentorum annorum euenerant Perusię in Ordine Prædicatorum, in Prouincia Romana, & in reliquo terrarum Orbe.

Carmine insuper heroico libros quatuor Regum descripsit.

Reliquit etiam pro posteris Volumen Sermonum.

Et aliud Sententiarum.

E viuis abijt Perusiæ anno salutis 1591. die 13. Iunij ætatis suæ 60.

Meminere huius Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Razzius, Io: Michael Pio de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum, Georgius Draudius in Bibliotheca Classica, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Alexius, Crispoltus, Carolus Tapia, Antonius Senensis.

TIMOTHEVS de TIMOTHEIS Perusinus, Prothonotarius Apostolicus, Prior S. Antonij, & Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis S. Laurentio sacræ, floruit nostro seculo, cui fuit innata discendi cupiditas vel ab incunabulis; In Seminarij patrij Collegio instituta ab annis teneris consuetudo, accreuit cum ætate simul, & indurauit, longoque vsu firmato in naturam abijt. Maior factus obijt diuersa munia, vt apud Assisiates Vicarij Generalis sub Marcello Crescentio, Io: Baptistæ Alterij Cardinalis Visitatoris Apostolici, Auditoris Generalis sub Eminentissimo Vbaldo Episcopo Perusino, Synodalis examinatoris, Iudicisque in causis remissorialibus, ac super indulgentijs publicandis ad animarum expiationem, deputati.

Tantus

Tantus hic vir edidit Consultationes, siue Responsa cum Sententijs, & Responsis super beneficijs, & pensionibus Ecclesiasticis. Perusiæ anno 1635. apud Aloysios in 4.

Insuper Necrophilia, Votum responsiuum de celebratione Missarum, ibidem, apud hæredes Petri de Thomasijs anno 1645. in 8. cum summarijs, & Indice locorum, ac sententiarum locupletissimo per Franciscum Timotheum.

Item Nomophilachia, siue de legum morumque regimine, & tutela ibidem in 8. apud eosdem 1648.

Propugnaculum Iuris, omnibus apprimè proficuum, in quo de Legato, de Libertate matrimonij, de Falsitate, & Periurio, de Fidelitate notariorum, de Priuilegijs ægrotantium, ac de Societate officiorum, & animalium cuiusuis generis, tractat. Ibidem in 4. 1637.

Decisiones fori Ecclesiastici Vrbis Seraphicæ, in Episcopatu Assisinatum emanatas.

Scripsit etiam Itinerarium Sacrum Perusiæ in quinque dies distributum.

Eiusdem literas Iosepho de Almericis Archipresbytero, & Iacobo de Oddis Archidiacono, cæterisque Canonicis Cathedralis Perusinæ datas; nec non alias Octauio Danzettæ amicorum maximo missas, euulgatas inuenies cum Necrophilia, & alias ad diuersos editas cum Nomophilachia.

Anno verò sexto supra quadragesimum typis patrijs publici Iuris fecit Consilia duo, vnum in causa Perusina Decimarum, alterum in simili Nucis:

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Claudius Achillinus in Epistolis.

TITVS COLVMBVS Perusinus, Poeta clarus, initio voluentis seculi decimi septimi post Christum natum Carmen latinum scripsit de S. Afra in ignem coniecta, excusum Perusiæ anno 1607. cum M. Antonij Bonciarij senioris Idyllijs, & Selectarum Epistolarum Centuria.

TOBIAS NONIVS Perusinus, Iuris peritus primi nominis,

minis, Iuris prudentiam adhuc iuuenis in patrio Gymnasio summa cum laude professus est, & defuncto Restauro Castaldo, sua ætate iuris consultissimo, eius locum, Magistratus imperio adijt, & pro dignitate impleuit; fuit incredibili morum suauitate, & grauitate, vt meritò æquè ab omnibus amaretur, & coleretur.

Scripsit Commentaria, seu Interpretationes in titulos quosdam Institutionum, publicę luci commissas Perusiæ annis 1555. & 1566. cum additionibus Fuluij Constantini discipuli, Lugduni anno 1581.

Responsorum, & Consiliorum Volumen typis Venetis anno 1589. publici iuris factum. Eiusdem Consilium legitur inter Consilia Diuersorum.

Annos natus duos supra quadraginta, ea scilicet ætate, qua pulcherrimis editis doctrinæ floribus vberrimos pollicebatur fructus, anno salutis fundatæ 1570. die 21. Martij è viuis abijt. Extinctum omnes lachrymis, & Perusinonorum prestantissimi, nec non Adolescentium Academiarum plerique atrati, ad Sepulchrum sequuti sunt Ciuem, & Præceptorem. Funebri Oratione illum laudauit Horatius Cardanetus, & Bernardinus Iacobillus Iuris vtriusque Doctor eumdem commendauit in suis Consilijs.

Iacet in Ecclesia S. Florentij sub hac Epigraphe.

D. O. M.

TOBIAE NONIO
SOLERTISSIMO LEGVM INTERPRETI
ATQVE OPTIMO IVRIS CONSVLTO
PROPTER SINGVLAREM BENIGNITATEM
ET VITAE INTEGRITATEM
MIRIFICE OMNIBVS CARO
CVIVS FVNVS VNIVERSA ACADEMIA
SVMMIS PROSEQVVTA EST

IACO-

IACOBVS NONIVS AMANTISSIMO FRATRI
CVM LACHRYMIS P.
VIXIT ANNOS XLI. OBIIT VII. KAL. APRIL.
MCCCCCLXX.

Est Nonij nostri mentio apud Cæsarem Alexium in Elogijs Cent. 1. nec non apud Crispoltum lib. 3. Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, Alexandrum Balestrinum in Memorijs Perusinis, Pellinum in sua hist.

TORQVATVS CESARIVS Perusinus, in secularium literarum scientia eruditus, poetica etiam lauro clarus, anno nostri seculi tertio supra quadragesimum. Veneris simulacrum marmoreum cum Adone, Opus Alexandri Algardi, Carmine etrusco extulit; eodemque carminum genere defleuit obitum Ludouici Alberti.

TORQVATVS PEROTTVS Perusinus Ciuis, Sentini natus, & Perusiæ bonis literis, Bonciario Præceptore educatus, vitæ innocentia, morum, sanguinisque nobilitate, doctrinæque prestantia conspicuum se fecit, adeò vt Sacerdotio insignitus in Maphæi Cardinalis Barberini famulatu adscitus fuerit; qui ad Pontificatum Ecclesiæ Dei assumptus, & Vrbanus VIII. nuncupatus, Torquatum inter Secretarios, carioresque Cubicularios suos adscripsit, sacerdotijsque pluribus ditauit. Huius tanta fuit bonarum literarum eruditio, vt idētidem in eiusdem Summi Pontificis sapientissimis colloquijs interfuerit, & eadem politiorum literarum eruditione sententiam sæpè protulerit.

Ad Episcopatum Amerinum ab ipso Vrbano promotus, edidit monumenta quędam, inter selectas Christiani Orbis delicias Francisci Suertij, impressa Coloniæ anno 1625. in 8.

Eiusdem Carmina italica ad Antonium Brunum, excusa cum operibus ipsius Bruni.

Scripsit etiam Vitas, & Elogia Virorum illustrium Saxoferratensium.

Item Volumen Epistolarum ad diuersos latina lingua.

Et Car-

Et Carmen latinum in obitu Marci Antonij Bonciarij senioris.

Euulgauit quoque Opera Nicolai Perotti Archiepiscopi Sipontini, gentilis sui.

De hoc tractat Leo Allatius in Apibus Vrbanis, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbrię, Cæsar Alexius in Elogijs, Felix Ciattus in Perusia Etrusca.

TROIOLVS MANCINVS Perusinus, professione Medicus, nostra ętate poesi conspicuus, laureas doctorales Io: Baptistæ Santolini, Abbatis Iosephi Estensis Mustij, Laurentij Abbatis Saluiati, nec non Horatij Fagnani Ariminensis, Io: Baptistæ Porti, Dominici Orsuccij, & Io: Baptistæ Lazarini, atque Aloysij Ciambany Melitensis, Ordinis Hierosolymitani, Carmine etrusco exornauit.

Eodem carminum genere laudes cecinit Pauli Segneri è Societate Iesu sacri Oratoris in Cathedrali Perusina in quadragesimali ieiunio, & Rosalbæ Eugeniæ, dum in Cœnobio Virginum sese Deo dicaret.

Simili parentauit Antonio Baptistæ Militum Duci extincto in expugnatione Cretæ contra Turcas, Marco Antonio Eugenio Aduocato Consistoriali Romæ defuncto, & Georgio Boreæ nobili Lugensi, nec non Ludouico Alberto Perusino.

Vidi eiusdem Poemata etrusca publici iuris facta diuersis temporibus, vnum in Aduentu Romam Christinæ Reginæ Sueciæ, alterum in commendationem Comitis Claudij Marazzani, Pontificij Curatoris apud Centumcellas, pestilentiæ morbo vexatas; & Tertiam de Statua Somni, ab Alexandro Algardo elaborata.

Descripsit etiam eadem lingua vincta Oratione solemnem supplicationem Sanctissimi Crucifixi, habitam Perusię anno nostri seculi sexto supra quinquagesimum.

TROIOLVS VERMIGLIOLVS Medicinæ Doctor collegiatus, eiusdemque scientiæ in patria Academia publicus

Professor, scripsit Metheodum medendi, & Notationes in Galenum, & Hippocratem.


De hoc Pompeus Pellinus in sua historia.

TYNDARVS, seu Tindarus ALPHANVS Perusinus, primi Alphani filius, Bartoli pronepos, iunioris atauus, Iuris, & legum gloria insignis vir, cuius liber de Testibus, non alium ingenij, doctrinæque suæ testem desiderat; professus est Iuris prudentiam in patria Academia.

De hoc Marcus Antonius Bonciarius senior in Oratione funebri Bernardini Alphani, edita Venetijs anno 1608. in 8. cum Collectaneis eiusdem Bernardini apud Iacobum Antonium Somaschum, Pellinus in historia Perusina, Crispoltus, Alexander Balestrinus de Sudio Perusino.



VALEN-







ALENTINVS MANGIONIVS Perusinus, natus anno superioris seculi 73. ex discipulo Marci Antonij Bonciarij á puero Societati Iesu nomen dedit. 5. Octobris anno 1589. in qua votorum quatuor Sacramento solemni suo tempore se adstrinxit. Vir omni literatura excultus, egregiè Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & in Signatura sacræ Pœnitentiariæ S. D. N. Papæ Consulto r Theologus, Theologiam moralem per annos duos supra decem cum laude explicauit. Rexit Collegia Firmanum, Lauretanum, & Mediolanense, & in hoc grassante per Vrbem pestilentiæ morbo, dimissis ad tutiora loca socijs, perstitit in statione periculosa, vt infectis Sacramenta administraret. Hinc quamuis tactus lue, sanus euadens, à Martio Cardinali Ginetto, Summi Pontificis Vrbani VIII. Legato à latere proficiscente in Germaniam in comitem itineris, & Theologum est adlectus. Redux Romam præfuit Domui Professorum, & post obitum Vrbani VIII. á sacro Cardinalium Collegio in confessarium in Comirijs est cooptatus. Congregationi octauæ Societatis elector interfuit, atque in ea in numerum Definitorum est adscitus. Terminata Congregatione constitutus est Visitator Prouinciæ Romanę, postea Admonitor Præpositi Generalis á Congregatione Decima

 renuntiatus,

renunciatus, & à Gosuuino Nickel Pręposito Generali pro Italia Assistens est electus; hoc munere dum magna prudentię, & regularis Obseruantiæ laude fungeretur, correptus febri in Domo Professorum Romana die 11. Februarij anno Christi 1660. ætatis 87. migrauit è vita. Vir fuit insigniter pius, paupertatis religiosæ cultor egregius, Instituti Societatis peritissimus, vndè præclaram illius Epitomen, labore improbo composuit, inscripsitque Syntagma Iuris vniuersi Societatis Iesu, quod inter M.SS. in Bibliotheca Generali Societatis asseruatur.

Edidit verò Consultationem de vi Voti simplicis paupertatis, quod emitti solet in Religione Societatis Iesu peracto Nouitiatu. Coloniæ ex officina Birckmanica in 4.1637.

Apologiam pro Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus, asserentibus voti solemnitatem, sola Ecclesiæ Constitutione inuentum esse, nec non pro censura propositionis oppositæ. Ibidem eodem anno.

Auctarium Apologiæ pro Votorum solemnitate, quo Consultationis Mangionianę euertitur. Ibidem.

De Religiosa paupertate non excludente rerum dominium, nec ius testandi, Opusculum quinque partitum. Ibidem in 8. 1639.

Theoricas Astri inextincti a Fr. Romano Haij in 4. Ibidem.

Publici Iuris est etiam eiusdem Oratio de Passione Domini in Parasceue habita ad Paulum V. Romę typis Vitalis Mascardi in 12. 1642.

Edidit etiam tacito suo nomine libellum pium, sub titulo Enchiridion ad cruciatus Christi Domini piè recolenda. Perusię 1609. & Romę 1645. in 24.

De hoc tractant Philippus Allegambe, & Natanael Souellus in Bibliotheca Scriptorum Soc. Iesu.

VALENTINVS Perusinus, Magister in Theologia apud Patres Pręedicatores, Pręceptor Thomę de Vio Caie-

tani,

tani, Philoſophus magni nominis, ſcripſit multa in Ariſtotelis Metaphyſicam.

Meminit huius Pompeus Pellinus in hiſtoria Peruſiæ.

VALERIANVS ROSSETTVS Peruſinus anno 1677. Ode etruſca, typis patrijs euulgata Conciones quadrageſimales P. Federici Trenta, habitas in Cathedrali, eodem anno, laudibus extulit; & Ode latina laudauit D. Maurum Baronium Abbatem Oliuetanum, ſacrum oratorem in eadem Eccleſia.

VALERIVS ARIGVCCIVS Seminarij Romani Alumnus, Patria Peruſinus, laurea doctorali ornatus, publicus profeſſor Iuris vtriuſque in patria Academia, Orationem græcam cum paraphraſi, à ſe habitam in Viſitatione Deiparæ ad Eliſabeth edidit Romæ anno 1633. apud Corbellettum. Fuit Cathedralis patriæ Canonicus, & ad poſteros tranſmiſſit cum Volumine Conſiliorum, literas ad Timotheum de Timotheis, & Carmen in laudem ipſius Timothei. Inſuper Elegiaco verſu, Georgij Boreæ, nobilis Lugenſis obitum, vbertim defleuit; Orationem quoque edidit habitam ad Vrbanum VIII. Pontificem Maximum, de S. Spiritus aduentu.

Eſt Valerij mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ, & apud Alexandrum Baleſtrinum de Gymnaſio Peruſino, nec non apud Hieronymum Nappium Anconitanum e Societate Ieſu, in Collectione Orationum de S. Spiritus aduentu, habitarum coram Romanis Pontificibus diuerſis temporibus á Conuictoribus Seminarij Romani, typis Hæredum Corbelletti euulgatarum anno noſtri ſeculi ſexto ſupra quadrageſimum.

VALERIVS MARGARITONVS è Caſa Caſtalda in Comitatu Peruſino, anno voluentis ſeculi primo ſupra ſeptuageſimum, verſu latino, Peruſiæ publici iuris facto cecinit laudes D. Baſilij Magni Epiſcopi Ceſareæ.

VERMIGLIOLVS de VERMIGLIOLIS, vide Io: Maria Vermigliolus ſuperius.

VESPA-

VESPASIANVS CRISPOLTVS Perusinus, Cathedralis S. Laurentio, & S. Herculano sacræ, Canonicus, Poeta magni nominis, clarebat initio voluentis seculi decimi septimi à partu Virginis, quo Carmine etrusco, euulgato in diuersis locis laudauit Scipionem Tolomeum Auctorem Tom. 1. literarum vernacula lingua, excusi Perusiæ anno 1617. Ludouicum Iacobillum Scriptorem vitæ B. Thomę, vulgò Thomasuccij tertij Ordinis S. Francisci. Alexandrum Farnesium, & Ranutium filium, & Deiparam Virginem Mariam. Parentauit etiam Marco Antonio Bonciario seniori.

Eiusdem Auctoris publici Iuris est Oratio à se habita in obitu Iulij Farnesij, Academiæ Insensatorum Principis, Venetijs excusa apud Giolitos anno 1592. nec non alia ad Paulum V. dicta, nomine Academicorum Ecentricorum Perusiæ 1605.

Est huiusce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

VGOLINVS de ARCIPRETIS, deindè ob Castrum Pinnę, situm apud Ameriam familię concessum, de Pinna nuncupatus, Patria Perusinus, Iuris consultus eximius, claruit seculo decimo quinto post Christum natum, & reliquit pro posteris Volumen Responsionum.

De hoc tractat Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

VGOLINVS de ARMANNIS postea de Staffa dictus, patria Perusinus, Armanni Nicolai de Armanis, Pisanorum supremi Ducis filius, Iuris consultus primi nominis, floruit circiter annum 1490. quo posteritati tradidit Volumen Responsorum.

Meminit Vgolini huiusce Ludouicus Iacobillus in Catalogo Script. Vmbriæ.

VGOLINVS BVRGARI, seu Bulgari, Bulgarutij Bulgarelli, è Comitibus Marsciani, Ciuis Perusinus, & Vrbeuetanus, Iuris consultus eximius, Marchiæ Anconitanæ Rector, & Nuceriæ Prætor, initio seculi decimi quarti à

natiuitate Christi, vtiles Constitutiones condidit pro Picenis, & Nucerinis.

De hoc agit Ludouicus Iacobillus in Catalogo Scriptorum Vmbriæ.

VGOLINVS VIBIVS Perusinus, alijs Eugubinus, Rainutij filius, è Montis Vibiani Comitibus ortus, Monasterij S. Petri Ordinis S. Benedicti apud patriam primùm Monachus, deindè Abbas, tum suprema Abbatis dignitate insignitus, eos de se clamores excitauit, vt fauente Clero à Ioanne XXII. Pontifice Maximo, anno salutis humanæ 1331. Episcopus Patriæ renuntiatus sit. Obijt die 7. Octobris anno 1337. alijs 1340. septimo Episcopatus, cum scripsisset super Decretum. Hunc sæpe proferunt Præpositus in Cap. *gemma de Sposal.* & Federicus Petruccius in Consil. Sepulchri honorem magnificè exoluerunt Patritij Perusini, elatusque est ad sacram D. Petri ædem.

De hoc meminere præter laudatos Præpositum, & Federicum Petruccium, Io: Vuolfangus, Io: Baptista Zilettus, Crispoltus, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ Alexius in Elogijs.

FR. VGVCCIONVS Perusinus Franciscanus, scientijs multis clarus, à Ioanne XXII. anno post Christum natum 1333. renuntiatus Episcopus Sutrinus in Etruria, scripsit multa in re Theologica, aliaque pro sacris Oratoribus in Scripturam sacram.

De hoc Ferdinandus Vghellius Tom. 1. part. 2. Italiæ sacræ, in serie Episcoporum Sutrinorum, ex Tabulis Vaticanis.

VICTORIVS VALENTINVS Iuris vtriusque Doctor Perusinus, anno nostri seculi trigesimo quinto, scriptis suis confirmauit Responsum tertium Timothei de Timotheis in propugnaculo Iuris.

VINCENTIVS ALEXIVS Perusinus, doctrina, necnon

non pietate illustris, Archipresbyter in Patria Cathedrali, Carolo Cardinali Boromeo intimè familiaris, & Principibus Bauarię Ducis filius apprimè carus, quibus omnibus adfuit à causis, cum Philosophię, ac Iuris prudentię operam dedisset, lauream reportauit.

In patrio Lycæo lectissimam iuuentutem iuris ciuilis præceptis septem annorum spatio informauit. Romam profectus à Gregorio XIV. Pontifice Maximo in album sacræ Rotæ Auditorum, & à Clemente VIII. Perusinus Antistes designatus est.

E vita migrauit anno 1611. pluribus lucubrationibus literarijs, Decisionibus, Responsisque in vtroque Iure relictis, cum eruditis lectionibus, quarum lectione facilè poterit quisque futura ex præteritis prouidere.

De hoc tractant Cæsar Alexius in Elogijs, Alexander Balestrinus de Gymnasio Perusino, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

VINCENTIVS ANASTASIVS, vulgò *Anastagi* Perusinus, á puero Hierosolymitanorum Equitum institutum sequutus, in ipso tyrocinio egregia, præclaraque suæ fortitudinis edidit documenta; quare breui ex Tyrone veteranus, ex milite Dux centurias in ipso ferè tyrocino duxit. De Turca apud Lepantum triumphauit. Magni sui Ordinis Magistri iussu munitiones omnes Melitenses recognouit, quando Solimanus Turcarum Imperator Insulæ illius euersionem minabatur. Adfuit quoque consilio, & manu, quando paulò post, anno videlicet salutis nostræ 1565. eamdem naualibus copijs inuasit, obsidioneque angusta per menses quatuor cinxit. His artibus promeruit Vincentius, vt à Magno Magistro Commendatarius renunciaretur, vt non solum opibus, sed & dignitate augeretur. Ab Iordano Vrsino Venetarum Copiarum Imperatore ad Præfecturam euectus est insignem.

Extant typis euulgatæ tanti Viri ad Ascanium Corneum Commendatarium Hierosolymitanum, rei militaris pe-

ritissimum de obsidione Melitensi literę, quibus modum explicat Insulę vniuersę succurrendi, eximendique non modò Vrbem illam, sed & Rempublicam vniuersam Christianam imminentis mali metu, atque obsidione. Has literas descriptas ad verbum inuenies apud Pompeum Pellinum Par. 3. historiæ Perusinæ.

De hoc præter laudatum Pellinum tractant, Hieronymus Frollierius, Laurentius Spiritus, Marcus Antonius Bonciarius, Cæsar Alexius in Elogijs.

VINCENTIVS BARTOLVS Perusinus humanarum literarum cognitione apprimé instructus, vixit hoc nostro seculo, cuius anno quadragesimo septimo suis literis vernacula lingua Italica publici Iuris factis Petro Francisco de Monte Marchioni dedicauit intermedia Comœdiæ, actæ Perusiæ in nuptijs Mineruæ de Monte cum Francisco Cæsario.

VINCENTIVS DANTIVS, seu Dantes, Iulij filius, Ignatij Episcopi germanus frater, Architectus, & Statuarum Cælator omnium scriptis celebratus, ea studia, tantum coluit quæ in familia sua in pretio, & honore fuisse legerat, nempè liberales artes, atque Mathematicas, nec non pingendi, in qua excelluit. Iulij Tertij Pontificis Maximi Statuam Perusiæ confecit. In Hispaniam à Philippo huius nominis secundo Rege magno stipendio vocatus, vt confictum á se opus pro Ecclesia Diui Hieronymi Excurialis perficeret: ob valetudinis imbecillitatem tantum iter suscipere non potuit, sed in patriam reuersus, poeticis, Mathematicisque studijs intentus, monumenta plura reliquit, inter quæ connumerantur Vitæ Italico Idiomate Cœlatorum Statuarum illustrium.

Annum agens sextum supra quadragesimum omnium dolore ex hac vita migrauit in Patria anno salutis 1576.

Est huiusce mentio apud Alexandrum Balestrinum in memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, nec non apud Cæsarem Alexium in Elogijs, Crispoltũ & alios.

VINCENTIVS DONVS Perusinus, Pauli de quo superius frater, Curtij, & Caroli patruus, natus anno seculi præsentis secundo, Societati Iesu nomen dedit anno 1618. in qua suo tempore Sacramento Votorum quatuor se obligauit. Docuit in ea politiores literas quadriennio, Philosophiam sexennio, Theologiam Scholasticam septennio, Moralem decennio, & pro Concione ad populum sæpe dixit. rexit Collegium Perusinũ, & Romę in Domo Professorum Operarium sedulum, ac gnauum aliquot annis egit. Demum in patrio solo religiosè denatus est die 16. Nouembris 1663. cum edidisset Orationem in in funere Illustrissimi, & Eccellentissimi Principis Caroli Barberini, Generalis Ecclesiæ Ducis, & S. D. N. Vrbani VIII. fratris, habitam Romæ, ibidemque excusam typis Francisci Corbelletti in 4. 1630.

De hoc Philippus Allegambe, & Natanael Sotuellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

VINCENTIVS GAROFANVS Perusinus, Seminarij Episcopalis patrij Alumnus, anno reuoluentis seculi decimi septimi ab orbe redempto, quadragesimo septimo Carmen panxit, ediditque in lucem typis eiusdem Vrbis, in Natiuitate Deiparæ. viuebat anno eiusdem seculi septuagesimo sexto in Belgio.

VINCENTIVS GRATIANVS Perusinus, primus Custodum Societatis Sanctissimi Crucifixi apud S. Mariam nouam erectæ, anno nostri seculi sexto supra quinquagesimum, suis literis vernacula lingua italica excusis in Patria, Io: Lucido Palumbaræ Romano, Perusiæ, Vmbriæque Prætori, relationem publicæ supplicationis, habitæ ibidem, nuncupauit.

VINCENTIVS HERCVLANVS senior Perusinus, cognomento de Frisio, ob vulnus in facie, casu fortuito inflictum, cum cicatrice deturpata facie videri nollet, integrum quinquennium numquam domo egressus, quod dedecori

dedecori futurum videri poterat,vertit in decus, librorum assidua contrectatione, & ad eam Iuris cognitionem peruenit, ad quam ætatis suæ paucissimi deuenerunt. Ex ijs latebris tandem erumpens Iuris consultus celeberrimus, publicus Iuris Interpres in patria, eloquentiæ, ac doctrinæ fama, non modò Italiam, sed Orbem vniuersum impleuit. Tantam quoque ad publica negotia tractanda industriam attulit, vt pro patria legatione persæpè ad Summos Pontifices dum perfungitur, non solum patriæ profuerit, sed Pontificum animos sibi deuinxerit, itaut inter Aduocatos Consistoriales adscitus fuerit. Tandem in Patria die 15. Aprilis anno salutis nostræ 1515. alijs 1539. annis iam grauis, oculorum acie destitutus decessit, cum in lucem edidisset.

Lecturas sup. 1. & 2. ff. vet. & nou.

Super 1. & 2. Infortiati Quæstiones varias, & Commentaria.

Nonnullas Repetitiones.

Trecenta Responsa eruditissima.

De Negatiua probanda.

De Appellationibus, & Attentatis.

De Cautione non offendendi.

Quæstiones multas.

De Legat. ad l. Falcidiam.

Ad S. Cons. Trebellian.

Insuper patrias Leges, siue Statuta, Magistratus Perusini Imperio ad meliorem formam restituit.

Apud Hæredes Volumina eiusdem plura Consiliorum, & alia M. SS. olim asseruabâtur ex Alexandro Balestrino.

Tres recensitos Tractatus, nempè de negatiua probanda, alter de Appellationibus, & Attentatis, & tertius de cautione non offendendi, non Vincentij huiusce, sed Francisci Herculani sunt.

Vincentij Ossa in D. Dominici Perusina Ecclesia tumulata iacent sub his Carminibus.

Qui legis hic Phresius Vincentius occubat, hoc sat:
Cætera testantur Ius, & vterque Polus.

Meminere Vincentij Senioris Marcus Mantua de Viris illustribus, Io: Ficardus, Io: Vuolfangus, Zilertus, Crispoltus, Alexius Cent. 2. Elogiorum, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Paulus Merula in descrip. Italiæ, Pellinus in sua hist. Marcus Antonius Eugenius in Consil. Socinus, Restaurus Castaldus in Trat. de Imperatore, Io: Paulus Lancellottus in Quæst. Sappia in Addit. ad Abbatem, Felix Ciattus lib. 4. Perusiæ Pontificiæ.

VINCENTIVS HERCVLANVS Iunior Perusinus, vt sanctioris vitæ cursum perageret à puero Diui Dominici instituta sequutus est. Philosophiam professus fuit apud suos per annos plures, resque fidei Catholicæ in Belgio aliquando curauit; doctrina, & pietate cum celebraretur, à Pio V. Pontifice Maximo Sarnensis Ecclesiæ, in Regno Neapolitano in Prouincia Principatus Citerioris, Episcopus renuntiatus est; vtriusque cum Sororis suæ filio Cardinale Alexandrino Legato in Hispaniam, & Lusitaniam ire, vt Consiliorum auctor esset, & arcanorum particeps; Deindè à Gregorio XIII. Imolensi, & paulò post Perusinæ Ecclesiæ præficitur; in quibus omnibus præter sedulam, diligentemque operam positam in Clericorum moribus emēdandis, lapsaque Ecclesiasticorum disciplina restituenda, illud edidit celsissimi animi, & inferiora hæc despicientis exemplum, amplissima Ecclesiæ vectigalia non in priuatum cultum, splendoremque, nec in domesticos amplificandos impendit, sed in egenorum paupertatem liberaliter eleuandam.

Senio confectus è viuis abijt in Patria, non sine raræ sanctimoniæ fama die 29. Octobris anno salutis humanæ 1586. & in Ecclesia Diui Dominici magno funere condi-

tus

tus est orante Horatio Cardaneto, sub hac Epigraphe.

D. O. M.

FR. VINCENTIVS HERCVLANVS,
PRIMVM SARNENSIS,
DEINDE IMOLENSIS,
NVNC PERVSINVS EPISCOPVS,
BEATAE SPEI MEMOR,
VIVENS ADHVC LOCVM HVNC,
VBI MORTALE SVVM
POST MORTEM HVMARETVR,
ELEGIT.
ANNO AETATIS SVAE LXV.
SALVTIS VERO MDLXXXI.

Tantus hic vir edidit Commentum vnum super Petrum Hispanum.

Aliud super fallacias S. Thomæ.

Vnum super Prædicabilia Prophyrij.

Alia super Prædicamenta, Posteriora, Perhiermeniam, Phisicam, de Anima, Metaphysicam Aristotelis.

Scripsit etiam plurimas sententias prædicabiles, sub titulo Estitationes.

Rituale pro recta Sacramentorum administratione ad Parochos Diœcesis Perusinæ, postea anno 1597. impressum Perusiæ.

Elucubrauit etiam multa in sacram Scripturam.

Et lingua Italica decem monita spiritualia Perusiæ anno 1588. euulgata, cum literis ad Parentem missis, quando sese Deo dicauit in sacro Prædicatorum Ordine. Extat eiusdem Synodus, celebrata Perusiæ.

Præconia huiusce Episcopi recensent Io: Paulus Lancellottus lib. 2. regul. Iuris Pont. Crispoltus in Perusia

Augusta,

Augusta, Cæsar Alexius in Elogijs Cent. 1. Alexander Balestrinus in Memorijs Perusinis, & de Gymnasio eiusdem Vrbis, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Paulus Merula in Descrip. Italiæ, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra Tom. 1. & 2. Aurelius Pellinus in carmine, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Vincentio Herculano seniori, Antonius Senensis in Bibliotheca Prædicatorum.

VINCENTIVS HERCVLANVS alius, senioris Nepos Benedicti, & Thomæ Germanus frater, patria Perusinus professione Dominicanus, suis literis vernacula lingua Italica, typis patrijs anno 1588. vna cum illis Thomæ fratris euulgatis, Mariæ Felici sorori, Virgini in Cœnobio Romano S. Mariæ Magdalenæ ad Quirinalem sacrauit decem monita spiritualia Vincentij Patrui Episcopi Perusini.

VINCENTIVS IACOVILLVS Sacerdos Perusinus, anno 1676. inter viuentes, cum olim in Seminario Episcopali patrio studijs humanitatis deditus, degeret, versu latino, publici iuris facto anno 1666. Mariæ prærogatiuas expressit; cum anno præcedenti illas Basilij Magni, eodem, Carminis genere explicasset.

VINCENTIVS MANNVCCIVS Perusinus, Mathematicæ professor in Academia Perusina, & Medicus collegij edidit Cõstitutiones mediceas Angeli Victorij á Balneoregio medici celebris cum notis in fol. Romæ ex Officina Gaballina anno 1640.

Insuper de suo Tractatum de flore, & fructu Italicè, Perusiæ anno 1605. in 12.

Vti habemus ex Ludouico Iacobillo de Script. Vmbriæ.

VINCENTIVS MENNI, seu Menna, alijs Almena, patria Perusinus, Poeta sua ætate illustris, publicus Sphæræ professor in patria Academia, qui terram relinquens anno salutis 1570. conditus est in patria Cathedrali; Posteritati tradens Virgilij Maronis Eneidos libros sex, à se Italos factos versu rithmico, & excusos Perusiæ in 8.

anno

anno 1567. cum Eclogis eiusdem Virgilij, & nonnullis Operibus Ouidij, à se vulgariter versis.

Scripsit etiam Regulas linguæ Tuscæ, & modum componendi Carmina rithmica, Ibidem in 8. anno 1568.

De hoc tractant Alexander Balestrinus in memorijs Perusinis, & in tractatu de Gymnasio eiusdem Vrbis, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Alexius in Elogijs, Crispoltus lib. 3.

VINCENTIVS OLIVERIVS patria Prusinus, euoluentis seculi, anno duodecimo, versu latino, in lucem edito ex Typographia Augusta anno eodem, cecinit laudes D. Ioannis Iacobi, Baronis in Konigsegg. Canonici Coloniensis, Salisberiensis, nec non Augustani, publicas iuris vtriusque Theses sustinentis Perusiæ.

VINCENTIVS OREADINVS Perusinus doctrina clarus, seculo decimo sexto post Christum natum, quo edidit patrijs typis Opusculum, in quo agit, vtrum, Adiectio nouarum literarum Italjcæ linguæ aliquam vtilitatem pepererit: quod Opusculum ad Seuerum de Alfanis, virum eruditissimum, & Conciuium optimum, misit mense Maij anno Iubilæi 1525.

Scripsit etiam nonulla Pronostica in Astronomiam.

Est huiusce mentio apud Ludouicum Iacobillum de Scriptoribus Vmbriæ.

VINCENTIVS PALETTARIVS Perusinus, vir præclarus suorum studiorum Magistrum Seminarium habuit Episcopale patrium, locum ingenijs, & disciplinis omnibus tunc maximè florentem; in hoc à puero se exercuit inter suos illos, & ingenio, & ætate equales. Cum autem præclara, tum pietatis, tum doctrinæ fundamenta in hac literarum palæstra iecisset, eos iam annos ingressus, qui ad sacerdotij administrationem apti, idoneique censentur, laborum suorum, & vitæ, ad hanc diem benè actæ, messem verè auream fecit; nam eiusdem Collegij administrationi admotus, vna, & curationem animarum,

puero-

puerorumque institutionem suscepit. Inter hæc Academicis Insensatis adscriptus, Rhetoricæ professor claruit præcipua oratoria laude, in eo laudatum ingenium, eruditio, & ars in dicendo, adeò vt in Poeta præclarum Oratorem, & in Oratore præclarum Poetam exhiberet. Vix trigesimumum, & sextum suæ ætatis annum compleurat, quando extinctus est; annus seculi decimi sexti à partu Virginis quintus supra nonagesimum fuit illi postremus; orauit in eius funere Claudius Cauaceppius Academicus Insensatus.

Posteritati reliquit typis patrijs publici iuris facta Epigrammata diuersa, euulgata in volumine diuersorum.

Scripsit etiam latinè orationes plures; vnam habitam à se in Accademia Augusta Insensatorum, de Vita, & nominis immortalitate, per scientias acquisita; aliam pro paupertate, contra diuitias ibidem dictam; Tertiam in funere Diomedis Cornei Marchionis, & quartam in obitu Marci Antonij Eugenij senioris; Hæ M. SS. ex legato Dionysij Crispolti asseruantur apud Patres Societatis Iesu in Collegio Perusino.

De hoc cum laude tractant Octauius Lancellottus in Oratione à se habita in parentalibus Marci Antonij Eugenij iunioris, & Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

VINCENTIVS PATRITIVS Perusinus Protonotarius Apostolicus, Canonicus Cathedralis patriæ, Vrbibus pluribus Ecclesiasticæ Iurisdictionis præfuit; Cum autem Lauretanam regeret anno Incarnationis Christi 1589. è mortali ad immortalem raptus est vitam. Huiusce extant M. SS. literæ plures negotiales ad diuersos, & historia Lauretana in Tabulario eiusdem Vrbis.

De hoc agit Alexander Balestrinus in suo Tractatu de Gymnasio Perusino.

VINCENTIVS PROVEDALIS, patria ex aliquibus Perusinus, vir variæ eruditionis, & Apollinea laurea celebris, nostro seculo descripsit Carmine etrusco Saluta-

tionem

tionem Angelicam, & Hymnum Aue maris Stella.

Item tractatum de Donis B. Virginis, de Festiuitatibus, & laudibus eiusdem, Perusiæ publici Iuris factum anno 1636 apud Angelum Bartolum.

Extat M. S. eiusdem Volumen, quod varia continet.

Meminit huiusce Vincentij Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ, Ippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana.

VINCENTIVS de SCACCHIS Perusinus, eruditione, nec non elocutione illustris, initio reuoluentis seculi decimi septimi à partu Virginis, cuius annus decimus fuit illi postremus, edidit Discursum etrusca lingua de Veritate.

Scripsit etiam alia Opuscula, tum vincta, tum soluta oratione, vt referunt Franciscus Angelonus par. 2. hist. Interamnensis, & Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ.

VINCENTIVS THIANVS patria Perusinus in scientijs multis versatus, anno euoluentis seculi decimi septimi post Christum natum, duodecimo, vincta oratione latina laudes cecinit D. Ioannis Iacobi, Baronis in Konigsegg, Canonici in Cathedralibus Coloniensi, Salisberiensi, & Augustana, publicas iuris vtriusque propositiones sustinentis Augustæ Perusiæ.

VINCENTIVS TRANQVILLVS Perusinus, eruditione clarus, seculo decimo sexto á natiuitate Christi, quo tractatum edidit de Pestilentia, in quo illas omnes refert, quæ Orbem terrarum ab initio, vsque ad annum 1575. afflixerunt. Conscripsit etiam Historiam Etruriæ, & Perusiæ, quare meritò recensendus inter illos, qui suis scriptis Patriam illustrarunt. Connumeratus est inter Academicos Insensatos, obijtque die 26. Martij, anno post Christum natum 1591.

Agunt de hoc Maltempus, Felix Ciattus in hist. Perusina, Ludouicus Iacobillus de Sript. Vmbriæ, Alexander Balestrinus in Memorijs, Pellinus in hist. Alexius in Elogijs.

VINCENTIVS VGOLINVS Perusiuus, Musicus sua ætate insignis, & Capellæ Basilicæ Vaticanæ Magister, denatus est anno 1638. cum edidisset italicè.

Quattro mute di Concertini, Motetti, e Salmi à due, è tre Chori.

Due mute di Madrigali à cinque voci.

Messe, è Motetti à due, è tre Chori.

Salmi à due, è tre chori.

Vti habemus ex Crispolto lib. 3. & Ludouico Iacobillo de Script. Vmbriæ.

VINCIOLVS de VINCIOLIS senior, vtriusque Signaturæ Referendarius, & Protonotarius Apostolicus, nec non Clementis VIII. Pontificis intimus, gentilis Vincioli primi, copiarum Præfecti strenui apud Smirnam contra Turcas, vbi cecidit anno 1350. Vir summa eloquentia, summa poeticæ eruditione, multiplici doctrina antiquitatis, atque historiarum omnis ætatis, Iuris ciuilis intelligentia, variarum linguarum cognitione, & scriptis celebris. Scripsit enim Carmina plura etrusca, vt referunt Ianus Nicius Eritreus in Pinacotheca, Cæsar Alexius in Elogijs, & Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

VINCIOLVS de VINCIOLIS iunior Perusinus, Seminarij Episcopalis patrij alumnus, Orationem edidit latinam in laudem D. Basilij Magni, cum Carmine in commendationem S.Philippi Nerei, Oratorij Romani fundatoris, quæ omnia excusit Perusiæ anno 1671.

VIRGILIVS, alijs Virginius BORBONIVS è Marchionibus Montis S. Mariæ, nobilibus Ciuibus Perusinis adscriptus, edidit Assertiones Iuridicas circa Vsucapionem, & Præscriptionum materias, Pisis anno 1607. impressas.

De hoc Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ.

VIRGILIVS CEPARIVS ex Oppido Panicale in Territorio Perusino, in Societatem Iesu anno salutis 1582. ætatis suæ 18. admissus, post studia votorum quatuor professionem emisit; Disertus Concionator, Scholasticæ

Tholo-

Theologiæ, Sacrorum Bibliorum, & Patrum peritus, Iuris quoque ſcientia inſtructus, cui iuuenis prius quam ad Societatem accederet operam dederat. Rexit Collegium Florentinum, & Romanum, poſt quę maturus æuo obijt Romæ die 14. Martij anno ſalutis 1631. cum ſcripſiſſet Italicè.

De vera, & honeſta amicitia Opuſculum.

Vitam B. Aloyſij Gonzagæ Societ. Ieſu, Romæ editam apud Aloyſium Zannettum 1606. in 4. Hanc latinam reddidit Ioannes Garrion, Gallicam Antonius de Balinghem, Hiſpanicam Ioannes de Lugo, poſtea Cardinalis, omnes Scerdotes in eadem Societate Ieſu.

Compedium Vitæ S. Franciſci Borgiæ, Præpoſiti Generalis III. Soc. eiuſdẽ in 8. Romæ 1624. & Neapoli apud Ægidium Longum in 16. 1626. quam latinam fecit Andreas Schottus.

Vitam Ioannis Berchmans Belgæ è Societate Ieſu. Romæ in 4. anno 1626. apud hæredes Bartholomæi Zannetti, quam Hermanus Hugo, eiuſdem familiæ Sacerdos latinè vertit, & alius Gallicè.

Exercitium Præſentiæ Dei in duas partes diuiſum. Romæ in 12. 1621. typis Zannetti.

Moriens reliquit ſcriptam.

Vitã S. Franciſcæ Romanę, quę poſthumis typis edita eſt Romæ apud Corbellettũ anno 1640. & iterum anno 1645.

Vitam S. Mariæ Madalenæ de Pazzis Florentinæ, quam ex actis authenticis Canonizationis auctam á ſe, edidit Ioſephus Fotius eiuſdem Societatis; Romæ apud Angelum Bernabò anno 1669. in 4.

De Canonizatione Sanctorum Tractatum.

Celebrant tantum virum Philippus Allegambe, & Natanael Sotuellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu, Andreas Victorellus lib. 2. de Angelo Cuſtode, Leo Allatius in Apibus Vrbanis, Cæſar Alexius in Elogijs.

VIRGILIVS FLORENTIVS Peruſinus, Marci Antonij filius,

filius, alijs nepos, tam diligenter literis instructus est, Petri Ioannis patrui industria, vt miros in Iuris prudentia fecerit progressus. Lauream magna doctrinæ fama consequutus, Romam se contulit, vt ciuilibus controuersijs implicatos iuuaret; eam solertis doctrinæ, & prudentiæ laudem ex eo munere retulit, qua sibi aditum ad Cardinalis Perbenedicti aulam aperuit, huic summa fide, ac diligentia, Auditoris titulo cum præsto fuisset, ab eodem in Nucerinum Episcopum Clementi VIII. Pontifici Maximo propositus est, at ob Pontificis mortem euentu vota cum caruissent, paulò post à Paulo V. successore Nucerinæ Ecclesię renuntiatus Episcopus, Gregem dum pasceret, & Pastoris optimi exemplar exprimeret, die 9. Decembris 1644. e viuis abijt.

Ediderat Constitutiones Synodales Nucerinas. Perusiæ anno 1606. apud Marcum Naccarinum.

Item Calendarium Nucerinum. Ibidem apud Hæredes Naccarini 1612.

Decreta ex quinta, & sexta Synodo. Perusiæ 1630. apud Angelum Bartholum.

Reliquit M. SS. nonnulla Concionum Volumina.

De hoc tractant Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbrię, Cæsar Alexius in Elogijs.

VITALIS HERCVLANVS Perusinus Sacerdos à Sacello in patria Cathedrali, vitam ducens hoc anno 1677. Seminarij olim eiusdem Vrbis Alumnus, scripsit, ediditque patrijs typis anno 1666. Carmen latinum in laudem Deiparę Virginis, & alio simili, excuso anno 1670. lauream doctoralem Dominici Orsucci Lucensis exornauit.



APPENDIX.

APPENDIX.


AROLVS ODDVS Perusinus cum in Romano Seminario olim Rhetoricę studijs intentus viueret, edidit in ipsa Vrbe ad epulum natalitium, in Natiuitate Deiparę celebratum, Carmen Eropartenicum.

Conuictores Collegij Augusti, D. Bernardo Abbati Clareuallensi sacri, in Translationem S. Herculani iunioris, Episcopi, & Martyris, Centimetrum Symbolorum, vel Emblematum, & Epigrammatum scripserunt, euulgatum typis Perusinis apud Marcum Naccarinum anno salutis humanæ 1610. cum Opusculis Marci Antonij Bonciarij senioris, Neapolioni Comitolo Episcopo nuncupatum.

DIONYSIVS de ODDIS Perusinus, Sacerdos Societatis Iesu, qui è mortali hac vita migrauit in patria apud Religiosos sui Ordinis anno salutis humanę 1650, ętatis sexto supra nonagesimum, die 16. Octobris. scripsit italicè Vitam Venerabilis Matris Fulgentiæ Alfanæ, Sanctimonialis, virtutis multis clarę in Cœnobio Perusino Montis Lucij. Hæc M. SS. asseruarur apud ipsas religiosas Mulieres Montis Lucij, nec non apud Patres sui ordinis in Collegio Perusino.

IOANNES IANDVNVS viuebat tempore Ioannis XXII. Summi Pontificis; contra quem pro Ludouico Bauaro scripsit; quare vt rerum nouarum Auctor ab ipso Ioanne damnatus est. Hunc Philippus Brietius, natione Gallus è Societate Iesu in sua Cronologia ab orbe condito ad annum 1663. Parisijs apud Franciscum Muguet septem voluminibus in 12. euulgata Parte III. Tomi 2. Perusinum, dicit; at quo duce, quoue Auctore id affirmet, non explicat.

INDEX

INDEX
ALPHABETICVS COGNOMINVM, AVCTORVM OMNIVM, Qui recenſentur in hoc libro.

A

Academia Inſenſatorum
Adreani.
Franciſcus.
Alberti.
Hieronymus
Ludouicus
Philippus.
Alexandri.
Alphonſus
Iacobus
Nicolaus.
Alexij.
Angelus Vrbanus.
Cæſar
Galeatius
Iacobus
Ioannes
Ludouicus
Nicolaus
Sanctes
Vincentius.
Almena.
Vide, Menni.
Alphani.
Acurſius
Alexander
Aloyſius
Alphanus
Antonius Maria
Bartolus
Bernardinus
Euphraſia
Franciſcus
Hieronymus
Io: Baptiſta
Nicolaus Alphanus
Thomas Seuerus
Tyndarus.
Amici.
Franciſcus Maria
Hieronymus.
Anaſtaſij.
Camillus
Paulus
Vincentius.
Andreæ.
Conradus.
Andreoli.
Felix.
Angeletti.
Paulus.
Angeli.
Philippus.
De Angelis.
Franciſcus
Sebaſtianus.
Anſelmi.
Dominicus.
Anſidei.
Balthaſſar
Benincaſa.
Cornelius
Fuluius
Ioſeph
Marcus Antonius
Pandulphus.
Antignola.
Rogerius.
Antiquarij.
Iacobus.
Antolini.
Sebaſtianus.
Archius.
Luceius.
De Arcipretis.
Vgolinus.
Ariguccij.
Ariguccius
Maria Franciſca
Pyrrhus
Valerius.
Armanni.
Armannus
Petrus
Vgolinus.
Artemij.
Io: Baptiſta.
Aurelij.
Ludouicus
Octauianus.

B

Bacellerij.
Ioſeph
Bacialla.
Galiffus.

De

De Baffis.
Baffus
Io: Baptifta
Lucullus.
Baldellij.
Erneftus
Hieronymus
Laurentius
Lucius
Profper.
Baleftrini.
Alexander
Afterius.
Leonardus
Ballioni, feu de Ballionibus.
Alexander
Angelus
Antonius
Aftorres
Ballionus
Camillus
Carolus
Cornelia
Dominicus
Euangelifta
Ferrantes
Gottifredus
Hercules
Io: Andreas
Lucas
Ludouicus
Malatefta
Petrus.
Ballarinus.
Sanctes.
Ballottoli.
Gafpar.
Bani, feù Banni.
Æneas.
De Baptiftis.
Alexander
Antinorus
Bartholellus
Cæfar
Carolus
Petrus.
Barigiani.
Benedictus
Dionyfius.
Barnabei.
Bernabeus
Hieronymus
Petrus Iacobus
Scipio.
Bartoccini.
Antonius
Afcanius.
Bartoccionius.
Blafius.
Bartoccetti.
Gafpar.
Bartolellus.
Io: Carolus.
De Bartolinis.
Baldus nouellus
Honuphrius
Io: Baptifta
Leo
Marcus Antonius
Marianus
Ricciardus, fiue Ricardus
Bartoli.
Angelus
Vincentius.
De Barzis.
Barzius
Barzius.
Benedictus.
Baftianini.
Fabius.
Baptifti,
Vide de Baptiftis.
Beccij.
Io: Baptifta.
Belli.
Albertus.
De Benedictis.
Benedictus.
Paulus
Paulus
Paulus.
Benincafa.
Alexander
Benincafa
Cornelius
Michael Angelus.
Benij.
Iofeph.
Bennij.
Io: Baptifta
Ludouicus.
Benuenuti.
Modeftus.
Berardi.
Marcus Tullius.
Bernardi.
Francifcus.
Bertoccini.
Petrus Francifcus.
Bigazzini.
Francifcus
Hieronymus
Hieronymus
Philippus.
Bianchini.
Herculanus.
Blanchus.
Antonius.
Boccoli.
Ægidius
Balthafsar.
De Boldrinis.
Petrus Paulus.
Boncagnanus.
Paulus.
Boncambij.
Boncambius
Iacobus
Mariottus
Paulus
Paulus.
Bonciarij.
Bernardinus
Marcus Antonius fenior
Marcus Antonius iunior
Marius
Petrus Paulus.
Bonripofi.
Iacobus.
Bontempi.
Alexander
Andreas Martini
Cæfar
Io: Andreas
Lellus
Paulus
Paulus
Pirrus.
Borbonij.
Guidobaldus

Petrus Iacobus
Tancredus.
Thadæus
Virgilius, ſeù Virginius.
Bottini.
Io: Maria.
Bottonius.
Timotheus.
Bottuſmazzus.
Io: Clemens.
Bouarini.
Leander.
Brunaccius.
Nicolaus.
Brunorij.
Franciſcus.
Bruſcatelli.
Angelus.
Bruſchi.
Bernardinus
Io: Bernardinus
Ioſeph
Buonanni.
Scipio.
De Buonguglielmis.
Vide de Gulielmis.
Burgari, ſeù Bulgari.
Antonius
Vgolinus.
E Byndia.
Iſaacus.

C

Cæſarij.
Bernardinus
Torquatus.
Cagnoni.
Dominicus.
Calcographi.
Hieronymus.
Calidonij.
Franciſcus Maria Rodulphus.
Caluigij.
Lucas Antonius
Camalti.
Lucas Antonius.
Camenus.
Io: Franciſcus.
Campanus.
Antonius, ſeù Io: Antonius.
Cantagalina.
Antonius
Ludouicus.
Cantuccij.
Franciſcus.
Capellettus.
Io: Antonius.
Capiſucchi.
Paulus.
Caporali.
Cæſar
Carolus
Io: Baptiſta.
Capra.
Benedictus
Franciſcus Maria.
Paulus.
De Caramannis.
Ioſeph
Cardaneti.
Horatius.
Carmeni.
Franciſcus.
Cartularij.
Hieronymus.
Caſtaldus.
Reſtaurus.
Caſtaneacij.
Iulianus.
Catalutij.
Antonius.
Cauaceppi.
Claudius.
Cencij.
Cęſar
Ludouicus.
Ceparius.
Virgilius.
Ceſarij.
Vide Cæſarij.
Cherubini.
Bonifatius.
Florentius.
Ciani.
Laurentius.
Ciatus.
Felix.
Cibbo.
Hieronymus.
Ciccarellus.
Io: Andreas.
Cicius.
Nicolaus.
Cinaglia.
Bonifatius.
De Cinquinis.
Laurentius.
Cinus.
Vide Cynus.
Coardolinus.
Binus.
Columbi.
Franciſcus
Hieronymus
Nicolaus
Titus.
Columbini.
Vide Columbi.
De Comitibus.
Carolus.
Comitoli.
Neapoleo
Paulus
Petrus.
Conſtantini.
Fuluius.
Contulus.
Claudius.
Coppetta.
Franciſcus.
Coppoli.
Angelus Franciſcus.
Fortunatus
Franciſcus
Honuphrius
Iacobus
Io: Benedictus
Iuo, ſeu Ibo, vel Iuus
Rainerius
Ruggerius.
E Corciano.
Chryſtophorus.
Cornei, ſeu Cornæi.
Cæſar
Cornelius
Diomedes
Fabius

Federicus

Federicus
Fuluius
Hippolytus
Petrus Philippus
Philippus.
Corradi.
Fuluius
Ioannes, seu Io: Baptista.
Corradini.
Basilius.
Corregius.
Alexander.
Corromani.
Franciscus
Philippus.
Corsetti.
Thaddęus.
Crescembeni.
Petrus Philippus.
De Crispignis.
Simon Paulus.
Crispolti.
Cæsar
Cæsar
Dionysius
Vespasianus.
Cyni.
Cynus.

D

Dantes.
Ignatius
Io: Baptista
Iulius
Petrus Vincentius
Theodora
Vincentius.
Danzetta.
Fabius
Ioannes.
Dionysij.
Io: Baptista.
Petrus.
Diruta.
Augustinus.
Donij.
Carolus.

Curtius
Paulus
Vincentius.
Durantes.
Io: Bartholomęus.

E

Eugenij.
Angelus
Franciscus
Fuluius
Marcus Antonius senior
Marcus Antonius iunior
Pompeus
Septimius.

F

Fabiani.
Camillus.
Falcinelli.
Florentius
Farina.
Marcus Antonius.
Fedantiola.
Ioannes.
Feliciani.
Matthęus.
De Ferrantibus.
Franciscus Maria.
Ferrettus.
Horatius
Sinibaldus.
Fertulinus.
Sinibaldus.
Floramontij.
Annibal
Floramontius
Franciscus.
Florentij.
Constantius
Virgilius.
Florius.
Ludouicus.
Fracassini.
Iacobus.

Francus.
Philippus.
Fregij.
Franciscus
Io: Baptista.
De Frigerijs.
Io: Antonius
Io: Petrus.
Frisius.
Vincentius.
Frollerij.
Franciscus Maria
Hieronymus.
Fumagiolus.
Cęsar
Hieronymus.

G

Gaius.
Bartholomæus.
Gallettus.
Antonius Maria.
De Gallis.
Hieronymus.
Garofani.
Carolus
Garofanus
Vincentius.
Gentilis.
Franciscus, seu Frãciscus Maria.
Gentilis.
Gherardus.
Cęsar.
Gherij.
Franciscus.
Ghinij.
Laurentius.
Ghislerij.
Io: Petrus.
Giliani.
Bartholomæus
Diomedes.
Gilioli.
Io: Thomas
Thomas
Giorgetti
Io: Baptista.
Giraldi

Giraldi.
Io: Baptista.
Giugij.
Io: Baptista.
Gratiani.
Antonius
Franciscus
Hieronymus.
Io: Baptista
Thomas Gratianus
Thomas Erculanus
Vincentius.
Gregorij.
Hieronymus.
Grisaldi.
Iacobus
Marcus
Paulus.
Grottus.
Camillus.
Gualterij.
Cęsar.
Guastaferrus.
Paulus.
Guerrinus.
Marcus *Antonius.*
Guidalotti.
Benedictus.
Guidelli, seu Guidarelli.
Thaddęus.
De Gilielmis.
Franciscus
Guilelmus.
Hieronymus.

H

Herculani.
Benedictus
Franciscus
Lucas Antonius
Lucas
Octauianus
Thomas
Vincentius senior
Vincentius iunior
Vincentius alius
Vitalis.

Hieremiæ.
Camillus
Octauianus.
Hondedei.
Io: Vincentius
Pandulphus.

I

Iacouilli.
Vincentius.
Iandunus.
Ioannes
Insensatorum Academia
Iouij.
Alexander.

L

De Lago.
Paulus.
Lambardi.
Franciscus
Lambardus.
Lancellotti.
Augustinus
Florauantes
Io: Paulus
Octauius
Robertus
Secundus.
De Laudatis.
Io: *Antonius.*
Laurentij.
Iulius.
Laurindus.
Cęsar.
Laurus.
Christophorus
Io: Baptista
Petrus.
Lazarini.
Io Baptista
Laurentius Antonius.
Spiritus.
Leonelli.
Io: Baptista.

Lucidori.
Io: Nicolaus
Nicolaus.
Lucilli.
Io: Georgius.
De Luna.
Carolus
Franciscus Maria
Neapoleo.

M

Maccioni.
Octauianus.
Maltempi.
Marcus *Antonius.*
Sebastianus.
Maluij.
Ioseph
Mancini
Hieronymus
Troilus.
Manfredi.
Mutius.
Mangionus.
Valentinus.
Mannuccij.
Vincentius.
Mansueti.
Andreas
Leonardus
Rainerius.
Margaritoni.
Nicolaus
Sebastianus
Valerius.
Marini, seu de Marinis.
Florentius
Franciscus
Io: Stephanus
Sebastianus
Stefanus.
Marij.
Franciscus.
Mariottelli.
Fuluius.

Marsiliani

Marsiliani.
Marcus Antonius,
Martelli.
Io: Matthęus.
Martinelli.
Constantius
Franciscus
Hieronymus
Io: Paulus
Ludouicus.
Massini.
Philippus.
Masserij.
Bernardinus
Hieronymus.
Masseus.
Paulus Æmilius.
Massius.
Marcus Antonius.
Massolini.
Franciscus.
De Matthiolis.
Matthiolus.
Maturantij.
Franciscus.
Meliorati.
Franciscus.
Innocentius VII.
Meniconi.
Cęsar
Io: Paulus.
Marcus Antonius.
Menni, seu Menna.
Vincentius.
De Merciarijs.
Nicolaus.
Michelotti.
Alexander.
Monachus.
Gratianus.
Monaldi.
Benedictus senior
Benedictus iunior
Horatius senior
Horatius iunior.
Io: Antonius
Monaldus senior
Monaldus iunior
Rodulphus.

Montemelini.
Diamantes
Franciscus
Horatius
Laurentius
Nicolaus
Rubinus.
De Montesperello.
Diomedes
Io: Petruccius
Paulus Æmilius
Periteus.
De Monteuibiano.
Balionus.
Morandi.
Io: Bernardinus.
Morelli.
Hieronymus.
Muscoli.
Petrus Paulus.

N

Narduccij.
Antonius Maria.
Nati.
Bartholomęus
Petrus Paulus.
Nauia.
Iulius.
Nerius, seu Nereus.
Fabritius
Ioseph
Nereus.
Neruccij.
Agabitus
Antonius.
De Ninis.
Io: Baptista.
Nonius.
Tobias.
Nuccij.
Io: Baptista.

O

Oddi.
Galeottus
Iacobus.
Marcus Antonius
Sfortia
Theseus.
De Oddis.
Alexander
Angelus
Cęsar
Diomedes
Fabritius
Hieronymus
Iacobus
Maria Francisca
Oliua.
Alexander
Ioannes
Leo.
Oliuerius.
Matthæus
Petrus Paulus
Vincentius.
Oradini, seu Oreadini.
Iulius
Marcus Antonius
Vincentius.

P

Paci.
Carolus.
Pallettarius.
Vincentius.
Pallerius.
Angelus.
Pallucchius.
Natalitius.
Palumbus.
Camillus.
Pantoccij.
Hippolytus.
Paoluccij, siue Pauluccij.
Ascanius
Constantinus
Fuluius

Fuluius
Io: Baptiſta
Io: Maria.
Paſquerius.
Antonius Nicolaus.
Patritius.
Vincentius.
Pellini.
Aurelius
Pompeus.
Pennacchius.
Seraphinus.
Penninus.
Petrus.
Pentinus.
Alexander.
Perilli, ſeu de Perillis.
Angelus
Angelus
Baldus
Franciſcus.
Perotti.
Nicolaus
Torquatus.
Peruſini cognomento.
Alexander
Andreas
Andreas
Anonymus
Antonius
Barnabas
Conuictores Collegj S. (Bernardi
Cynus
Daniel
Frigerius
Gaſpar
Gaſpar
Hieronymus
Iacobus
Iacobus
Innocentius
Io: Baptiſta
Ioannes
Ioſeph
Iſidorus
Iſidorus
Laurentius
Leo I. Pont. Max.
Leonardus
Linus Pont. Max.
Lucius Æmilius
Ludouicus
Marcus
N. Mulier
Nicolaus
Paulus
Paulus
Faustus
Philippus
Sebaſtianus
Seminarium Epiſcopale
Stephanus
Stromatius
Symeon
Thomaſellus
Valentinus
Vguccionus.
Petruccius.
Carolus.
Pignattellus.
Marcellus.
Pilorci.
Rocchus.
Pinellus.
Dominicus.
De Pinna.
Alexander
Benedictus
Bernardinus
Fabius
Federicus
Franciſcus
Vgolinus.
Pinozzij.
Ioſeph
E Plano Carpenis.
Ioannes.
Plato.
Franciſcus
Octauianus ſenior
Octauianus iunior.
Podiani.
Franciſcus
Iacobus
Io: Paulus
Lucas Albertus
Marius
Proſper.
Pontani.
Guilelmus.
E Porta Solè.
Angelus.
Poſtius.
Ludouicus.
Propertius.
Sex. Aurelius.
Prouedalis.
Vincentius.
Ptolomæus, vide Tolomeus.
Pucciarini.
Ægidius.
Putius.
Petrus.
Putti.
Franciſcus.

Q

De Quattropanibus.
Symeon.

R

Rainaldi.
Aſcanius
Petrus Vincentius.
De Raineriјs, ſeu de Raneriјs.
Bartolus
Cæſar.
Cæſar
Curtius
Ludouicus
Rainerius ſenior
Rainerius iunior
Renatus, ſeu Paſchalis *II.*
Tancredus.
Ramazzanus.
Petrus Antonius.
Randoli.
Aſcanius.
Raſtelli.
Io: Bernardinus
Io: Bernardinus alius.
Petrus.
Rattus.
Laurentius.
Rectabenius.
Iulius.

Remedi.
Ridolphus.
Riccij.
Antonius
Constantius
Io: Iacobus.
Ridolphi.
Petrus Iacobus.
Righettus.
Nicolaus.
Rinaldus.
Anastasius
Octauius
Petrus Vincentius.
Ripa.
Cæsar
Roberti.
Hieronymus.
Rodomontius.
Iulius Terentius.
Rosciolus.
Ioseph
Rosellius.
Io: Baptista.
Rossettus.
Cæsar
Valerianus.
Rossi, vide Rubei.
Rossini.
Thomas.
Rubei, seu Rossi.
Felix
Gaspar
Lemmius
Marcus.
Ruscelli.
Hieronymus.

S

Sabatini.
Carolus.
Sacchinus.
Franciscus.
De Saccutijs.
Alphonsus
Comes.
Saluatoris.
Horatius.
De Saluis.
Horatius
Saluus.
Salustius.
Gulielmus.
Saluuccij.
Marcus Antonius.
Paulus
Rubinus.
Santherius.
Franciscus Maria.
Saxus.
Aloysius.
Christophorus
Io: Thomas
Thomase.
D Scacchis.
Vincentius.
Scaramuccia.
Aloysius.
Sciri.
Franciscus.
Scotus.
Ascanius.
Sectus, seu de Settis.
Anselmus.
Seminarium
Episcopale Perusinum.
Sensi.
Bernardinus
Cosmus
Guidus
Iacobus
Ludouicus
Petrus
Raynerius.
Serpetrus.
Angelus.
Serrigius.
Thomas.
Seueri.
Marcus Antonius
Petrus Antonius
Petrus Hieronymus
Thomas.
Sextius.
Ioseph.
Signorelli.
Franciscus
Guidus
Leander, seu Leonardus.
Sinesius.
Marcus Antonius.
Sotij.
Carolus
Franciscus
Io: Paulus.
Spetialinus.
Cæsar.
Spichius.
Aurelius.
Spinoli.
Augustinus
Iulius.
Spiritus.
Laurentius.
De Staffa.
Io: Baptista.
Ludouicus
Scipio
Vgolinus.
Stella.
Iulius Cęsar.

T

Tagetes.
Malot, seu Maleotus.
Tancredi.
Ioannes Picchi.
Tanzini.
Iacobus.
Tartalia.
Annibal
Franciscus Maria
Thomas.
Tetij.
Benedictus
Hieronymus
Paulus
Paulus.
Thianus.
Alexander
Vincentius.

Thoma-

Thomasinus.
Cæsar
Thomasonij vide
Io: Maria Paulucciius.
De Timotheis.
Antonius
Franciscus
Timotheus.
Tinnoli, seu Tyndoli.
Ioannes
Titi.
Iacobus
Placidus.
Tolomei.
Scipio.
Tomacredi, seu Tomacelli.
Benedictus.
Torellius.
Iulius Cæsar
Rosatus.
Torgniolus.
Euangelista.
Torretti.
Fabius
Hector.
E Torsiano.
Benedictus.
Tramontana.
Franciscus
Io: Baptista.
Tranquillus.
Vincentius.
Trontus.
Ambrosius.

V

E Valdeuia.
Iacobus.
Valentinus.
Victorius.
Valerianus.
Annibal
Valerius.
Antonius.
De Vanolis.
Minutius.
De Vbaldis, vulgò Baldeschi.
Æneas
Alexander
Alexander
Angelus
Angelus
Angelus
Aurelius
Baldus
Benedictus
Franciscus
Franciscus
Franciscus
Franciscus
Galeatius
Hieronymus
Io: Zenobius
Matthæus.
Nicolaus
Paulus
Paulus
Petrus
Petrus
Petrus
Philippus
Scipio.
Sinibaldus
Tiberius.
Veglia, seu Velia.
Dionysius
Paulus
Petrus Dionysius.
Verduccioli.
Antonius, seu Carolus Felix. (Antonius.
De Vermigliolis.
Hieronymus
Io: Maria
Petrus
Thomas
Vermigliolus.
Vgolinus.
Vincentius.
De Viano.
Andreas.
Vibij.
Ballionus
Franciscus
Orlandinus
Philippus
Rainerius
Sanctes
Sigismundus
Vgolinus.
Vidoni.
Hieronymus.
Vignatolus.
Anselmus
Antonius.
De Vinciolis.
Alexander
Io: Nicolaus
Philippus
Vinciolus senior
Vinciolus iunior.
Virilis.
Franciscus.
Vitus, seu de Vitis.
Franciscus
Hieronymus
Paulus Antonius.
Vlpius.
Modestus.
Vuettus.
Carolus
Horatius.
Zecchinus.
Sebastianus.
Zibellinus.
Bernadinus.
Zuccarellus.
Ludouicus.

INDEX

INDEX

Alter Scriptorum Perusinorum in hoc ATHENAEO descriptorum, qui ad diuersas dignitates Ecclesiasticas promoti sunt.

Pontifices Maximi.

Innocentius VII.
Leo I.
Linus
Paschalis II.

Cardinales S. R. E.

Alexander Oliua
Andreas Martini Bontempi
Augustinus Spinola
Benedictus Monaldus
Cæsar Gherardus
Carolus de Comitibus
Cosmas Melioratus
Dominicus Pinellus.
Fuluius Corneus
Iulius Spinola
Leo Quintiani filius
Linus
Rainerius, seu Renatus de Raynerijs.
Stephanus Perusinus.

Legati Apostolici.

Alexander Oliua
Andreas Martini Bontempi
Benedictus Monaldus
Carolus de Comitibus
Dominicus Pinellus
Fuluius Corneus
Io: Petrus Ghislerius
Io: à Plano Carpenis
Iulius Spinola
Paulus Capisuccus
Simon Paulus de Crispignis.
Stephanus Perusinus.

Nuncij Apostolici.

Barzius de Barzis
Carolus de Comitibus
Iulius Spinola
Malatesta Ballionus
Marianus Bartolinus
Nicolaus Perottus
Nicolaus Vbaldus
Paulus Capisuccus.
Stephanus Perusinus
Symeon de Quattropanibus, seu de Perusio.

Archiepiscopi.

Cosmas Melioratus Rauennę
Gaspar de Rossi Sipontinus
Ioannes Oliua Theatinus
Iulius Spinola Laodiceæ
Nicolaus Perottus Sipontinus
Petrus Iacobus Borbonius.

Episcopi.

Alexander Michelotti, Asissij
Alexander Vinciolus, Nuceriæ
Aloysius Alphonsus, Æsij
Andreas Martini Bontempi, Perusiæ
Angelus Ballionus Maceratę, & Recineti.
Angelus è Porta Sole, Sullitanus
Antonius Campanus, Interamnas.
Augustinus Spinola Alatri, Perusiæ, & Sauonæ
Bartholomæus Gaius Nermoricensis.
Barzius de Barzis, Calij
Benedictus Guidalottus, Recineti
Benedictus Monaldus, Perusiæ
Cæsar Bartolelli, ForiLiuij.

Cęsar

Cęſar Gherardus, Camers
Carolus de Comitibus Anconæ
Conradus Andreæ, Aſsiſij
CoſmasÆlioratus Bononiæ
Dominicus Pinellus, Firmi
Euangeliſta Torgniolus, Typhernas
Franciſcus Alphanus, Aſiſsij
Franciſcus Cantuccius, Laureti, & Recineti
Franciſcus Gherius, Ceruiæ
Franciſcus Gratianus, Peruſiæ
Frigerius Peruſinus, Cluſij, & Peruſiæ
Fuluius Corneus, Peruſiæ, & Spoleti
Gaſpar Peruſinus, Fulginei
Hercules Ballionus, Vrbeuetanus
Hieronymus Guilelmus, Emonius
Hippolytus Corneus, Peruſiæ
Horatius Monaldus Eugubij, & Peruſiæ
Hugolinus Vibius, vide Vgolinus
Iacobus Boncambius, Bononiæ
Iacobus de Bonripoſi, alijs de Bontempi Æſij,& Narnię,ſeu Iteramnæ
Iacobus de Peruſio, Tarracinæ
Iacobus de Peruſio Narnienſis
Iacobus Raynutij de Alexijs, alijs de Caſtelbono, Florentiæ
Ignatius Dantius, Alateranus
Ioannes Andreas Ballionus, Peruſiæ
Io: Antonius Campanus, vide Antonius
Iſaaccus de Caſtro Ariconio Aſculi, & Aquilæ
Iulius Oradinus, Peruſiæ (Lucę
Iulius Spinola, Sutrj, & Nepetis, ac
Leonardus Baleſtrinus, Coloſsenſis
Malateſta Ballionus, Piſauri, & Aſsiſij
Marcellus Pignattellus, Æſinus
Marcus Antonius Oddus Peruſinus
Marcus Aantonius Oradinus, Vicenſis
Matthæus de Vbaldis Nuceriæ, & Peruſiæ
Monaldus de Monaldls, Melphitanus
Neapoleo Comitolus Peruſii
Nicolaus de Merciarijs Tipherni, tum Vrbis veteris,Colli,& Dionyſij
Paulus Capiſuccus, Neocaſtrenſis.
Paulus de Lago Triuentinus
Saluus de Saluis, Peruſiæ
Simon Paulus de Criſpignis, Calui.
Sinibaldus de Vbaldis, Tiphernas
Torquatus Perottus, Amerinus
Vgolinus Vibius, Peruſiæ
Vguccionus patria Peruſinus, Sutri
Vincentius Alexius, Peruſiæ
Vincentius Herculanus iunior Sarnenſis, tum Imolenſis, & Peruſinus.
Virgilius Florentius, Nuceriæ.

Vice Cancellarij S. R. E.

Benedictus Guidalottus
CoſmasÆlioratus.

Camerarij S. R. E.

Auguſtinus Spinola.

Theſaurarij S. R. E.

Benedictus Guidalottus
Coſmas Elioratus.

Clerici Cameræ Apoſtolicæ.

Benedictus Guidalottus
Cęſar Corneus
Coſmas Melioratus
Dominicus Pinellus
Fabius de Pinna.

Iudices in Rotis.

Æneas de Vbaldis in Florentina
Angelus Ballionus in Romana
Antonius Cantagalina in Romana
Aſcanius Rainaldus in Florentina
Benedictus Monaldus in Romana
Camillus Ballionus in Romana
Carolus Vuettus in Peruſina
Fabius Torrettus in Florentina
Franciſcus Cantuccius in Romana
Franciſcus de Vbaldis in Romana
Io: Matthęus Martellus in Florentina, Lucenſi, & Genuenſi
Iulius Oradinus in Romana
Ludouicus Portius in Maceratenſi, & Genuenſi
Marcus Antooius Bartolinus in Lucenſi, & in Genuenſi
Marianus Bartolinus in Romana

Matthæus de Vbaldis in Romana
Neapoleo Comitolus in Romana
Nicolaus Vbaldus in Romana
Paulus Capiluccus in Romana
Petrus Comitolus in Romana
Sebastianus Marinus in Lucensi, & Genuensi
Vincentius Alexius in Romana.

Aduocati Aulæ Consistorialis.

Angelus Perillus
Angelus de Vbaldis
Antonius Gratianus
Baldus de Bartolinis
Ballionus de Ballionibus
Ballionus de Motevibiano, seu Vibius
Camillus Ballionus
Franciscus de Vbaldis
Ibo Coppolus
Io: Maria Vermigliolus
Marcus Antonius Eugenius iunior
Nicolaus Vbaldus
Petrus de Vbaldis senior
Symeon de Quatropanibus, aliàs de Perusio
Vincentius Herculanus cognomento Frisius.

Generales Ordinum Regularium.

Alexander Oliua Eremitarum S. Augustini
Andreas Seruorum B. Mariæ
Angelus Serpetrus Franciscanorum Conuentualium.
Antonius Seruorum B. Mariæ
Barnabas Oliuetanorum
Hieronymus Ruscellus Congregationis Casinensis
Leonardus Mansuetus Dominicanorum.
Nicolaus Perusinus Seruorum Beatæ Mariæ
Taddæus Guidellus Eremitarum Sancti Augustini
Vgolinus Vibius Congregationis Casinensis.

Senatores Vrbis.

Boncambius de Boncambiis
Franciscus Coppolus
Ibo Coppolus
Paulus Boncambius.



INDEX TERTIVS

Scriptorum Perusinorum ex Ordinibus Regularibus.

Ex Augustinianis Eremitis.

Alexander Oliua
Augustinus Diruta
Iacobus de Perusio
Innocentius Perusinus
Isidorus Perusinus
Sanctes Alexius
Spiritus Lazarinus
Thaddæus Guidellus.

Ex Benedictinis Congregationis Cassinensis.

Hieronymus Ruscellus
Ioannes Perusinus
Ioseph Perusinus
Isaacus Byndius
Laurentius de Cinquinis
Leonardus Perusinus
Philippus Vibius
Vgolinus Vibius.

Ex Canonicis Regularibus.

Alphonsus de Saccutijs
Leo I. Pont. Max.

Ex Carmelitis.

Paulus Bontempi
Sebastianus Margaritonus.

Ex Cistercienfibus.

Felix Rubeus.

Ex Clericis Regularibus.

Vide ex Teatinis inferius.

Ex Cluniacensibus.

Raynerius, seu Renatus de Raynerijs.

Ex Congregatione Oratorij S. Philippi Nerei.

Cesar Crispoltus
Carolus Paci
Ferrantes Ballionus
Hieronymus Barnabeus
Io: Benedictus Coppolus
Io: Clemens Bottimazzus
Ioseph Bacellerius
Octauius Lancellottus
Pirrus Bontempi.

Ex Dominicanis.

Angelus è Porta Sole
Benedictus Herculani
Benedictus Tomacredus
Carolus Garofanus
Gaspar Perusinus
Hieronymus Guilelmus
Iacobus de Alexijs
Iacobus de Perusio
Ignatius Dantes
Ioannes Corradus
Io: Maria Pauluccius Thomasonius
Leonardur Balestrinus
Leonardus Mansuetus
Nicolaus Alexius
Nicolaus Brunaccius
Nicolaus Columbus
Paulus Grisaldus
Paulus Guastaferrus
Sebastianus de Angelis
Seraphinus Pennacchius
Thomas Gratianus

Thomas Herculanus
Thomasellus de Perusio
Timotheus Bottonius
Valentinus Perusinus
Vincentius Herculanus senior
Vincentius Herculanus iunior.

Ex Franciscanis, vide ex Minoribus inferius.

Ex Hierosolymitanis Equitibus.

Christophorus Laurus
Vincentius Anastasius.

Ex Iesuitis vide è Secietatis Iesu inferius.

Ex Minoritis.

Ægidius Pucciarinus
Alexander Vinciolus
Andreas de Viano
Angelus Eugenij
Angelus Seraphini
Baldus de Vbaldis
Bartholomæus Gaius
Benedictus à Torsciano
Bernardinus Massarellus
Christophorus à Corciano
Daniel Perusinus
Euangelista de Ballionibus
Euphrasia Alphana
Felix Ciattus
Fortunatus Coppolus
Franciscus Tramontana
Hieronymus de Vbaldis
Hieronymus Robertus
Hippolytus
Honuphrius Coppolus
Iacobus Boncambius
Iacobus de Oddis, seu Oddus
Io: Baptista Paulucius
Io: Baptista de Perusio
Ioannes Fedantiola
Ioannes à Plano Carpenis

Ioseph Rosciolus de Caromannis
Isidorus Perusinus
Leonardus Balestrinus
Lucas Ballionus
Monaldus de Monaldis
Monaldus de Monaldis alius
Paulus Boncagnanus
Paulus Boncambius
Paulus à Perusio
Petrus Baptisti
Philippus Perusinus
Thomas Rossinus
Vguccionus de Perusio.

Ex Oliuetanis Monacis.

Augustinus Lancellottus
Barnabas Perusinus
Euangelista Torgniolus
Placidus de Titis
Secundus Lancellottus.

Ex Seruis B. Mariæ.

Andreas
Anselmus Sectus
Antonius
Cornelia Balliona
Dionysius Veglia
Nicolaus Perusinus
Petrus Dionysius Veglia.


E Societate Iesu.

Antonius Maria Gallettus
Dionysius de Oddis
Franciscus Sacchinus
Iulius Rectaberius
Ludouicus Florius
Paulus Comitolus
Valentinus Mongionius
Vincentius Donus
Virgilius Ceparius.

Ex Teatinis.

Marcellus Pignattellus.

FINIS.


LEGATORIA C.TARTAGLI & F.O
FIRENZE
VIA CAVOUR 25